













XXXIV

NER

QVÆSTIONES SELECTÆ F. IOAN. BABTISTÆ NERI.

ADM. REVER. PATR.

F. IOAN. BAPTISTÆ NERI

A PETRA SANCTA

ORDINIS MINIM. S. FRANCISCI DE PAVLA

Sac. Theol. Lectoris Iubilati, ac Canon. Iuris Professoris

QVÆSTIONES SELECTÆ

Ac dilucidatæ ex tota Secunda Secundæ S. Thomæ Aquinatis.

De Fide, Spe, & Charitate, ac de Iustitia, & Iure,

SERENISS. PRINCIPI

IOANNI GASTONIO MEDICEO

Magni Etruriæ Ducis Filio

Ex Corde Dicatæ.





FLORENTIÆ, MDCXC.

Ex Typographia Petri Matini, sub Sig. Leonis. *Sup. perm.*

SERENISSIME PRINCEPS.



Vod ab auctore summo intelligendi Platone præclarè dictum accepimus, potentiam ubique cum excellenti sapientia coniunctam esse oportere, id cum in alijs multis, tum in eo maximè consentaneum veritati est, cui sumus ingenij nostri fœtus dedicaturi. Nam & potentia haud quaquam mediocri, & sapientia esse debet ille, cuius patrocinio freta doctorum hominum opera non possint publicam lucem reformidare. Siquidem ei, quem elegimus patronum, defensoremque librorum, quos evulgamus, infringenda vis invidiæ, deterrenda malevolorum audacia, debilitandi conatus improborum, qui crescere ex alienæ obtrectatione gloriæ quærunt,

quæ ſunt omnia ſummæ potentiæ; occurrendum autem calumnijs, refellendæ cavillationes, quæ perperam obijciuntur confutanda, afferenda lux ingenij ſcriptis alienis, quæ ſunt præclaræ cuiuſdam ſapientiæ. Hæc autem quum ita ſe ſe habeant, nemo conſilium meum repræhendet, neque accuſabit audaciam: quod tibi ſum auſus, quaſi tenuitatis oblitus meæ, Sapientiſſime Princeps has qualeſcunque lucubrationes dedicare; quo enim es maior, & ſapientior eo neceſſe eſt videar conſuluiſſe prudentius exiſtimationi meæ: ita fit, ut quæ cauſa mihi impudentiæ notam poſſit inurere, prudentiæ laudem afferre videatur. Et ſanè nec voto exoptari, nec animo fingi te aptior patronus ad ſtudioſorum labores tuendos poteſt, qui potentia tanta es, quantam tibi conciliat principale faſtigium, & Medicea Domus in altiſſimo dignitatis gradu collocata, quæ

quod attinet ad literarum patrocinium, tantum inter alias omnes eminet
Quantum lenta solent inter viburna cupreßi.
Sapientia vero ſic excellis, ut nihil tibi deſit ad ingenij, prudentiæ, doctrinæ laudem prope ſingularem. In te enim conſilij vis acerrima non expectavit ętatis maturitatem, ingenij magnitudo non deſideravit indocilem uſus diſciplinam, cupiditatem diſcendi non extinxit affluentia voluptatum, quæ magnam fortunam ſolet comitari; ſed tanto cum animi ardore in ſtudijs omnium doctrinarum, & tanta cum laude verſaris, ut eruditionis, & ſcientię prębeas exemplum ſtudioſæ iuventuti. Quam ego coniunctionem, quæ in te eſt, potentiæ, ſapientiæque ſecutus, hoc opus, licet rude & impolitum, nec ſatis dignum tuis auribus eruditiſſimis, offerendum tibi cenſui, quod quamquam propter inſcitiam ſcriptoris indiſerti ab ingenio tuo politiſſimo, atque cultiſſi-

mo videtur abhorrere; tamen propter argumenti præſtantiam, fortaſſe tibi convenientiſſimum eſt. In eo quippe excellentiſſimarum natura virtutum explicatur; Tu autem cum omnis virtutis, tum excellentiſſimę cuiuſque ſtudioſus apprime es, qui candore morum, integritate vitæ, modeſtia, pietate in Deum ingenij tui dotes, fortunæque ſplendorem illuſtras, & illuminas, ut dubitari poſſit, fortunæne bonis, an ingenio, an moribus clarior habearis. Sed inter cæteras tuas virtutes non ultimum locum obtinet humanitas quę tanto conſpectior eſt, quanto es in altiore faſtigio collocatus, quam omnibus obviam, omnibus expoſitam mihi uni præcluſum iri non exiſtimo; ob eamque cauſam audaciùs ad te cum hoc munuſculo accedo: hac ſi Tu me, meaque complecteris, ampliſſimum laborum vigiliarumque mearum fructum percepiſſe me arbitrabor. Vale.

INDEX QVÆSTIONVM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

QVÆSTIO I. De fide.



QVÆSTIO II.

De virtute ſpei pag. 217.

Vtrum

QVÆSTIO III.

De Charitate.

QVÆSTIO I.

De Iustitia, & Iure.

QVÆSTIO II.
De virtute Iustitiæ.

QVÆSTIO III.
De Iustitia.

Vtrum

QVÆSTIO IV.

QVÆSTIO V.
Ve partibus Iustitiæ.

QVÆ.

QVÆSTIO VI.

De restitutione.

QVÆSTIO VII.

De homicidio, & mutilatione membrorum.





IN SECVNDAM SECVNDÆ DIVI THOMÆ

De Fide, Spe, & Charitate, Ac de Iustitia, & Iure.

QVÆSTIONES SELECTÆ.



PRætermittam hìc preambula cæremonalia, quia Legẽtibus nihil iuvant. Scripsi, & in lucem edidi ad Dei gloriam, de Deo uno, sicuti de alijs principalioribus Quæstionibus in Prima Parte D. Thomæ ab ipsomet Angelico Doct. agitatis: deinde ea, quę ab ipsomet ventilantur in Tertia Parte suæ Summæ; nempe de Mysterio Incarnationis Verbi Divini: necnon de Sacramentis tam in genere, quàm in specie sermonem feci in meo Commentario in Libro Primo, & Secundo Institutionis Iuris Canonici Tomo Secundo, non fui otiosus in examinando materiam de Gratia, Libero Arbitrio, sicuti de Iustificatione, & Merito, prout etiam ipsemet Angelicus Magister de hac re loquitur in sua Prima Secundæ. Modò verò de virtutibus Theologicis sermonem instituo, tan-

quam de effectibus in nos ex meritis Christi collatis Fide, Spe, & Charitate, quę Virtutes Theologicæ nuncupantur, quia circa Deum immediatè versantur, & per se infusæ sunt, & ita nominatę veniunt, quoniam significant esse supremas virtutes Christianas, quibus homo ad supremam, & felicissimam, atque veram beatitudinem dirigitur; undè per se infunduntur a Deo in homines, quibus solum per revelationem ipsius Dei innotescunt, aut ex doctrina sacræ Paginæ, ut ex dicendis constabit. Prius ergo videbimus per tres quæstiones de his tribus virtutibus, deinde de Iustitia, & Iure principaliores quæstiones examinatæ a me erunt. Adsit Dei auxilium mihi, & patrocinium B. M. Virginis, necnon S. Patris mei Francisci a Paula, ut solum, quæ ad Dei gloriam sunt, & Fidelium Animarum salutem scribam. Amen. Sit igitur ad gloriam maiorem Dei.

QVÆSTIO I.

De Fide.



RÆ manibus prius accipio discursum de Fide, quia Fides versatur in intellectu, sic intellectus est, & circa Deum, prout ipse Deus est verax in dicendo, sive revelando: Spes autem, & Charitas cum in voluntate maneant, versantur quidem etiam ipsæ circa Deum, sed quatenus est bonus, quamvis sub rationibus diversis. Igitur prius de fide tractatum instituo, quia, ut ait Apostolus, *sine Fide impossibile est placere Deo*, & sine illa Spem, & Charitatem habere non valemus.

SECTIO PRIMA.

Nomen, essentia, & obiectum fidei explicatur.

SVnt ferè innumera ea, quæ hic examinari solent a DD. sed ne discedam a meo stylo, solum principaliores quæstiones cribabo, ac magis necessarias, & utiliores, relinquendo ea, quæ ad Institutum Theologicum parum necessaria sunt. Sit igitur

SVBSECTIO I.

Quid veniat nomine fidei affertur.

1 HOc nomen fidei non paucis modis a scribentibus usurpari solet, utpote primo pro fidelitate in servandis promissis, prout habetur 1. Machabeo 10. *perseverate adhuc, conservate ad nos fidem*, accipitur ab aliquibus pro ipsa promissione, qua acceptione, sepissime Deus in Sacra pagina fidelis dicitur, & verax, ut in Psal. 144. & 1. Corinth. 10. alij ità vocant illam, sumendo eam pro fiducia, sive firmissima spe, prout habetur 14. Matthæi, *modice fidei, quare dubitasti?* Non pauci accipiunt hoc nomen fidei pro conscientia; undè aliqui dicuntur malæ, aut bonæ fidei possessores, sic ad Rom. 14. habetur, *omne quod non est ex fide, peccatum est*, nempè totum id, quod est contra dictamen rationis, & conscientiam. Tandem sumitur fides pro credulitate, & assensu intellectus, qui adhibetur alicui aliquid affirmanti, cuius auctoritas si est hominis, fides humana vocatur, si est Dei fides divina nuncupatur, quæ quidem significatio fræquentissima est in Sacris licteris, & apud sanctos Patres, de qua quidem acceptione, in præsenti est sermo, & sic sumpta fides.

2 Definitur igitur fides ab Apostolo ad Hæbreos Vndecimo, *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ratio autem cur dicatur *substantia rerum sperandarum*, est

non quia fides non sit accidens, de genere qualitatis, sivè substantia secunda adveniens primæ, est enim fides de genere qualitatis, sed vocatur cum nomine substantiæ, ut intelligamus nos ipsam esse fundamentum spei, supra quod consistit spes illarum rerum consequendarum; fides namque est illa, quæ proponit nobis, illa esse speranda, undè sine fide nullus potest habere spem supernaturalèm, qua supernas res speret; fidei enim est fulciri fiduciam, quoniam ut replicare habet Paulus Apostolus, *sine fide impossibile est placere Deo*, dicitur *argumentum* quoniam prout ait D. Augustinus fides est coniunctio intellectus, nam fides debet esse assensus firmissimus, non minus ac sit assensus illæ quo intellectus ex necessitate consequentiæ convincitur ad assentiendum, &c. dicitur *non apparentium*, ut ostendatur, quod fides debet esse veritatum, quæ non videntur ab oculis hominum, sed eis occultæ sunt, quia tam in se, quam in principijs ex quibus deducitur earum assensus obscuritatem habent omnia. Quare fit, quod actus fidei, ab omni actu claro, & distincto, sivè evidenti distinguatur, undè talis actus fidei in tantum certus est, in quantum in auctoritate divina fundatur. Quapropter a Mastrio, cum de fide disput. 6. de virtutibus Theologicis quæst. 1. n. 3. pag. mihi 400. sic definitur, *fides est actus supernaturalis quoquis assentitur, aut disentitur alicui propositioni, ex eo quod Deus illam revelavit*, loquendo de fide actuali, si verò loquamur de habituali, sic definiri debet, *fides est habitus supernaturalis quo mediante fides actualis produci potest*, & sic benè definitur fides habitualis, nam non potest melius habitus definiri, quam in ordine ad actum, ratio est quia hallibitus per actum in obiectum tendit, a quo obiecto, & modo tendendi in illud specificatur.

3 Ex hac enim fide sine dubio, quando magna est, ut in omnibus redemptis deberet esse, firma, ac solida nascitur in sanctis vitis quædam fiducia in Deum, qua mediante affectu, quodam filiali sibi compromictunt ea omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, hæc tamen fiducia, &c. potius ad spem, quam

ad

ad fidem spectare habet, sed quia ex firma, ac solida fide nascitur, fides comuniter a Scolasticis nuncupatur.

4 Hæretici nostri temporis hanc fiduciam volunt esse fidem illam, qua putant sibi omnia peccata remitti per Christi merita, absque ulla alia meritoria actione, ut falso Luterus, & Luterani asserunt, abutuntur omnibus locis Sacræ Scripturæ, in quibus habetur, nos per fidem iustificari, ut est illud Habacuc 2. *iustus autem meus ex fide vivit*, & illud ad Rom. 3. *Arbitramur hominem per fidem iustificari*, & Actor. 15. *fide purificans corda eorum, &c.* & alijs pluribus; undè contra tam impium errorem fuit definitum in Concilio Trident. sess. *6.* canon. 12. *siquis dixerit, fidem iustificantem esse fiduciam divinæ misericordiæ peccata remictentis propter Cristum, vel eam fiduciam solam esse, qua Iustificamur, anathema sit.* Quæ quidem Concilij determinatio multum ponderanda est, prout ad nostrum istitutum facit.

5 Dignum est, inquam, circa talem determinationem Concilij consideratione maxima habere, quòd cum S. Synodus in canon. *9.* eiusdem sessionis hanc propositionem, *sola fides iustificat*, non absolutè, & simpliciter damnaverit, sed solum cum quadam conditione, hoc modo videlicet, *siquis dixerit impium sola fide iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur anathema sit*, nihilhominus postea in canon. 12. citato hanc aliam propositionem, *sola fiducia iustificat*, simpliciter, *& absolutè condemnat*, ratio differentiæ talis rei, puto, quòd sit, quòd cum fides sit initium universale, & radix totius iustificationis, ut asseritur in eodem Concilio sess. *6.* cap. 8. non est necesse, ut excludantur ea, quæ consequuntur fidem, cum dicitur, *sola fides iustificat*, quoniam fiducia nihil aliud est, quam quidam modus, & robur spei, ut fatetur Angelicus Magister quæst. 129. art. *6.*

6 Hinc est, quòd quando dicitur sola fiducia iustificat hominem reliquæ dispositiones ad iustificationem necessariæ videntur excludi. Ratio differentiæ adducta bona quidem est, sed meliorem adducam aliam. Ratio potissima huius differentiæ est;

quia Luterus cum suis sequacibus, per hanc secundam propositionem, *sola fiducia iustificat*, expressius protestantur suam hæresim, quam per illam aliam, nempè *sola fides iustificat*, ipsi enim accipiunt fidem pro fiducia; quod verò fides distinguatur a fiducia, colligitur clarè ex illo ad Ephesios 3. dum Apostolus dicit, *in quo habemus fiduciam, & accessum in confidentiam per fidem eius*, undè videtur, quod causa fiduciæ est fides, & sic fides, a fiducia distincta est.

SVBSECTIO II.

De obiecto materiali fidei.

7 DVplex est obiectum cuiuslibet, potentiæ, facultatis, aut virtutis, ut communiter Logici docere habent, materiale unum, formale alterum [relictis alijs speciebus obiectorum] hic solum, pro nunc, quæritur de obiecto materiali fidei, deinde in sequenti sublectione, de formali obiecto sermo erit.

8 Obiectum materiale virtutis fidei theologicæ incomplexum est aliquod unum conflatum ex pluribus incomplexis obiectis materialibus, ex quibus fit materiale obiectum adæquatum; & talis est, *Deus ipse*, & sic Deus, ut Deus, est obiectum materiale proximum fidei. Est communis hæc sententia apud omnes Theologos, & hanc defendit Angelicus Magister p. 1. q. 1. art. 7. est tamen contra Calvinum lib. 2. Instit. c. 6. & alibi, ubi asserit non tantum Deus, ut obiectum, sed Deus, ut Deus, & homo Christus. Est etiam contra Martinum Chemnisium, qui in impio suo Examine contra Concilium Tridentinum circa c. 5. & 6. sess. 6. Concilij, ubi agit de fide iustificante; nec non contra aliquos Theologos, ut apud Valentia videre est in 22. Div. Thomæ de fide disput 1. quæst. 1. puncto 1. lict. C.

9 Probo 1. conclusionem ex sacra pagina, declarante, quòd primum obiectum in fide sit Deus: habetur enim c. 11. ad Evangelium Marci, *hanc fidem Dei*, Ioann. 14. *Creditis in Deum, & in*

in me credite, ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, una fides*, unde Apostolus, ex unitate obiecti materialis fidei, seù obiecti, quod apud omnes arguere habet, quod una debet esse fides. Oh utinam omnes a Deo redempti hoc intelligerent, ut bene agerent.

10 Probo 2. ratione fundamentali: illud est obiectum proximum, & materiale quod, alicuius potentiæ, habitus, virtutis, aut scientiæ, circa quod scientia, potentia, vel habitus, &c. versatur, & de quo possunt verificari prædicata illius facultatis habitus, &c. sed fides catholica circa Deum versatur, eo quia multa de eo credimus, nempe quod sit, & quod trinus, & unus sit, & multa alia, quę de ipso prędicari valent, unde Deus a multis fuit vocatus obiectum attributionis nostræ fidei, ergo dicendum est, quod Deus, ut Deus, nostræ fidei catholicæ sit obiectum materiale proximum.

11 Probo 3. alio principio ex principijs fidei deducto: etenim in Symbulo Apostolico habemus, tamquam primum articulum fidei nostræ hæc verba, *Credo in Deum*, quia nempe Deus est obiectum materiale proximum fidei, de quo omnia prædicata ad fidem spectantia possunt verificari. Quare dixit Div. Augustinus lib. 4. de Civitate Dei cap. 20. *Fidei unum, & primum, ac maximum officium est, ut in unum credatur Deus*.

12 Neque valet contradictio Vulpes tom. 2. par. 3. disput. 30. art. 2. ubi dicit, obiectum materiale proximum fidei catholicæ non esse Deum, ut sic, sed Deum esse prout includit omnia credibilia de necessitate salutis.

13 Non valet opinio istius scriptoris, inquam, quoniam est opinio Gregorij Ariminensis quæst. 4. prol. art. 2. & aliorum nominalium, statuentium, esse obiectum fidei sub ratione salvatoris, vel glorificantis, quia omnia, quæ revelantur per fidem ordinantur, ad hominum salutem, & gloriam, iusta illud Ioannis 20. *hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam æternam habeatis in nomine ipsius*, quæ quidem opinio, prout refert Mastrius hic disput 6. de virtutibus thæologicis quæst. 1. art. 1. n. 7. pagina mihi 401. ab ipsis Scotistis tamquam falsa reijcitur, nec Scotus habuit umquam talem opinionem.

14 Conclusio 2. Deus, absolutè loquendo, non est obiectum materiale adæquatum fidei, sed plura alia, quæ sub isto obiecto cadunt, simul cum ipso Deo sunt obiectum adæquatum materiale, nempe omnia illa, quæ à Deo revelantur, sive essentialiter, sive accidentaliter. Est sententia communis apud omnes Scolasticos.

15 Probatur conclusio sic. Illud est obiectum materiale proximum adequatum, alicuius habitus scientiæ, potentiæ, &c. cui potest applicari obiectum formale ipsiusmet habitus, scientiæ, potentiæ, &c. sed obiectum formale fidei catholicæ potest applicari multis, & pluribus rebus a Deo distinctis; ergo, &c. Etenim multa credimus a Deo ipso diversa, & distincta propter dictum ipsius Dei; ergo, &c.

16 Tum quia, illud est obiectum adæquatum materiale proximum habitus fidei, circa quod habitus in totum versari potest, & non circa aliud, at circa totum, quod est a Deo revelabile potest habitus fidei versari, nec talis habitus circa aliud versari potest, nisi quod est a Deo revelabile: ergo obiectum adæquatum materiale fidei divinæ non est solus Deus, ut sic, sed Deus, ut & omne revelabile ab ipso, ad id enim, & non ulterius progreditur testimonium Dei infallibiliter revelantis.

17 Quod autem Deus sit obiectum fidei, non solum secundum veritates necessario revelatas, sive veritates necessarias; verum etiam, secundum contingentes, & accidentales, nempe quæ liberè a Deo producuntur, est etiam evidens. Etenim Incarnatio Verbi, & eius Resurrectio, & similia, proponuntur nobis, ut credenda per fidem divinam, hoc namque est obiectum a Deo revelabile; quando sit verum, & per consequens potest illi applicari obiectum formale ipsius habitus fidei; ergo, &c.

18 Hinc est quod quando Doctores dicunt, quod res creatæ per accidens pertinent ad fidem, solum significant, & intelligunt, non esse obiectum materiale proximum principale, & proximum, sed materiale minus principale fidei res omnes revelatas a Deo, tamquam suum obiectum, certum est quod fides respicit.

19 Ex

19 Ex hoc inferre debemus, quod male dixit Durandus quæſt. 5. in prol. ſentent. ubi aſſerit, obiectum principale fidei eſſe actum meritorum, & ſi actus fidei meritorius ſit, non propterea quieſcit intellectus, ſed quærit, quod nam ſit obiectum talis actus fidei meritorij. Sicuti alij decepti fuere Theologi, dicentes; quod Deus, ſub ratione Salvatoris, Creatoris, &c. eſt obiectum fidei; eo quia omnia, quæ per fidem revelantur, propter noſtram ſalutem revelata ſunt, prout ait Ioannes 10. *hæc ſcripta ſunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius*, decepti ſunt utique, prout ſuperius dixi; quia per fidem divinam noſtram catholicam, non ſolum cognoſcimus Deum, quatenus Creatorem, Redemptorem, Iuſtificatorem, ac Glorificatorem, &c. ſed etiam per eandem fidem cognoſcimus illum, quoad omnia alia prædicata intrinſeca, & neceſſaria ſimpliciter ipſi Deo, ut eſt, eſſe unum in natura, trinum in perſonis, &c. nec refert, quod fides ordinetur in noſtram ſalutem; etenim hęc etiam in Dei gloria ordinatur, atque adeò etiam ipſa caderet ſub obiecto proximo materiali ipſius fidei divinæ, & ſic idem eſſet obiectum ſui ipſius: quod quam falſum ſit, conſideranti manifeſtum eſſe poteſt.

20 Infertur etiam male locutum fuiſſe Calvinum, dum repræhendebat Div. Thomam, eo quod dixiſſet cum alijs Theologis, eos non poſuiſſe Chriſtum in linea obiecti fidei primarij materialis, malè inquam, Catholicos Theologos reprændebat iſte Hæreticus, quia ipſemet Chriſtus ſe excluſit a linea talis obiecti materialis, *quod* primarij, & proximi dum dixit: *Creditis in Deum, & in me credite*, & alibi dixit; *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, & quem miſſiſti Ieſum Chriſtum*; unde videtur, quod prius ordine ponit Evangeliſta in perſona Chriſti loquendo ea, quæ ad divinitatem pertinent, deinde vero, & quaſi ſecundario, & per accidens ea, quæ ad humanitatem ſpectant.

21 An vero obiectum fidei ſit aliquod complexum diſtinguendum eſt; ſi loquamur de obiecto materiali primario, *quod*

adæquato, certum est esse aliquod conflatum, sive complexum ex pluribus partialibus obiectis inadæquatis, si autem est sermo de obiecto materiali proximo principaliori, inter obiecta partialia, dicendum est, non esse aliquod complexum; quia istud obiectum, cum sit ipse Deus, qui simplicissimus est, certum est, non esse complexum, at loquendo de aiijs obiectis minus principalibus, multa ex illis complexa sunt, & si aliquo modo incomplexa dici possint. Vnde Angelus, qui inter obiecta minus principalia fidei numeratur (loquendo de obiectis, tàm materialibus, quàm partialibus fidei) & sic secundum esse physicum, simplex sit sicut, & anima rationalis, eo quia carent partibus physicis reduplicativè; tamen ratione naturæ, & subsistentiæ, dicuntur obiecta partialia complexa materialia proxima fidei divinæ. Similiter Christus Dominus. Si verò loquamur de obiecto formali, sive de obiecto, *quo* fidei, sive ratione formali qua, dicere etiam possumus, quod secundum aliquos est simplex, & omnino incomplexum; etenim prima veritas secundum se considerata, summè simplex est, similiter, & testimonium Dei dicentis, si per se, & seorsim sumatur; etenim in veritate, & testimonio Dei consistit obiectum formale divinæ fidei, qua ratione obiectum formale fidei divinæ simplex est, si autem totum hoc sumatur, nempe prima veritas, & testimonium Dei circa rem, quæ creditur, totum hoc non potest dici res una simplex.

22 Miror tamen de aliquibus scribentibus, etiam si ego fatear, esse omnium inexpertissimum in literis: miror quidem, quod, aliqui dicant, Deum esse obiectum adæquatum fidei divinæ, eo quia ad ipsum, tamquam ad attributionis obiectum, omnia reducuntur; ex alia parte non miror, quia etiam in aliijs scientijs talem æquivocum capiunt, & obiectum principaliorem in partialia materialia pro adequato obiecto sumunt, ut dixi, & errorem demonstravi in mea Phylosophia par. 1. cum de logico obiecto sermonem habui; Deus enim non est omne credibile, & si per ipsum credibilia sint; ergo, solus Deus non est obiectum adæquatum materiale fidei divinæ.

23 Tanto

23 Tanto magis, quod habitus infusus fidei est indifferens ad hoc repræsentandum, & oppositum; v. g. si Verbum divinum non fuisset incarnatum, idem esset habitus fidei, ac modo est, dicunt aliqui: sed ego dicerem, sicut de facto dico, quod obiectum fidei divinæ non est totum revelatum, & revelabile; sed revelatum tantum, revelabilia solum sunt in potentia ad hoc, ut cadant sub obiecto fidei divinæ, obiectum enim est id, quod est, non id, quod possibile est in tali casu, propterea dicitur (saltem communiter) quod prima veritas revelans est obiectum principale formale fidei divinæ (de qua re infra) undè dico, falsum esse, habitum fidei esse indifferentem ad revelatum, & revelabile, sed ad revelatum, tamquam ad suum obiectum determinatum, esse proximum, & ad revelabilem, non prout revelabilem, sed ad ipsum, quando revelatum erit, prout revelatum: nisi fortè dicamus; Deum esse obiectum adæquatum fidei sumptum in recto, & in obliquo, quia sic Deus in rem dicit seipsum, & ea, quæ a Deo revelantur, de qua re non est hic sermo; sed loquimur hic de obiecto adæquato proximo materiali, *quod* fidei divinæ, prout in conclusione assertum est supra in hac subsectione n. 7. ad obiectum formale igitur his peractis deveniendum est.

SVBSECTIO III.

De obiecto formali fidei divinæ.

24 IN hac subsectione quæritur, quænam sit ratio potissima, seù formalis credendi obiectum fidei divinæ, sive illi assentiendi, in homine verè fideli: etenim cum fides habeat obiectum, *quod* habere etiam debet obiectum, *quo* sive rationem formalem, sub qua; vel cum habeat obiectum materiale, debet habere obiectum formale; in qua re non parva est difficultas in assignatione obiecti formalis fidei divinæ, nempè quodnam sit medium, sive motivum, aut ratio formalis, sub qua intel-

lectus noster rebus fidei assentitur, & si ut plurimum Doctores in hoc conveniant, quod obiectum formale fidei divinæ sit ipse Deus, quatenus est prima veritas; quia tamen prima veritas; potest considerari in essendo, & sub hac ratione dicit veritatem transcendentalem, cum sit primum ens, eo ipso etiam prima veritas est, & alio modo considerari potest, utpote prout est prima veritas in dicendo, ratione cuius perfectionis, neque potest fallere, neque falli, hinc est; quod scribentes in hac re, multum difficultate habent in assigniatione obiecti formalis fidei divinæ, ut ergo ad decisionem difficultatis, meo debili ingeniolo, deveniam sunt plura advertenda.

25 Hæretici volunt rationem formalem credendi in proprium cuiusque hominis sensum, & iudicium. Putantes, quod unusquisque secundum suum proprium sensum, & iudicium iudicare debeat & apud se determinare; an illud, quod illi proponitur credendum ab eodem sit, a Deo revelatum sit, nec ne? Itaut, si eius spiritus dictaverit ei esse revelatum assentire debeat: si vero spiritus eiusdem renuat, dissentire debeat. Fundant suam falsam opinionem in illo Ioannis 1. cap. 4 *nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sit, quoniam multi seudoprophetæ exierunt*. Quàm falsum sit hoc principium, ex scripiura patet; in ipsa enim Sacra Litera iubemur formiter credere ea, quæ ab Apostolis ad nos per traditionem venerunt, ac per Prophetas. Dixerunt aliqui, quod Scotus fuerit in voto nostram credulitatem fuisse fundatam in fide humana, atque adeo fuisse resolvendam. At male, ac ignoranter dixerunt; etenim suo subtilissimo ingenio bene cognoscebat fidem humanam esse fallibilem, & per consequens non posse fidem divinam in humanam resolvi, manibus tetigit, salva infallibilitate divinæ fidei. Quomodo autem fallibilis sit fides humana, modo dicam, *omnis homo mendax*; ergo, &c.

26 Et quidem in assignando obiectum formale fidei multum laborant Theologi, ob varietatem opinionum. Alij namque dicunt, obiectum fidei resolvi in Dei auctoritate revelantis.

Alij

Alij verò non solum in hac, sed etiam in testimonium divinum, quod Spiritus Sanctus causat in nobis, mediante lumine fidei. Alteri in auctoritate Ecclesiæ, multi in comunem consensum omnium fidelium simul convenientium in eadem fide, & unusquisque horum multa pro se adducit principia, & argumenta, & quamvis omnes videantur in hoc convenire, nempè, quod ratio formalis sub qua obiecti fidei esse Deum ipsum, quatenus est prima veritas, nihilhominus, quia ipsa prima veritas dupliciter sumi potest, nempe uno modo, prout est, scilicet veritas prima in essendo, qua ratione denotat veritatem trascendentalem, ut supradixi, eo quod cum Deus sit primum ens, eo ipso etiam est prima veritas. Alio modo prout videlicet est prima veritas in dicendo, sive in loquendo, qua ratione per primam veritatem intelligitur perfectio illa, ratione cuius, Deus non potest fallere, neque falli, quare tota difficultas est, qua ratione ex hijs Deus sit formale obiectum fidei, ut prima veritas, modo queritur.

27 Prima sententia tribuitur Aureolo 3. dist. 24. art. 2. in fine, & tuetur à Caietano 2. 2. quæst. 1. art. 1. asserit namque, obiectum formale fidei esse Deum sub ratione primæ veritatis in essendo, & consequenter sub ratione deitatis, quia Deus, ut Deus, est idem quod Deus, ut verus, atquè adeò obiectum formale fidei dicit Aureolus loco citato. Sed meo videri melius Caietanus loquitur, dum pro obiecto formali fidei assignat Deum, prout est prima veritas, ratio est eiusdem; quia cum fides sit virtus intellectualis, undè ad hoc explicandum, nempè, ut virtus intellectualis sit, explicari debet per primam veritatem, tamquam per obiectum proprium, tribuens actui, & habitui infallibilitatem, & per consequens esse intellectualis virtutis, quid clariùs, & certiùs in hac re sit tenendum, infra dicam, pronunc.

28 Advertendum est, quod sicut in alijs scientijs quando quæritur, in quo resolvatur conclusio? quæstio semper procedit de quatuor generibus causarum; nempè, materiali, for-

mali

mali, efficiente, & finali, v. g. quæro, in quo ultimo resolvatur Conclusio habita per demonstrationem, certè non respondebitur mihi, nisi assignando rationes omnium causarum, etenim ibi omnes causæ concurrunt, undè tamquam in causam formalem conclusio resolvitur in medium: nam ipsum est causa assentiendi; causa autem efficiens sunt præmissæ simul concurrentes, ipsæ autem mediante medio, tamquam per rationem formalem, efficienter producunt assensum conclusionis, in præmissis autem, non ut ipsæ simul concurrunt, sed prout ipsæ sunt constantes ex subiecto, & prædicato, ex quibus, tanquam ex partibus, conficitur demonstratio, tanquam in causam materialem conclusio resolvitur. Si verò quæratur de causa finali, attendendum est ad scientiam, si est nempè practica, aut speculativa, vel ad finem scienits, etiam hac ipso modo phylosophandum est in resolutione fidei, quando quærimus, in quo ultimo fides divina resolvatur, nam eadem modo potest procedere quæstio, nempè, an in genere causæ formalis, materialis, efficientis, aut finalis, undè cum distinctione procedendum est, pro decisione ergo nodus difficultatis sit.

29 Conclusio 1. Obiectum formale fidei divinæ est prima veritas revelans activè, hoc est, nostra fides in genere causæ formalis resolvitur ultimo in primam veritatem revelantem.

30 Probatur conclusio, quæ meo videri est etiam Divi Thomę hic 2. 2. q. 1. art. 1. in corpore. Tenet etiam Exparza lib. 6. de virtutibus Theologicis q. 5. cum alijs innumeris. Probatur igitur breviter hæc prima posita conclusio. Illud est obiectum formale fidei divinæ, propter quod nos fideles credimus materiale obiectum ipsiusmet Fidei Divinæ; atqui illud credimus propter primam veritatem revelantem, sive dicentem, tamquam per rationem formalem, quæ nec potest falli, neque fallere; ergo prima veritas revelans, nempe Deus sub tali ratione formali consideratus, est obiectum formale Fidei Divininæ. Consequentia sequitur, quia omnis assensus resolvitur ultimo in id, ex quo suum principium per se certitudinem sumit (loquor

hic de primo principio resolutionis formalis, & de ultimo, in quo sistit.) Vltimo enim assensus fidei semper in Deum, prout est prima veritas revelans, resolvitur, & in eo sistit; ergo, &c.

31 Probo 2. Obiectum formale fidei divinæ illud sine dubio est, quod nos movet ad credendum ipsi Deo; sed veritas est illa ratio formalis, quæ nos movet ad Deum ipsum credendum, ergo veritas, sivè Deus veritatem revelans est obiectum formale divinæ fidei. Maior propositio patet per se, minor ostenditur. In tantum alicui homini credimus, in quantum putamus veritatem dicere, & numquam mentiri, & talem opinionem de illo habemus, & si talis opinio de eo non sit nobis, illi non credimus: ergo quando nos Deo credimus in tantum credimus, in quantum credimus esse veracem, & quod veritatem dicat infallibiliter, & ex eo, quia cum sit summè bonus, & ipsa veritas prima non potest fallere, neque falli; ergo prima veritas revelans est obiectum formale fidei divinæ.

32 Probatur iterum conclusio. De ratione fidei in communi, est ut fundetur in auctoritate dicentis: ergo de ratione fidei divinæ est, ut ipsa initatur auctoritate Dei revelantis; auctoritas autem Dei nihil aliud est, quàm veritas, ac fidelitas in revelando: ergo prima veritas revelans est obiectum fidei divinæ.

33 Probo etiam auctoritate D. Thomæ, qui cum de veritate q. 14. art. 8. ad 16. ait enim ipse Sanctus Magister, quod testimonium primæ veritatis se habet, ut principium in scientijs demonstrativis: ergo prima veritas, ut relevans, est principium formale, quo fides assentire habet, quod confirmat in 3. dist. 29. q. 1. art. 2. ad prim.

34 Etiam ex Sacra Scriptura patet veritas nostræ conclusionis. Ioannis namque 1. habemus, *vidimus eum quasi Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*, & deindè subdit, *de plenitudine eius omnes accepimus*, etenim *lex per Moysen data est, gratia, & veritas, &c.* ergo ratio formalis sub qua obiectum materiale fidei divinæ credimus, est prima veritas revelans cum infallibiliter certum.

35 Con-

35 Conclusio 2. in genere causæ efficientis, id in quo ultimo resolvitur fides nostra divina, est lumen internum, & Spiritus Sancti motio; hæc enim in genere causæ efficientis causat in nobis assensum fidei.

36 Probo primo auctoritate Evangelica, ibi enim in Evangelio habemus: *Qui credit in Filium Dei, habet Testimonium Dei in se*; hoc est, in se habet rationem, undè credat Deo testificanti, nempe lumen fidei, quod Deus infundit in cordibus nostris, quo cognoscimus credibilitatem mysteriorum, & inclinat ad credendum, cuius luminis, & cognitione interventu Deus efficienter movet intellectum nostrum ad assensum fidei; quod est etiam sensus D. Augustini 11. defensionum c. 3. undè ad hunc propositum bene dixit Apostolus ad Ephesios 2. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est*.

37 Ratio autem postea formalis est, quia ego non credo Deum esse trinum propter hoc lumen, tamquam per causam formalem, aut materialem, vel finalem rationem; aut per rationem efficientem, sed per testimonium primæ veritatis revelantis, tamquam per rationem, sive causam formalem *sub qua*, sive obiectũ *quo*

38 Conclusio 3. fides divina, sive catholica resolvitur, tamquam in causam materialem, in Ecclesiam proponentem id, quod nos credere debemus.

39 Pro intelligentia maiori advertendum est: quod, & si donum Spiritus sancti, utpote lumen supernum fidei, æqualiter inclinet nos ad assensum mysteriorum fidei, itaut non inclinent ad unum per se primo, & deinde ad aliud, quasi quod certitudo unius ex alio habeatur; sed ad omnia æqualiter; aliàs talis assensus fieret per discursum, atque adeo esset syllogisticus, ac theologicus. Verum est nihilominus, quod inter Articulos Fidei, unus est inter alios (loquendo quoad nos) in quo tamquam in virtute continentur, & est; v. g. *Ecclesia regitur a Spiritu sancto*, ex hoc articulo consequentiæ omnes deducuntur, nam rectè sequitur, Ecclesia regitur a Spiritu Sancto, & Ecclesia docet Deum esse trinum, & unum; ergo Deus est trinus, & unus.

40 Pro-

40 Probo modo ratione, omnes dispositiones, quæ sunt in materia, sivè parte perfectibili ad introductionem formæ seu partis perfectivæ, se tenent ex parte materiæ sive partis perfectibilis, & conditionem, sivè rationem illius inducunt, quapropter ad genus causæ materialis reducuntur. Cum ergo ad assensum fidei necesse sit, ut intellectus disponatur, & voluntas, eo quia durus est intellectus ad assentiendum rebus non visis, & voluntas prompta est ad decipiendum, sicut dura alijs ad credendum; hinc est, quòd talia impedimenta tolli debent, ut lumen internum fidei officium suum exercere valeat, nempè ut illuminare possit, ad Ecclesiam autem hoc impedimentum tollere spectat distinguendo, proponendo, & explicando ea, quæ credenda sunt. Qua de causa dicimus, quod Ecclesiæ authoritas proponens, distinguens, &c. se habet in fidei assensus tanquam causa materialis; unde loquendo in genere causæ materialis benè dixi, quod resolutio assensus fidei divinæ fit in Ecclesia, &c.

41 Conclusio 4. In genere causæ finalis. Finis, & scopus fidei nostræ est coniungere cum Deo intellectum nostrum in ratione cogniti supernaturaliter, prout patitur nostræ conditionis peregrinatio. Conclusio hæc certa est, & apud omnes satis manifesta, nec ab aliquo negatur, quare in illius probatione non immoror.

42 Obijcies 1. Contra primam conclusionem. Sic enim argumentantur contrarium sentientes. Etsi assensus fidei resolvatur in primam veritatem revelantem, ultimò tamen resolvitur in ipsum Deum, sive deitatem in qua veritas fundatur prima: ergo falsum est, quod obiectum formale fidei sit prima veritas revelans.

43 Respondeo; distinguo antecedens, quoad secundam partem illius resolvitur in ipsum Deum, sive deitatem, tamquam in obiectum materiale *quod*, concedo: tamquam in obiectum formale *quo*, nego; & nego consequentiam; nam assensus fidei ultimo debet resolvi in eo, quod facit Articulos Fidei credibiles,

quia

quia non ideo Articuli Fidei sunt credibiles, quia a Deo, ut sic, sunt revelati, sed ideo sunt infallibiliter credibiles, quia revelati sunt a Deo, ut veritas infallibilis est; quamvis enim obiectum Theologiæ Dei, & Beatorum sit Deus in se; tamen obiectum Thæologiæ nostræ non est Deus, ut Deus reduplicativè, nempè sub ratione deitatis, sed primæ veritatis credibilis nobis revelantis. Vnde deduco, quod obiectum formale utriusque est prima veritas revelans, quamvis diverso modo; nam fidei assensus fertur in aliquem articulum, qui immediatè in se revelatus est, assensus autem theologię fertur in conclusionem, quæ in se non est immediatè revelata, sed solum per bonam consequentiam, ex aliqua præmissarum deducitur, quæ immediatè in se revelata est. Vnde se habent fides infusa, & nostra Theologia tamquam habitus principiorum, & conclusionum: Theologia enim supponit principia in se revelata, ut sunt Articuli Fidei, & ex eis deducit suas conclusiones.

44 Instabis: veritas fundatur in deitate; ergo nulla responsio. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam, nam etiam alia attributa fundantur in deitate, & tamen effectus illorum non tribuitur deitati, prout deitas est, sed ipsis attributis; v. g. creare Omnipotentiæ, punire Iustitiæ, misereri Misericordiæ, &c. Deus enim non creat, ut Deus, sed ut omnipotens; non miseretur, ut Deus precisè, sed ut misericors; premiat, aut punit, non ut Deus, sed ut Iustus.

45 Obijcies 2. si quis; v. g. interroget Petrum fidelem, & dicat illi, quare, Petre, credis Articulos Fidei? Sanè Petrus respondebit interroganti, credo quia Deus mihi revelavit illos, & si iterum interroget ipsum Petrum; quare credis Deo revelanti? Sine dubio respondet Petrus, quia Deus est prima veritas; & si tertio quærat a Petro, quare, Petre dixisti, quod Deus est prima veritas? Certè dicit Petrus, quia Deus habet naturam infinitè perfectionis; ergo assensus fidei non resolvitur in primam veritatem revelantem, sed in deitatem ipsam.

46 Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam,

Nam

Nam hic quæritur de prima ratione formali credendi revelatis; quia ſemper ultima ratio eſt illa, in quam aſſenſus fidei reſolvi ultimo debet, non quæritur hic de ultima ratione eſſendi veritatis revelantis. Vnde ſi quis quærat, quare Deus eſt prima veritas, & dicat, quia Deus eſt, non rationem aſſentiendi aſſignat, ſed eſſendi primæ veritatis. Quemadmodum ſi ego quærerem a Caio, quare videat Petrum? Abſque dubio dicet, quia coloratu eſt Petrus; at ſi ulterius dicam, quare coloratus eſt, ſanè dicet, quia conſtat ex mixtione elementorum qualitatum primarum, unde iam patet, non amplius quærere de ratione formali videndi, ſed eſſendi colorati.

47 Obijcies 3. prima veritas revelans eſt obiectum materiale, quod fidei divinæ; ergo nullo modo poteſt eſſe obiectum formale eiuſdem fidei divinæ; etenim obiectum materiale, *quod* eſt id, quod creditur, ſed non minus creditur prima veritas revelans, quam credatur omnipotentia, & iuſtitia; ergo ſi iuſtitia, & omnipotentia Dei, &c. ſunt obiectum materiale, *quod* fidei divinæ; igitur, & prima veritas revelans obiectum ſimiliter *quod* materiale eiuſdem fidei erit, atque adeo nullo modo dicta veritas prima revelans obiectum formale erit, aut poterit eſſe.

48 Reſpondeo, nego antecedens, ad probationem antecedentis dico, quod obiectum materiale eſt illud, non quod creditur, ut ſic, ſed quod creditur propter aliud, nempe per obiectum formalem, quod quidem formale obiectum, prout demonſtratum eſt, eſt prima veritas revelans, quod quidem formale obiectum non creditur propter aliud, ſed propter ſe: eſt tamen ratio formalis, ut cœtera obiecta partialia, *quod* credantur. Sit exemplum: Trinitatis Myſterium eſt obiectum materiale fidei, quia creditur per primam veritatem revelantem, at prima veritas revelans eſt obiectum formale, quia non creditur propter aliud, ſed propter ſe, & ſimul eſt ratio credendi aliud, quod idem evenit in moralibus; media enim amantur propter finem; finis autem amatur propter ſe, non ratione alterius.

49 Obiicies 4. habitui fidei in patria succedit lumen gloriæ, sive visio beatifica : atqui obiectum formale luminis gloriæ, seu beatificæ visionis est Deus, ut Deus, sive sub ratione deitatis ; ergo secundum eandem rationem erit obiectum formale fidei, quod totum confirmatum remanet ex eo, quod essentia Dei, & veritas eius sunt idem omnino realiter, formaliter ; ergo si unum istorum est obiectum formale fidei ; erit, & aliud. Tum quia cum fides sit virtus theologica, sequitur quod habeat Deum pro obiecto formali.

50 Respondeo, negando paritatem ; ratio disparitatis est, quia visio Dei beatifica est visio intuitiva rei præsentis, & propterea Deus, ut Deus, qui ut talis intuetur, est obiectum formale visionis beatæ, & luminis gloriæ ; at notitia credibilium, quæ per fidem habetur, generatur in nobis, non per intrinseca ipsius Dei, sed per extrinseca, nimirum per auctoritatem ipsius Dei revelantis, hinc est, quod fides nititur in authoritate divina, ut est prima veritas revelans. In qua re tamen advertendum est, quod quando ego dico, Deum sub ratione deitatis esse obiectum immediatum visionis beatificæ, non intelligo dicere, quod divina essentia in se, & secundum se, immediatè moveat intellectum beati, quia non movet nisi ut volens, sed mediante divina voluntate ; ut, et Theologi Magistri primæ famæ asserunt. Ad adiunctum adversariorum negatur consequentia, sicut enim in Deo ob distinctionem virtualem inter attributa, & divinam essentiam verificantur de facto huiusmodi propositiones, nempe quod Deus iustitia punit, & non miseretur, & è contra, intellectu generat, non voluntate, voluntate spirat, non intellectu; ita a pari, per distinctionem veracitatis, saltem virtualem, ab ipsa deitate verificabitur, quod Deus per suam veracitatem sit obiectum formale fidei, non vero per suam deitatem, ut sic. Ad ultimum adiunctum, sive confirmationem, nego consequentiam ; nam licet omnes virtutes thæologicę versentur circa Deum, tamquam obiectum materialem suum, valde, & non parum differunt in obiecto formali, &c.

51 Obij-

51 Obijcies 5. multi crediderunt Christum esse Deum, non per primam veritatem revelantem, sed ex miraculis factis ab ipso Christo, unde ipsemet Christus Ioann. 37. dixit: *si non facio opera Patris mei nolite credere mihi, si autem, &c. facio, &c. si michi non creditis, operibus credite*; ergo obiectum formale fidei, saltem in tali casu, non est prima veritas revelans, sed miracula Christi Domini.

52 Respondeo, & dico; quod in credentibus in tali casu possunt tria cosiderari; nempe iudicium, intellectus, quo iudicabant prudenter credi posse, Christum esse Deum, & hoc iudicium quidem nitebatur miraculis ab ipso factis. Secundo piè voluntatis affectio, qua cupiebant credere, Christum esse Deum. Et hæc pia affectio, excitabatur in illis ex auxilio gratiæ actualis, qua Deus movebat eorum voluntates, ut vellent credere. Tertiò consideratur ipse actus credendi, sive actualis assensus fidei, quo re ipsa credebant, Christum esse Deum, & his assensus nitebatur in revelatione primæ veritatis, quæ quidem revelatio faciebat hunc obiectum infallibiliter credibilem; nam Deus, qui est veritas infallibilis, & prima veritas, revelabat eis Christum esse Deum, ut habetur Matthæi 17. *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; unde melius, & clarius dico, quod obiectum materiale fidei, *quod* creditur duobus modis fit credibile: primò per miracula, & ista faciunt, ut prudenter credi possit, &c. Secundo per revelationem primæ veritatis, & hæc facit, ut infallibiliter credi valeat, ita potest esse iudicium intellectus rerum iudicando, quod ex miraculis prudenter credi possit. Secundò iudicando, quod infallibiliter credi possit, primum est naturale, & evidens, secundum est supernaturale, & obscurum, ut bene consideranti patent omnia.

53 Obijcies 6. Stante posita conclusione prima, & stantibus datis responsionibus, sequeretur, quod si assensus fidei divinæ ultimò resolveretur in primam veritatem revelantem, formaliter daretur circulus, hoc non est admictendum; ergo neque conclusio posita admictenda est; Etenim credimus Deum verum

dicere,

dicere, quia verax est; & econverso credimus illum esse veracem, quia ipse dixit, veracem esse, ubi videtur apertè, quod committitur circulus manifestus. Deinde cum revelatio cuiusqunque dicti à Deo non sit ex se evidens, non potest seipsa parere suimet assensum, sed motivum habere debet inclinans ad assensum prædictum, & illum causans: vel igitur talis assensus in humanam fidem reducendus est, quod iam refutatum est; vel rursus in circulum labimur; quia cum quis interrogatur, quare credat? certè respondet, quia Deus dicit, & si iterum interrogetur, quare credat Deum dicere? Respondet; quia Ecclesia proponit: quod si ulterius interrogetur idem, quare Ecclesiæ proponenti credat? Respondet sine dubio, quia Deus dicit credendum esse Ecclesiæ proponenti; & ecce circulus. Quod si dicat, Ecclesiæ proponenti credendum esse, quia ipsam iudicat esse fide dignam, iam videtur, quod tota certitudo fidei divinæ reducatur in humanam fidem, &c. hæc, lector benigne, est illa difficultas maxima in hac materia, quæ diu torsit omnium Theologorum ingenia, & in quod, tanquam in ultimum finem, fiat resolutio nostræ fidei divinæ; hoc est, quod nam sit ultimum principium, in quo reduci debeat assensus credentis; si interrogetur, quare hunc vel illum articulum credat, & pertinet ad hanc controversiam de obiecto formali fidei, in quod ultimò resolvitur assensus supernaturalis fidei.

54 Respondeo, nego maiorem, & ad probationem dico, quod nullam in illis interrogationibus circulum committitur. Quamquam enim sit necessaria propositio declaratoria Ecclesiæ, & humana fides ad credendum; non potest tamen ipsa fides humana esse ratio formalis, inqua summa, & infallibilis certitudo nostræ fidei resolvatur, sed solum se habet tamquam antecedens dispositio, vel conditio ad assensum fidei ex propria ratione formali eliciendum, nec testimonium Ecclesiæ esse potest primum principium in quod, tamquam in causam formalem, sui assensus fides divina resolvatur; nam dicenti, se credere Deum esse unum, & trinum, propter Ecclesiæ testimonium, si ite-

rum

rum interrogetur, quare Ecclesiæ testimonium credat esse infallibilem, respondendum restat, nempè, quia prima veritas dixit, & hoc principium primum revelavit, unde omnia cadunt, tanquam supra materiale obiectum, præter hoc, nempè, prima veritas revelans, & cuncta, præter hanc, quæ est obiectum formale, se habent veluti materiale obiectum, vel tamquam dispositiones ad formalem obiectum; prout dixi supra, cum de causis assensus fidei in hac subsectione à n. 34. usquè ad 41.

55 Vnde fidem humanam naturalem esse dispositionem ad supernaturalem, aliquo modo certum est ad hoc, ut etiam circulum vitemus, & dependentiam fidei, sive assensus fidei divinæ a cognitione naturali, sed solum ab ipsa est tamquam a prævia dispositione; immò ipsamet existentia revelationis simili modo se habet circa dictum assensum; non tamen sequitur, quod una revelatio credatur per aliam revelationem, sed revelatio Dei immediatè creditur, propter seipsam, ob connexionem quam habet cum propositione Ecclesiæ facta cum sufficientibus motivis, de quibus fortassis infra.

56 Deducitur ex hoc, quod alius sit assensus, quo creduntur Mysteria nostræ fidei, sive veritas dictorum Mysteriorum creditur, ab assensu quo veracitas Dei credirur, & revelationis illorum existentia, ut notat Cardinalis de Lugo hic disput. 1. sect. 7. etenim primus se habet ad modum conclusionis mediatus; sicut enim cognoscimus hominem esse Risibile, quia est rationalis; sic credo Deum esse trinum, quia prima veritas revelat, &c. Alter verò assensus est ad modum principiorum immediatus. Quemadmodum enim ego scio hominem esse Animal Rationale, non ex alio principio scio, sed solum ex cognitione horum terminorum, qui immediatam dicunt connexionem; sic credo Deum revelasse, se esse trinum, non quia revelavit, se revelasse, sed quia inter motiva extrinseca ex quibus credenda proponuntur ab Ecclesia nostræ fidei Mysteria, & divinam attestationem, est talis connexio, ut intellectus certò cognoscat, quamvis obscurè, illam esse divinam revelationem. Quare fit,

ut ultima nostræ fidei resolutio non fiat, neque in auctoritate Ecclesiæ proponentis, neque in motiva extrinseca, quæ illa proponit pro credulitate Mysteriorum fidei, aliàs prima radix fidei esset quid merè naturale; sed in divinum testimonium consistit, quamquam obscurè cognitum in propositione Ecclesiæ cum talibus motivis; creditur enim Deum esse trinum, quia prima veritas revelavit, at quod revelaverit, neque scio evidenter, neque per aliam revelationem, sed immediatè credo ex modo, quo proponitur credendum; quomodo probat pluribus Sacræ Literæ locis Cardinalis de Lugo citatus supra.

57 Obijcies 7 assensus fidei ultimo resolvitur in Ecclesia; ergo falsa conclusio, probatur antecedens, etenim quærenti, quare credis Articulos fidei? Respondetur; quia Deus revelavit, & querenti, quare credis, quod Deus revelaverit? &c. Respondetur, quia hoc dicit Ecclesia; ergo ultima resolutio assensus fidei fit per Ecclesiam.

58 Respondeo, nego antecedens; ad probationem antecedentis negati. Dicendum est, quod tripliciter credi potest, Deum revelasse aliquod Mysterium Fidei: primo (ut iam tetigi) propter se, & hic est assensus fidei theologicæ, de quo modo est sermo; Secundo propter auctoritatem Ecclesiæ dicentis, & tunc non est assensus fidei theologicæ; sed alterius fidei inferioris ordinis; Tertiò propter auctoritatem hominis, & tunc dicitur assensus fidei humanæ: quapropter primus assensus, ita explicatur. Credo Deum hoc revelasse, non propter aliud, sed propter se immediate; Secundus ita explicatur. Credo hoc Deum revelasse, quia Ecclesia dicit; Tertius ita pronunciatur: Credo Deum hoc revelasse, quia homo dicit hoc; unde primus in authoritate Dei; Secundus in authoritate Ecclesiæ; Tertius in authoritate hominis, &c.

59 Obijcies ultimò: Deus, ut Deus, est obiectum Theologiæ; ergo non potest esse obiectum fidei; atque adeò nulla conclusio.

60 Respondeo, dicendo, quod obiectum materiale potest

esse

esse obiectum similiter materiale plurium scientiarum, quamvis non formale, sub eadem formalitate, quod evenit in casu, de quo agimus. Deus, ut Deus, & quicquid refertur ad Deum, tamquam ad finem, est quidem obiectum Theologiæ, & Deus, ut Deus, & quidquid credibile est in ordnem ad Deum, est obiectum materiale fidei; non tamen eundem obiectum formalem habent.

SVBSECTIO IV.

An necessario requiratur fides humana ad fide divina credendum; & non visum sit ratio formalis obiecti fidei, deciditur.

61 TItuli præsentis duples est difficultas, prima videlicet est, an ad assensum fidei divinæ necessario debeat præcedere assensum fidei humanæ condistinctus ab assensu fidei divinæ. Secunda, an obscuritas rei credendæ sit ratio formalis obiecti fidei, an vero sit tantum conditio, quæ quidem difficultates non sunt parvi ponderis, & ideo magni laboris, per diversas conclusiones enodabuntur tamen, Deo dante, utinam a Deo mihi concessum sit lumen necessarium, ut ex corde peto.

62 Certum est, quod ad assensum fidei divinæ requiritur propositio obiecti credibilis, sicuti in assensu principiorum naturalium requiritur solum principiorum propositio, & terminorum explicatio, non requiritur autem auctoritas proponentis, sicut nec in assensu scientifiico, quapropter quæritur hic, an in assensu fidei divinæ aliter contingat, quam in assensu scientiæ, vel principiorum. Quoad aliam partem quæstionis difficultas procedit, an obscuritas obiecti cadat supra rem revelatam, nempe quod ita obscura sit, ut prout est in se, vel a revelante clarè non reveletur, & de hac obscuritate quovis modo accepta, quæritur; an sit de ratione formali assensus obiecti formalis fidei divinæ, totum hoc negocium breviter absolvam per plures conclusiones quare sit.

63 Conclusio 1. assensus fidei humanæ condistinctus ab assensu divinæ fidei requiritur in communi, & humano modo credendi fide divina, & hoc, tamquam conditio præcedens, & dispositio; ita Sanctus Thomas, & ferè omnes moderni cum ipso hic sentire videntur, ut legentibus videre est.

64 Probo conclusionem experientia, nemo est qui eliciat actum fidei divinæ, quin, aut testimonio magistri, vel parentum; aut signo aliquo, vel miraculo, trahatur ad credendum divina fide; quia nomine assensus divinæ fidei venit hic aliquis motivus probabilis rationis, & hoc ex tempore Apostolorum usque modo certum est. Non enim sumus in demonstrationibus, ubi declaratis terminis, unusquisque præbet assensum, quamvis apud audientem nulla sit Magistri auctoritas: unde motivum Traditionis Mysteriorum vocatur ab aliquibus introductio ad fidem. Quare puto, quod R. P. meus Vega in Concilium Tridentinum lib. 6. cap. 7. non benè dixerit, quod aliquando proposita solum propositione de fide, quis illam credat divina fide: quoniam si hoc esset verum; maximè esset in filijs familias authoritatate patris, & rusticus parochi authoritate moveatur.

65 Conclusio 2. non visum in intellectu pro aliqua ratione, sive medio assentiendi, quod talis est naturæ, ut non manifestet evidenter obiectum, utique non visum pertinet ad obiectum; seù ad formalem rationem, ex parte fidei divinæ.

66 Est hec conclusio apud omnes Theologos manifesta est, & patet ex definitione fidei supra tradita ex authoritate Apostoli Pauli; etenim *est argumentum non apparentium*, *rerum sperandarum substantia*, nempe fides est rerum sperandarum, quarum veritas non apparet, nec evidenter cognoscitur; quare ab aliquibus cognitio fidei divinæ, utpotè ab Apostolo Paulo vocata fuit, *cognitio per speculum in enigmate*, ut videre est Corinth. 13.

67 Ratio vero a priori est, quia revelatio divina est medium, per quod assentimur in dicendo, quod sit verum id, quod per fidem divinam credimus. Igitur sicuti divina revelatio, quia non videtur, nata est ex sua natura non manifestare clarè obiectum,

& sic

& sic est obiectum formale fidei, ita & non visum pertinebit ad eundem obiectum formale eiusdem fidei divinæ, dummodo sumatur pro tali modo assentiendi.

68 Conclusio 3. actualis evidentia divinæ revelationis, & consequenter rei a Deo revelatæ, si separetur ab actuali evidentia primæ veritatis, potest esse simul circa idem in eodem cum assensu divinæ fidei.

69 Defendit hanc conclusionem Turrianus disput. 9. dubit. 4. & etiam Meratius disput. 3. sect. 4. quæ quidem conclusio probatur sic. Angeli dum erant in via, habuerunt fidem divinam rerum, &c. ergo necessario cognoverunt certè, & evidenter propositionem sibi factam, esse rerum credendarum, at cognoverunt evidenter ex illa revelatione Deum esse, qui ipsis, aut solus, aut ut auctor principalis, illis eos revelabat; ergo hæc evidentia divinæ revelationis, & rei in Deo ipso revelante seclusa alia evidentia actuali primæ veritatis simul esse possunt cum assensu dvinæ fidei circa rem eandem. Ratio est potissima, quia Angelus dum in via habuit evidentiam alicuius Mysterij supernaturalis, in Deo attestante, habuit etiam tunc infusam notitiam alicuius obiecti superni, cuius obiecti etiam fidem habuit; quod totum hic suadetur. Primus Angelus potuit tunc evidenter cognoscere, & de facto cognovit, Deum esse causam principalem illius revelationis sibi factæ ad hoc, ut ipse moveretur ad credendum supernaturali fide, & simul cognosceret, se ad credendum obligari, quia Angelus evideuter potuit cognoscere dictam revelationem talis Mysterij non esse sibi impressam ab alio Angelo: quoniam nullus Angelus erat superior illi, cum ipse primus fuisset.

70 Tum, quia illa revelatio fuit obiecti supremi, nempè Mysterij supernaturalis: atque adeo non ab aliquo creato, sed ab ipso Deo debebat in primis tamquam ab authore effectus supernaturalis. Non enim poterat cognoscere sibi talem revelationem fuisse impressam ab aliquo creato, ut a causa principali; quia res sibi revelata supernaturalis erat, ordinem, & capacitatem

naturæ consequenter excedens; ergo ab ipso Deo primo ente cognovit, sibi esse impressam; ergo habuit Angelus simul evidentiam Mysterij revelati, ita attestante, simul cum assensu fidei.

71 Et hoc totum non solum est verum de primo Angelo in primo instanti sui esse; sed quilibet Angelus habuit evidentiam testimonij summi Dei, & per consequens evidentiam habuit Mysterij revelati, seù obiecti revelati in attestante Deo; nam quilibet Angelus novit talem impressionem, non potuisse sibi fieri ab Angelo superiore; nam res revelata, excedebat capacitatem creatam, quoad suum esse.

72 Confirmo totum exemplo clarissimo. Si quis v. g. ut persuaderet Mysterium Trinitatis, nempe unitatem naturæ in tribus personis, & personarum Trinitatem in unam naturam. Si quis, inquam, ad persuadendum tale, ac tantum Mysterium, impetraret a Deo alicuius mortui resurrectionem, in confirmatione tanti Mysterij: his procul dubio, & alijs generaret evidentiam dicti Mysterij Deo attestante veritatem Mysterij Trinitatis, &c. eo quia miraculo illo probaret Deum, qui non potest mentiri, nec fallere, nec falli, attestari Mysterium Trinitatis, quia Deus non potest causare miraculum propter confirmationem falsæ doctrinæ; ergo, &c.

73 Obijcies 1. contra primam conclusionem supra positam in hac subsectione num. 60. quamvis omnes homines simul dicerent, quod v. g. Trinitas personarum in divinis non datur, nec unitas naturæ: non esset tamen recedendum a divina revelatione, nec ab eo, quod per fidem divinam iam creditum est; ergo humana fides non est necessaria dispositio ad hoc, ut fides divina conservetur: ergo, nec necessaria erit, tamquam dispositio, ad hoc, ut dicta divina fides in nobis introducatur.

74 Respondeo, negando suppositum; nam illa conditionalis est falsa; non enim debet supponi, quod tota Ecclesia fateatur id, quod verum non est: quare Christus Dominus aliquando dixit Petro Apostolo suo, & iam caput Ecclesiæ ab eo constituto, *rogavi pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*, nec supponitur,

tur, quod Ecclesia Catholica a Christo fundata, & a Spiritu sancto gubernata per suam continuam assistentiam, doceat homines id, quod est contra divinam veritatem, quando, ut dixi, ipsa gubernatur a Deo, qui nec fallere, nec falli potest.

75 Respondeo 2. & dico; quod si supponamus primum assensum fidei, a quo nullo modo discedere debemus, verè fuisse divinæ fidei per iudicium prudentem fidei acquisitæ productum, nullo modo utique licet a tali consensu discedere; iudicium enim prudens fidei acquisitæ necessarium est ad primum divinæ fidei assensum.

76 Objicies 2. contra eandem conclusionem, detur casus, ut qu s fidelis nolit credere, etiam si illi proponantur aliquæ rationes; & tamen postea potest moveri aliquo miraculo ad credendum, &c. sed in tali casu non videtur præcedere actus fidei acquisitæ, quia iste non credit per proponentem sibi, sed per miraculum; ergo fides humana non est necessaria, tamquam conditio, ut præcedat assensum fidei divinæ,

77 Respondeo, dato, quod supponitur, adhuc nego consequentiam; etenim illud miraculum stat loco proponentis: nam sive res credenda, proponatur per personam, sive per miraculum, sive per signum semper proponitur, unde iste asssensus vocatur: nam, & si videatur ratio assentiendi, non tamen videtur materiale obiectum, & cum non sit fides divina infusa, vocatur fides humana acquisita. Exemplum do, quod si non habet æqualitatem adæquatam, tamen aperit mentem legentis valdè: in iure enim habemus, quod debeat fieri citatio quando proferenda est sententia, &c. Et hoc per mandatum, &c. at aliquando, quia est dies statuta, in quo sententia ferenda est, & partibus talis dies notus est, non requiritur necessario citatio, quia dies interpellat pro homine; undè illa dies assignata vocatur humana, & legalis citatio, etiam si per hominem, sive mandatarium non sit facta, ita de illa fide per miraculum phylosophandum est, nam si non proponatur Mysterium, sive res credenda ab homine, proponitur a miraculo, quod loco hominis pro-

ponit,

ponit, atque adeo est fides humana, quæ tamquam dispositio, prædictum consensum causare suo modo habet, atque adeo mea conclusio vera est.

78 Ratio autem, quare requiratur fides humana, ut prævium quid ad assensum fidei divinæ, est, quia facilius videtur, quod talis assensus fidei divinæ elici possit, dum habetur motivum clarum, nempe, vel ut quis proponat, vel ex miraculo viso, &c.

79 Obijcies 3. contra secundam conclusionem in hac subsectione præsenti positam num. 62. nec non contra tertiam positam ibidem num. 65. principia evidenter cognita, evidenter necessitant intellectum ad præstandum assensum, qui non potest, non esse evidens, dum producitur a duobus principijs evidentibus; sed assensus fidei non potest esse evidens: ergo talis assensus repugnat cum evidentia principiorum. Probant antecedens, quotiescumque habeo evidentiam in Deo attestante, & quod Deus sit prima veritas, quæ non potest mentiri; ex vi horum duorum principiorum concluditur evidenter, qnod verum est id, quod dicit Deus, quia evidens est, verum esse totum id, quod dicit, atqui evidens est, Deum dicere esse trinum: ergo evidens est Deum trinum esse. Maior propositio est lumine naturali nota, minorem sic suadere habent impugnantes: qui habet evidentiam in attestante, si consensus ex tali attestatione deducatur, evidens erit: ex evidenti etenim, non nisi evidens deducitur.

80 Respondeo breviter longissimo argumento, & dico, nego consequentiam, nam syllogismus non est rectè illatus, quia ex illo antecedenti; ergo evidens est, Deum esse trinum, falsum est, sed debet sic dici; ergo evidens est testimonium Dei de Mysterio Trinitatis, est verum, &c.

81 Neque benè loquitur Suarius disput. 3. sect. 8. puncto 3. nempe, quod cum assensus fidei debeat esse liber, in casu nostro fuisset omnino necessarius ab intrinseco, quia omnis evidentia etiam in proponente, aut testificante necessitat intellectum ad assensum, unde repugnat assensus liber, & necessarius simul;

at ha-

at haberemus assensum liberum, ut supponimus, & simul eundem assensum necessarium ratione evidentiæ; ergo simul, & semel assensum liberum, & necessarium haberemus, quod contradictionem involuit: hæc Suarius.

82 Non discurrit, inquam, rationabiliter Suarius loco citato; quoniam, quamquam assensus illius conclusionis, verum esse Deum esse trinum, & unum, etiamsi sit deductus ex illis premissis evidenter cognitis sit necessarius; quia illæ præmissæ cogunt intellectum ad assentiendum tali conclusioni; assensus nihilominus illius propositionis, *Deus est trinus, & unus*, semper est liber, cum dicta propositio in se sit inevidens, & per se obscura, ut satis potest benè consideranti.

83 Obijcies 4. Obiectum habitus positivi, & realis non potest poni, nisi secundum rationem formalem positivam, & realem, cum habitus specificetur a suo obiecto formali: atqui obscuritas, inevidentia, & non visum consistunt in aliqua negatione; ergo non visum non potest pertinere ad obiectum formale fidei, quæ quidem ratio formalis positiva esse debet. Tum, quia obiectum materiale, & formale integrant per se unum obiectum; quoniam de ratione obiecti, est, esse unum per se; aliter, ut dicunt multi, non daretur de illo scientia; quia de ente per accidens non est per se scientia dicunt isti, sed positivum, & negativum non faciunt unum per se; ergo, tanto magis, quod habitus reducitur ad suum obiectum secundum suam rationem formalem, atqui affirmatio non reducitur ad negationem, nec positivum ad negativum: ergo, &c.

84 Respondeo, distinguendo maiorem, principaliter, concedo, minus principaliter, nego, ad minorem distinguo similiter, consistunt in negativo verbaliter, concedo, in re, nego minorem, & consequentiam. Ad confirmationem illorum concedo maiorem, & minorem distinguo, positivum, & negativum pronunciatum, & in re negativum cum positivo non faciunt unum per se, concedo, negativum tantum negativè pronunciatum, in re positivum non faciunt unum per se nego, & nego consequen-

tiam,

tiam, & ad ultimam confirmationem, concedo totum: non tamen sequitur, non visum, sive obscuritatem non esse de intrinseco conceptu obiecti formalis fidei; aliàs non esset fides ex obscuris quamvis certis, sed de manifestis, & scientificis, atque adeo non esset fides, sed scientia, & sic fides non esset de obiecto credendo, sed de obiecto revelando.

85 Quæres hic unum, nempe, an revelatio primæ veritatis ad hoc ut sit formale obiectum fidei, debeat esse revelatio privata, aut publica. Pro maiori intelligentia dubij propositi adverso, quod publica revelatio est illa, quę facta est Prophetis, & Apostolis pro tota Ecclesia, & per eos per totum orbem difusa, iuxta illud, *euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Privata autem revelatio est illa, quæ uni soli fit, non pro tota Ecclesia, sed tamquam privatæ personæ.

86 Respondeo breviter; iuxta commuuem Catholicorum opinionem, & dico, quod revelatio publica sufficit, dum singulis applicatur per prædicationem evangelicam, & auctoritatem Ecclesiæ; unde dixit Apostolus Paulus, *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi*, verum est, quod requiritur interna gratia divina, sine qua nemo credere potest ea, quæ audit iuxta dictum Ioannis 6. 44. *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus (*hoc est per fidem*) traxerit eum*, unde erraverunt Hæretici, dicentes, quod præter universalem revelationem requiratur etiam particularis.

87 Verum est, quod, si fides spectetur secundum se, sufficit revelatio particularis, sive particulari personæ facta; si vero fides consideretur, ut Catholica est, quæ nititur in dicto Apostolorum, & Prophetarum, debet esse revelatio publica. Prima fuit iustificatus Abrahamus, quando credidit de filio suo, quod idem dicendum est de fide humana; tantum enim fides est, quando credo mihi dicenti tantum, ac quando credo uni dicenti, & multis, &c.

SVBSECTIO V.

Potest ne inferri ex una præmissa de fide, & altera naturali evidenti fidei assensus! Sicuti, an Deus immediatè, & per se mentiri possit quæritur.

88 CVm in difficultate quæstio præsens gemina sit, hinc est, quod quoad utramquem partem est dilucidanda, & enodanda: tanto magis, quod heæ difficultates propositæ non sunt ita parvi momenti, ut laborem parvum requirant, igitur quoad primam difficutatem sit.

89 Conclusio prima est, quod ex una præmissa de fide, & altera naturali evidenti, non potest inferri fidei assensus, est communis sententia apud omnes Scolasticos.

90 Probo conclusionem breviter. Talis assensus proveniens ex una præmissa de fide, & ex altera naturali non dependeret a fide; ergo non esset assensus fidei. Probo antecedens. Nam partim proveniret a fidei habitu, & partim a phylosophia; ergo conclusio, nec assensus conclusionis a fide dependeret; consequentia sequitur; quoniam dependeret ab habitu theologico, qui quidem habitus theologicus, partim naturalis est, & partim supernaturalis; v. g. hæc conclusio: Christus est risibilis, deducta est ex præmisa universali, utpote *omnis homo est risibilis*, & ex alia de fide videlicet, *Christus est homo*; ergo Christus est risibilis; igitur hæc conclusio neque est de fidei habitu, neque de habitu phylosophiæ; sed conclnsio habitus theologici vocari debet. Ratio est, quia conclusio de sua natura debet sequi debiliorem partem necessario, cum igitur ibi sit una propositio de fide, altera lumine naturali nota, talis conclusio de [illegible] se non potest, maior propositio est apud omnes recepta, quoniam quando una propositio est evidens, alia vero probabilis; conclusio similiter probabilis erit; & quando ex præmissis una est de fide divina, alia vero de fide humana, pariter conclusio ex illis duobus præmissis non erit de fide divina, sed de fide hu-

 mana;

mana; aliàs fieri posset, ut conclusio certior esset præmissis; quod est absurdum dicere, quoniam veritas; & assensus conclusionis in sua certitudine pendet a singulis præmissis, atque adeo non potest esse certior illis, & sic non erit assensus fidei, quia talis assensus certior fide divina esset, & certior quam sit assensus præmissæ lumine naturæ notæ. Conclusio enim semper sequitur debiliorem partem. Quare concluditur, quod ex una præmissa de fide, & altera nota lumine naturæ non potest deduci assensus fidei divinæ.

91 Conclusio 2. quæ est solutiva secundæ partis quæstionis, est. Deus de lege ordinaria mentiri non potest, tenent hanc conclusionem omnes Catholici Romani esse de fide, contra Priscillianum, & Priscillianistas, qui asserebant, Deum non solum posse mentiri; sed de facto per Prophetas suos mentitum fuisse; prout refert S. Augustinus libro de Hæresibus cap. 7. & lib. contra mendacium cap. 2.

92 Tamen Aliacensis in 1. dist. 1. quæst. 12. art. 3. Olcat. in 2. quæst. 2. Gabriel. in 3. dist. 38. conclus. 1. & alij a Suario citati tenent, Deum non posse mentiri de potentia ordinaria, posse tamen de potentia absoluta, quamvis Ricardus in 3. distinct. 24. art. 1. quæst. 3. sicut, & Durandus quæst. 2. Amicus de fide disput. 3. sect. 8. Suarius disp. 3. sect. 5. Lugus disput. 4. sect 2. contrarium sentiant; asserunt enim isti, quod neque de facto, neque de possibili, nec per se, nec per aliud Deus mentiri potest.

93 Probatur conclusio sic, mentiri nihil aliud est, secundum doctrinam communem, ac solidam, quam falsum dicere ex intentione, nempe cognoscendo quod res, quæ dicitur est falsa, & consequenter, mala, & tamen mendax ille dicere vult. Secundum doctrinam D. Augustini lib. de mendacio, mendacium de se, & ab intrinseco semper est malum, & cognitum, ut sic, sine dubio est a Deo, & ea, quæ a Deo dicuntur, cognoscuntur non solum, ut sic, sed secundum omnem ipsarum formalitatem compræhenduntur; ergo si falsum diceret ipse Deus, peccatum committeret, & in ipso Deo non est sicuti in nobis, in

nobis

nobis enim poteſt falſum a mendacio ſeparari, nam aliquando falſum dicimus, & ignoramus illud eſſe tale, atque adeo non eſt mendacium; ſed ſolum, quando ſcimus id, quod dicimus, eſſe falſum, tunc mendaces ſumus. Cum ergo Deus omnia ſciat, ſi mentiri poſſet, vel per ſe immediatè, aut mediatè, & per aliud, certè non poſſet excuſari a peccato, & ſic Deus mentiendo peccator fieret; dicendum igitur eſt, nullo modo Deum mentri poſſe, & hoc eſt de ſide tenendum, ſecundum communem Theologorum ſententiam; & puto, quod contrarium quis aſſerendo, Hæreticus reputandus eſſet, nam non poteſt in veritate ſtare mendacium, Deus enim de ſeipſo dicit, *ego ſum, via veritas, & vita*; ergo, &c.

94 Concluſio eadem probatur anthoritate Sacræ Scripturæ. Paulus Apoſtolus ad Hæbr. *6.* de iuramento loquens, ait, *in quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, firmiſſimum ſolatium habeamus*. Quæ quidem duæ res ſunt, promiſſio, & iuramentum; in qua re advertendum eſt multum, quod tale iuramentum nihil addit ſupra ſimplicem Dei aſſertionem, ſed ſolum dicit energiam quandam in modo loquendi. non ſic in nobis. Deus namque tantum ſupra ſemetipſum iurat, quare non addit aliquid iuramentum ſupra dictum eiuſdem, in nobis autem, quia iuramus per Deum, aut per Sanctos eius, addit formalitatem ſupra mendacium, &c. vel ſupra veritatem exprimendam. Cum igitur per Apoſtolum impoſſibile ſit, Deum mentiri cum loquitur cum iuramento; ergo etiam quando ſimpliciter loquitur, cum, ut dixi, iuramentumm authoritatem dicto Dei non addat. Tum quia ſi dubitare poſſemus de Dei dicto, an ſcilicet ſit mendacium, an veritas, falſo dixiſſet S. Paulus dicendo, *firmiſſimum ſolatium habeamus*, & ſic fluctuaret fides divina in nobis. Cum igitur fides noſtra divina firma ſit, ut habetur ex verbis adductis D. Pauli, patet Deum non poſse mentiri.

95 Conclusio 3. Deus neque de potentia absoluta mentiri potest, non solum per seipsum immediatè, sed nec per aliud. Teneo hanc sententiam contra Auctores supra citator in hac subsectione num. 87.

96 Probo primo authoritate Sacræ Scripturæ, & præcipuè ex 2. ad Timoteum 2. ubi habetur: *ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*: si ergo Deus mentiri posset, vel per se immediatè, vel per aliud non esset fidelis infinitè, nec nfinitè verax, quod dicere hæreticum est; etenim mendacium imperfectionem summam dicit, Deus autem cum sit perfectissimus, imò ipsamet summa perfectio in omni genere perfectionis, non potest in se admittere imperfectionem mendacij, quod per admissiones istas Deus non esset amplius perfectus, sed imperfectissimus, cum malum fit ex singulis defectibus.

97 Probatur 2. ex D. Augustino 9. tom. lib. 1. de Symbolo, ubi sic loquitur, *Deus omnipotens est, mori non potest; falli non potest; mentiri non potest*; nam si mori posset non esset omnipotens; ergo si Deus de sua potentia absoluta; non potest non esse omnipotens; ergo etiam non potest de potentia sua absoluta mentiri, fallere, aut falli.

98 Probo etiam ratione, ut supra dixi hic num. 8. mendacium est ita intrinsecè malum ex natura sua, ut nulla conditione honestari possit, ego per nullam potentiam mentiri Deo convenire potest. Antecedens est communiter in omnibus scholis Catholicorum receptum. Consequentia sequitur ex dictis, si enim Deus est summè bonus, & bonum summè est ex integra causa; ergo mendacium, quod est malum in se, capere Deus in se nequit.

99 Neque dicas, quod si Deus internè non possit esse mendax, potest tamen mentiri externè, & per verba, &c. falsum hoc esset dictum, & probatio hæretica. Etenim recta ratio boni, ac catholici viri dictat, quod verba exterius prolata, ut conceptui interno correspondeant, & illi conformentur: aliàs destructa esset humana societas, & nulli esset credendum: ete-

nim

nim (ut inquit Aristoteles) *verba sunt nota earum, quæ in animo sunt*.

100 Neque quis subdat, mendacium posse fieri licitum ex divina dispensatione; quia hæc propositio sapit hæresim, quia tunc Deus dispensaret in malum, quia faceret licitum, quod intrinsecè illicitum est, & de natura sua intrinsecè malum; & sic efficaciter vellet peccatum, & mentiendo, ipse peccatum faceret magis, quam homines mendaces, ratione mali exempli in alios diffusi, & sicut non potest facere, ut homo sit homo, & non sit animal rationale, quia de essentia hominis, ut sic, est, ut rationalis sit, ita cum de essentia mendacij sit, ut sit peccaminosum, non potest a Deo dispensari, ut peccaminosum non sit, & sit mendacium.

101 Probo item alia ratione prædictam conclusionem sic: veracitas in Deo est summa perfectio, atque adeo perfectio simpliciter simplex, quæ est melior ipsa, quam non ipsa; ergo si Deus posset mentiri, Deus non esset summè verax, & consequenter, homo, qui numquam dixit mendacium, esset perfectior Deo, & maiorem veracitatem, quam ille haberet, quod est similiter hæresim dicere; itaque concludendum est, Deum etiam de sua potentia absoluta mentiri non posse, sicuti de potentia absoluta non potest facere, ut non sit Deus.

102 Obijcies 1. contra quartam conclusionem, & sic contra me contrarij mei argumentantur. Deus de absoluta sua omnipotentia absque concursu nostri intellectus, potest in nobis efficere actum erroris; ergo de potentia Dei absoluta potest etiam nos decipere; & esto, quod sine nostro consensu Deus non possit in nobis actum erroris efficere, potest tamen simul cum nostro intellectu; ergo, &c. potest velle errorem, quo nos decipiamur.

103 Respondeo, nego antecedens, dum loquimur de actibus vitalibus, vitaliter factis a nostro intellectu, quia si de non vitaliter factis sit sermo, iam non erit error, quia nullus actus dicitur error, si a nobis non est factus voluntariè, quia tunc Deus

sine

ſine me producens actum intellectivum in meo intellectu, iam ego non ero intelligens, ſed ipſe Deus intelligens erit, quia non per meam vitam, ſed per ſuam intelliget, atque adeo ipſe errans, non ego.

104 Reſpondeo 2. & dico, quod ſi Deus in tali caſu concurret ad actum erroris, non concurrit, ut cauſa particularis, ſed ut cauſa univerſalis, quæ ſemper ſe habet indifferens circa malitiam. Vnde, & ſi Deus concurrat, ut cauſa univerſalis, & ut author naturæ, non poteſt tamen talem errorem velle poſitivè, ſed ſolum in hoc merè negativè ſe habet, utpote, non impediendo. Tanto magis, quod, prout dixi in meo Sertu Phyloſophico par. 2. cum de cauſis, Deus fecit cauſas naturales completas in eſſe naturæ, & quantum ad ſuum eſſe operativum indigebant circa opera naturalia, & ſolum ex parte Dei permiſſio requiritur, non ſic circa operationes ſupernaturales; quia vires naturæ excedunt, in quibus Deus activè ſe habet, vel immediatè, vel mediatè, unde nihil contra me argumentum facit.

105 Obijcies 2. de facto Deus mentitus eſt; ergo non ſolum de potentia abſoluta poteſt mentiri, ſed ordinaria etiam mentiri poteſt. Probatur antecedens. Promiſit namque Caino, non fore occidendum; ſic etiam Ezechiæ promiſit, & Ninivitis ſubverſionem per Ionam Prophetam, & in contrarium evenit; ergo Deus mentitus eſt, atque adeo falſa concluſio.

106 Reſpondeo, & quantum ad illud, quod attinet ad Cainum, dico, quod Deus dixit non fore occidendum impunem, &c. ad alia Zachariæ dico, quod illæ promiſſiones fuerunt conditionatæ, & comminatoriæ, non fuerunt abſolutæ, nempe ſi non egiſſent pœnitentiam, vel dicere poſſum, quod Deus conditionatè loquutus tunc fuit, nempe ſi ego voluero permittere.

107 Obijcies 3. Deus ſe ſolo poteſt producere ſpeciem impreſſam, vel habitum inclinantem ad falſum; ergo etiam de potentia abſoluta poteſt mentiri.

108 Reſpondeo, nego antecedens, quoad utramque partem; ſed eſto, quod iſtæ ſpecies darentur, vel poſſibiles eſsent, quod ego

ego non admitto, non posset tamen produci species impressa, quæ non esset in actu primo naturalis similitudo obiecti, cum in hoc consistat eius essentia, ac proinde nulla species produci potest, si species possibiles essent, quæ ex natura sua inclinaret ad falsum, quod idem dico de habitu, imò quod ex natura sua non inclinet ad verum. Ex altera vero parte etiam ostenditur contrarium, quia perfectioni divinæ non solum intrinsecè repugnat esse falsum testem, sed alios ad falsum inducere, vel immediatè, vel mediatè, quia sic falsitatis Deus causa efficiens foret. Vnde si per talem habitum, a Deo productum, homo aliquis ad falsum inclinaretur assensum, iam Deus diceretur causa principalis falsi assensus, sive falsitatis patratæ, quod totum tantum abest a Deo, quantum Deus a creaturis abest.

109 Objicies 4. assensus falsus potest cadere sub præcepto: ergo Deus potest excitare, & movere, ac inclinare hominem ad illum, & per consequens esse causa illius potest; antecedens probatur, quia quidquid est conformis dictamini rationis, & conscientiæ, cadere potest sub præcepto; sed aliquando ex conscientia invincibiliter erronea obtemperandum est, ut communiter dicunt Scriptores; ergo assensus falsus cadere potest sub præcepto.

110 Respondeo, nego antecedens, ad probationem eius dico, verum esse, quod, quidquid est conformis rationi rectæ, ac regulatæ, potest cadere sub præcepto; falsum est tamen, quod huiusmodi sit id, quod dictatur invincibiliter a conscientia erronea; nam conscientia, quæqunque illa sit numquam obligat ad id, quod in se est intrinsecè malum, nisi per accidens, & supposito invincibili errore; unde non potest Deus ad id excitare, & movere nisi per accidens, hoc est ratione bonitatis moralis, quam accepit ex conscientia invincibiliter errante, quod tunc non est excitare ad malum, sed ad bonum, & a malo removere, quando esset malum non facere id, quod conscientia bona fide dictat esse faciendum.

111 Obijcies 5. Deus eſt liber: ergo poſtquam promiſit aliquid alicui, uti non poteſt ſua libertate, & non ſtare promiſis, aliàs Deus ipſe amitteret libertatem.

112 Reſpondeo; nego conſequentiam, etenim ſi promiſis non ſtaret, non eſſet fidelis, & ſic falſum eſſet dictum Divi Pauli 2. ad Theſſalonicenſes 3. *Fidelis autem Deus eſt*, Deus enim promittendo non amittit libertatem ſuam; ſed ſolum, ut ita dicam, voluntatem ſuàm in actu ſecundo conſtituit, reſpectu obiecti extrinſeci; cum autem in Deo non ſit ſucceſſio, ſed æternitas, quæ eſt tota ſimul, undè ſemel habito poſito ſemper manet idem, & dicitur liber, quia adhoc Deus liberè ſe determinavit.

113 Obijcies 6. Deus poteſt mentiri per aliud: ergo etiam per ſeipſum; eadem eſt ratio, qui enim poteſt aliquid per alium facere, facere poteſt per ſeipſum; immò multo magis, de antecedente non eſt dubium, etenim D. Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribendo dicit, *ideò mittet illis Deus ſpiritum erroris, ut credant mendacio*, & Propheta Micheas inquit: *Ecce dedit Deus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum:* & apud Amos 3. legitur: *ſi eſt malum in civitate, quod non faciat Dominus*; ergo Deus mentiri poteſt.

114 Reſpondeo, ſicut ſupra ad alias ſimiles ſcripturas reſponſum dedi, nempe quod Sacra pagina locis citatis loquitur permiſſivè, non autem effectivè; Amos verò intelligit de malo penæ, non verò loquitur de malo culpæ, & eſto quod de iſto intelligat, ſemper permiſſivè, non effectivè loquitur.

115 Obijcies 7. ſi Deus non poſſet mentiri, maximè eſſet; quia hoc implicantiam involueret; atqui hoc eſt falſum, ergo falſum eſt etiam dicere, quod Deus mentiri non poſſit; Probatur minor, cum maior ſit extra dubium, ſi implicaret Deum poſſe mentiri, maximè eſſet, quia tolleret converſationem humanæ naturæ in communicatione conceptuum propriorum, ſed hoc poteſt à Deo diſpenſari, cum naturæ ſit author, ſicut in aliquibus alijs præceptis diſpenſavit, nempè in quinto, *non occides*,

quando

quando Abrahamo occisionem proprij filij præcepit, etiam si talis filius innocens fuisset, & Oseæ, ut acciperet mulierem fornicariam; ergo multo magis debet, aut potest dispensare in octavo mandato, videlicet de non mentiendo.

116 Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem minoris dico, quod implicat, Deum posse mentiri, quia mendacium in Deo tolleret ab ipso summam veracitatem, & bonitatem summam, ut supra dixi a n. 88. usque ad 103. si autem Deus aliquando dispensavit in homicidio innocentis, fuit, quia Deus est Dominus mortis, & vitę, & si dispensavit Prophetam, ut acciperet uxorem fornicariam, fuit quia affectu matrimoniali ad illam accessit, non autem dispensavit unquam in mendacio, quia ut dixi, tum in responsione, ad antecedentem obiectionem, tum in probatione conclusionis, amitteret Deus suam infinitam, & summam bonitatem, ac veracitatem, atque adeo esse Dei, cuius esse est, ut sit summè bonus, & summè verus.

117 Hinc deduco aliam conclusionem, nempe: fidei divinæ nullo modo patet subesse falsum, est Tridentini Sess. 6. cap. 9. ubi habetur, quod fidei divinæ non potest subesse falsum. Hoc est, per quam id, quod est falsum, non possumus iudicare, quod sit verum, & si Doctores diversæ opinionis sint in assignanda ratione, quare fides divina non possit inclinare ad falsum, in substantia rei tamen omnes conveniunt. Nam etiam tenet Tridentinum sess. 6. cap. 9. his verbis, *cum nullus scire valeat certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum.*

118 Probatur propositio a me posita hic, nihil cadere potest sub actu divinæ fidei, nisi mediante ratione formali actus divinæ fidei; atqui ratio formalis actus fidei est prima veritas, quæ nec de potentia Dei absoluta, ut supra ostendi, falli, aut fallere potest; ergo fidei, quæ innititur primæ veritati; tamquam medio formali, non potest subesse falsum: & per consequens fidei assensus ad falsum terminari non potest; ex qua ratione etiam probatur, quod habitus fidei divinæ nullo modo possit in gene-

re causæ efficientis producere falsum assensum, & ratio est, quia nullus habitus fertur ad suum obiectum materiale, nisi prout subest suo obiecto formali; sic habitus divinæ fidei ex sua natura versatur circa suum obiectum materiale, prout tantum subest Divino Testimonio, tamquam primæ veritati revelanti: & per consequens habitus fidei nullum assensum producere potest nisi verum, sicuti, nec Testimonium Divinum nisi supra verum cadere potest, etenim, ut inquit S. Augustinus de libero arbitrio cap. 18. & 19. *virtus est bona qualitas, qua nemo male utitur*, cum ergo virtus semper ad optimum disponat, & cum fides sit virtus intellectiva, illum ad verum disponere habet; ergo numquam ad falsum inclinare potest. Tum quia, si fides posset inclinare ad falsum, maximè esset, quia posset inclinare ad assensum alicuius propositionis non revelatæ, tamquam revelatæ; at hoc fides non potest facere, quia tunc inclinaret ad id, quod est extra rationem formalem sui obiecti; ergo cum hoc esse non possit, neque primum possibile est; ergo fides non potest unquam ad falsum inclinare.

119 Dices: si in ultima hora, in qua Christus natus est, fuisset aliquis homo, qui huic propositioni assentiretur, *Christus est nasciturus*: & in dimidio horæ illius nasceretur: in eo casu ante dimidium illius horæ assensus fidei in assentiente, Christum esse nasciturum, esset sine dubio assensus fidei divinæ, & verus cum post dimidium horæ iam Christus natus esset, & consequenter postea assensus fuisset falsus, quamvis iste assensus esset idem numero, & specie, nempe continuatum per totam illam horam; ergo assensus fidei divinæ, prout a fide divina provenit, potest terminari ad falsum.

120 Sed ego Respondeo, & dico, quod ille assensus per totam horam non continuatur a fide divina, sed solum usque ad dimidium horæ, nam antequam Christus nasceretur assensus ille erat fidei divinæ sine dubio, postquam Christus natus est, continuatio illius assensus est fidei humanæ; etenim ratio formalis assentiendi variatur; nam ante dimidium horæ ratio assentiendi

erat

erat prima veritas revelans, utpotè Deus, ut prima veritas revelans, post dimidium est fides humana, sive humana authoritas, quæ quidem authoritates specie distinguntur, atque adeo dicti assensus specie distincti sunt.

121 Quomodo autem sit idem actus numero, dixi in meo Scr. tu Phylosophico, sed modo iterum explicabo contra Bannes hic quæst. 2. art. 2. idem actus enim, quoad substantiam, successivè potest esse verus, & falsus, bonus, & malus, prout patet in eo, qui vult comedere carnes feria quinta ante horam duodecimam, & persistit in eadem voluntate post illam: sic in casu posito in obiectione supra num, 121. invariato actu assentiendi in re, nempe secundum substantiam, potest esse falsus, & verus, quando bonitas scilicet, & malitia actus in ordine ad obiectum formalem, quod est quid extrinsecum, sumatur; sicuti veritas, & falsitas assensus: unde respectu fidei divinæ erit verus, respectu autem fidei humanæ erit falsus: etenim tota ratio credendi est auctoritas dicentis, quæ cum sit quid extrinsecum, manente eadem entitate assensus, potest ita continuari, ut illo assensu, quo credebat auctoritate divina, credat authoritate humana, quia res, quoad suum esse substantiale, non variatur per extrinsecum.

122 Dices 2. fides divina nos inclinat ad credendum, quod sub Hostia consecrata sit Corpus Christi, verè, & propriè, & potest contingere, quod illa Hostia non sit consecrata ex defectu Sacerdotis; ergo assensus, sive habitus fidei potest terminari ad falsum.

123 Concedo, quod fides divina inclinet nos ad credendum Corpus Christi existere sub Hostia consecrata; nego tamen, quod possit dari casus, quod Hostia consecrata non sit, dum consecrata est, etenim obiectum materiale fidei divinæ non est hæc, vel illa Hostia, sed Hostia consecrata verè, & propriè, hæc, vel illa Hostia sunt singularia contingentia, quæ non cadunt sub divina fide.

124 Inculcant contra me adversarij mei, sic arguendo; ergo non tenemur credere unam Sanctam Ecclesiam? Quia non tenemur credere hanc Ecclesiam singularem esse Catholicam, sed sufficit credere in communi, esse Ecclesiam Catholicam, quia non potest assignari hæc Ecclesia in individuo, nisi ea, quæ militat sub Innocentio XI. Summo Pontifice Romano regnante; sed fides divina non inclinat ad credendum Innocentium XI. esse verum Summum Pontificem; ergo neque inclinat ad credendum in singulari, hanc Ecclesiam esse veram; quoniam unitas Ecclesiæ ex unitate capitis sumenda est, atque adeo falsa de primo ad ultimum ultima conclusio apparet.

125 Respondeo, negando sequelam; quia Ecclesia Christi non efficitur una, eo quia militat sub Innocentio XI. Summo Pontifice, modo feliciter, ac exemplariter regnante; Ecclesia namque Christi semper est una, tàm sub Clemente IX. quàm sub Clemente X. quàm sub Innocentio XI. tâm post mortem ipsorum etiam, sed individuatur, & fit una, ex eo quod est congregatio Fidelium, subdita Vicarios Christi, & Petri successori. Sive talis successor, sit Petrus, aut Paulus. Caius, aut Marcellus, &c. Quare data fide docente, quod in Ecclesia est authoritas Summum Pontificem eligendi, facta inquam eius electione, quadam morali prudentia iudicamus, esse bonam illam electionem, & bene fuisse electum, ac verum consequenter Summum Pontificem, sed melius de hoc in sequenti subsectione, si Deo placitum erit.

126 Vrgent adversarij iterum sic, potest quis invincibili iudicio iudicare, aliquod falsum esse revelatum a Deo. & illud ob authoritatem Dei iudicare esse verum, & credere verum esse, sed hic asensus erit actus fidei divinæ, & meritorius, dummodo taliter credens sit in gratia; ergo asensus fidei divinæ potest esse falsus; ergo fidei divinæ potest subesse falsitas.

127 Respondeo huic argumento, negando minorem, quia maiorem do adversarijs libenter; ratio talis meæ responsionis est; quia ille homo sic credens, non movetur ad sic credendum au-

ctoritate divina, seù Dei revelantis; sed falsa existimatione, nempe, quod a Deo talis res credita revelata sit, quod solum falso supponitur, revera tamen non est revelata a Deo; unde ille actus credendi non est actus fidei divinæ; sed solum falsa existimatio credentis; atque adeo dictus actus non est meritorius, neque demeritorius intrinsecè, neque bonus, neque malus, sed solum extrinsecam denominationem habet, nempe appræhensivè.

128 Obijcies iterum, atque iterum. Intellectus assensitur falso, quod verum putatur, sicut voluntas tendit in malum putatum bonum ab ipsa; ergo a pari fides potest asentiri non revelato, dummodo illud revelatum existimet.

129 Respondeo, dando antecedens, & consequentiam negando. Est enim maxima disparitas inter utrumque; nam obiectum intellectus est verum, ut sic, sicut, & bonum, ut sic voluntatis, prout præscindunt a bono, vero reali, aut bono, & vero apparenti. Ratio vero formalis fidei, non est veritas, ut sic, sed semper est veritas prima revelans, & in ista habet inclinare fides, non in aliud, unde semper inclinat ad verum infallibilem, a prima veritate infallibiliter revelatum.

130 Obijcies 2. virtutes morales tendunt in verum, & bonum moralem apparentem; ergo, & fides hoc facere potest, nempe tendere in verum apparentem.

131 Respondeo, & relinquendo antecedens adversarijs, pro me consequentiam conservo; non enim currit paritas, quia virtutes morales non tendunt in obiecta, prout sunt a parte rei, sed solum, prout sunt per iudicium prudentiæ proposita: at fides habet solum veritatem primam revelantem, & ideò de virtutibus moralibus loquendo Aristoteles dixit, quod virtus moralis est *habitus electivus in mediocritate consistens*, *secundum quod prudens determinaverit*, nec valet dicere; fides est virtus intellectualis, sicuti prudentia, sed ista potest inclinare ad falsum; ergo, & fides; nam falsa est paritas; quia prudentia tendit in obiectum, non prout est in se, sed secundum esse existimativum,

vum, econtra verò fides tendit in obiectum verum, & certum, quia certè revelatum est ab infallibili veritate, prima revelante.

132 Obijcies 3. præmissæ sunt sine dubio causa conclusionis, & ex præmissa una de fide divina, & ex alia oppinabili, aut falsa, inferri potest assensus, qui sit falsus v. g. in sequenti syllogismo. Vbi est tantum una hypostasis, est una tantum natura; atqui in Christo Domino nostro Redentore est tantum una hypostasis; ergo in Christo fuit una natura tantum. Qui autem convincitur, sive qui assentitur maiori; assentietur, & conclusioni, ut asserebant Hæretici; ergo assensus fidei est causa assensus falsi.

133 Respondeo, quod in tali casu conclusio illa causatur ab utraque præmissa in illo genere; in quo illæ sunt talis naturæ, ut per suam rationem formalem possit unaqueque cadere supra conclusionem, vel influere in naturalem substantiam conclusionis; adhoc autem, ut aliquid sit causa alicuius effectus, non sufficit, ut ad eum concurrat, ut sic, sed requiritur insuper, ut ex modo, quo concurrit, sit naturalis modus ad producendum talem effectum.

134 Obijcies 4. si quis Parochus rustico proponat aliquod non revelatum, prout revelatum, certè, ac sine dubio rusticus credet in tali casu falsum, & propter divinam revelationem saltem supposita; ergo fides potest inclinare ad falsum.

135 Respondeo, dictum rusticum non credere fide divina in tali casu, sed fide humana tantum movetur; verum est quod ad pium affectum à Spiritu Sancto movetur, aut saltem poterit moveri: at actus credendi, non est fidei divinæ, quia non elicitur ex motivo divinæ revelationis, sed solum ex motivo decipientis parochi, suppositi ut veridici, & ideò solum fide humana credit, hæc circa hanc quæstionem; etsi aliæ possint afferri obiectiones, ex datis solutionibus omnes facillimè solvi possunt.

SVBSE-

An nobis modo de fide sit, Innocentium XI. esse verum Pontificem.

136 QVæruntur plura à doctoribus in hac materia de fide, & inter alia, an possimus cognoscere fide nostra esse verum, an in Ecclesia Romana possimus cognoscere esse veram Religionem, & in ipsa Ecclesia Romana Caput eius visibile in individuo credendum sit, esse verum Pontificem; De alijs difficultatibus infra, de isto modò quæstionandum est, in qua re, cùm non deficiant diversæ opiniones, sic etiam non deficiunt difficultates, Deus ad sit mihi ut veritatem inveniam, sicut spero.

137 Caietanus 2. 2. q. 1. art. 1. Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. Alphonsus à Castro lib. 1. adversus hæreses cap. 9. Turrecremata, & alij asserunt, non esse de fide hunc hominem esse verum Pontificem, sed solum nos habere de hoc certitudinem moralem, quæ quidem certitudo moralis, dicunt isti sufficere, ut Summo Pontifici obedientiam prestemus.

138 Valentia verò disp. 1. q. 1. de obiecto fidei, puncto 7. §. 38. cum Suario de fide disp. 10. sect. 5. Albertino princ. 3. phylosoph. q. 3. Theolog. dubio 2. Sylv. lib. 4. controvers. q. 2. art. 9. Amico disp. 2. de obiecto fidei sect. 5. adiuncto Arriaga, Gabriele à S. Vincentio, sentit cum omnibus citatis, & alijs, de fide credendum esse, hunc numero hominem nempe hodie Innocentium XI. esse verum ac Summum Pontificem Romanum, Christi verè Vicarium, ac Petri successorem, & ego, ut fidelis Catholicus, hanc sententiam libenter amplector, unde pro me sit.

139 Conclusio unica. De fide firmiter tenendum, ac credendum est, hunc numero hominem, nempe hodie Innocentium XI. in Petri sede regnantem, esse verum, ac Summum Pontificem Romanum, Christi in terris Vicarium, & Petri successorem.

140 Probo

140 Probo primò conclusionem positam, non solum ex Bulla Martini V. apud Concilium Constantiensem, ubi præcipitur omnibus Hæreticis, qui volunt Ecclesiæ reconciliari, ut primum omnium credant Papam Canonicè electum, qui pro tempore fuerit, eius nomine expresso, esse successorem Petri, & supremam potestatem in Ecclesia Dei habere: ergo supponit hunc esse verum Pontificem de fide. Tum quia electus est ab universali Ecclesia Catholica, & ab ea pro tali receptus, ut verum Pontificem, ac Christi Vicarium, & verum Petri successorem; prout defendunt Auctores supracit. num. 139.

141 Probo 2. quia ratio quare hic numero Pontifex sit verus Pontifex, est, quia Christus præcepit nos obedire in ijs, quæ ad fidem, & mores pertinent, sed de fide est, nos debere obedire Summo Pontifici ab Ecclesia Catholica Canonicè, & legiptimè electo: ergo de fide credendum est, hunc numero Pontificem esse verum Romanum Pontificem, Christi Domini Vicarium, ac Petri successorem. Maior propositio est vera per Evangelium; minorem sic ostendo. Nam fideles certitudine fidei tenentur obedire ei, quem suum supremum in terris superiorem agnoscunt: atqui eo ipso, quo quis in Pontificem, & caput supremum fidelium eligitur, acceptatur, & cognoscitur superior, ut superior, talis est respectu illorum; ergo fideles illi obedire tenentur, &c. Consequentia tenet; nam si non tenerentur illi obedire ex fidei præcepto, esset, quia possent fideles de illo dubitare, an esset, vel non Summus, Pontifex Romanus, &c. quod falsum est; nam tunc si possemus dubitare de regula proponentis, & eiusdem authoritate, consequenter possent fideles dubitare de veritate rei propositæ, ut ego dico in Commentario meo in primum librum Institutionis Iuris Canonici in §. quorum celebrandorum, cum sequentibus num. 31. pag. 28.

142 Tum quia gratia data est Petro, & suis successoribus immediatè a Deo, una cum iuribus, & dignitate, ut ibidem dico num. 32. & hoc ipsum est, quod iam a se paratum supponebat,

prout

prout a Christo illi dictum, fuerat illis verbis, *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est*, unde Christus nomine Dei dedit Petro, & successoribus suis in locum eius succedentibus auctoritatem Pontificiam cum hac conditione, ut numquam deficere debuisset talis authoritas suprema in Dei Ecclesia, & in capite eiusdem, nempe in Summo Pontifice canonicè electo iuxta illud, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo, &c.* hoc est, tu es prima Petra fabricæ Ecclesiæ meæ; successores tui cum teipso fabricam component ita firmam, ut numquam sit casura: unde dictum fuit Petro, *rogavi pro te Petre, ut numquam deficiat fides tua*, in quibus verbis relucet magis, ac magis firmitas fidei catholicæ, quę numquam est defectura non solum in Petro, sed neque in successoribus illius canonicè electis, quoniam non ipsi, sed Deus in ipsis firmat omnia, prout dictum est, *non enim vos estis, qui loquimini; sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, Matth. 10. ergo ex dictis, de fide est, ut nos fideles credamus hunc hominem Pontificem electum esse verum, supremum Pontificem Caput Ecclesiæ Romanæ, Dei Vicarium verum in Terris, & Petri successorem, prout in conclusione firmatum est.

143 Neque dicas, utique esse de fide credere Papam canonicè electum, esse successorem Petri, at non constat tamen, hunc numero hominem esse canonicè in Pontificem electum, atque adeo non constare, esse Summum Pontificem.

144 Quia contra est; nam ad hoc, ut quis credat aliquod Mysterium de fide, non est necesse, ut signa, quibus illud mihi proponitur, ut evidenter credibile, credam fide divina, sed sufficit certitudo moralis de signis ad hoc, ut ille prudenter moveatur ad credendum; ergo etiam eo ipso, quod adest certitudo moralis, de canonica electione Summi Pontificis Romani, in personam V. N. N. facta a Sacris Cardinalibus, in qua electione specialiter assistentia Spiritus Sancti adest, ut de fide est, *ubicumque congregati fuerit in nomine meo, ibi ero*, quam quidem moralem certitudinem electores scire possunt, & dum illam,

 ut

ut canonicam nobis proponunt, faciunt evidenter credibilem dictam electionem factam fuisse canonicè; atque adeo nos fideles omnes de fide tenemur credere hunc hominem N. N. esse Summum, ac verum Pontificem, Christi Dei in Terris Vicarium, & Petri successorem verum, ac legiptimum, & sic Sacra Concilia, & præcipue Calcedonense nominatim recepit Leonem Papam, Sexta synodus Agatonem, Milevitanum Innocentium III. & sic de multis alijs Pontificibus; ergo, &c.

145 Tanto magis, & erit pro me probatio secunda positæ conclusionis; si non constat de fide hunc esse verum Pontificem Summum, & Dei Christi Vicarium in Terris, neque constabit de fide, hoc esse verum Concilium: at hoc negare, est idem, ac negare quatuor Evangelia, ut dixit Gregorius Papa de illis quatuor Concilijs celebratis; ergo, &c. Probo sequelam maioris.

146 Hoc Concilium, ut sit verum essentialiter, & suam formam essentialem Concilij habeat, essentialiter includit authoritatem Summi Pontificis Romani, sicut homo, tam quam suam partem essentialem constitutivam, & distintivam hominis a cæteris includit; ergo de fide est hunc hominem esse verum Pontificem.

147 Probatur denique. Illa, quæ a Pontifice Romano definiuntur, de fide debemus credere, sed impossibile est, ut teneamur credere de fide ea, quæ hic homo definit, ut dicta a Deo, nisi teneamur etiam hunc hominem verè habere potestatem definiendi, & assistentiam Spiritus Sancti, potestatemque me obligandi, ut credam, quæ ipse definit, nisi sit verè Vicarius Dei Christi in Terris, & verus Petri successor; ergo de fide credere tenemur hunc hominem esse verè Vicarium Dei Christi Domini, & Petri successorem, videlicet Summum Pontificem Romanum canonicè electum.

148 Iterum veritas conclusionis ostenditur sic; illud quod revelatum est a Deo, credendum est de fide; sed immediatè revelatum est a Deo, Innocentium XI. esse Summum Pontificem Romanum canonicè electum, ac Christi Domini verè Vicarium, &

Petri

Petri successorem; ergo talem esse credendum est de fide. De maiori propositione nihil est dubitandum; solum minor probanda est. Sine dubio revelatum est a Deo, omnem Pontificem canonicè electum, esse verum Summum Pontificem; ergo est etiam a Deo revelatum Innocentium XI. esse verum Pontificem Romanum, Christi Vicarium, & Petri successorem; maior huius syllogismi patet, quia in universali propositione, quamvis in confuso, includuntur omnes particulares. Solum remanet, ut nobis proponatur hæc propositio particularis; v. g. hic homo Innocentius XI. est electus canonicè in Summum Pontificem; sed a Cœtu Cardinalium proponitur, hunc hominem fuisse canonicè electum in Summum Pontificem, & ab ipsis, ut talis veneratus, & venerandus etiam a nobis, ut talis ab eisdem proponitur, & ab Ecclesia, ut talis acceptatur, ex quibus actibus habemus evidentiam credibilitatis, quod ipse Innocentius XI. sit canonicè electus; ergo de fide hic homo, &c. credendus est Summus Pontifex.

149 Obijcies 1. verum est de fide esse credendum hunc hominem, &c. qui certitudine morali in tota Ecclesia habetur pro Summo Pontifice, verè, & ritè efficiat, quod deberet efficere verus Pontifex, non tamen est de fide credendum, hunc hominem esse Summum Pontificem Romanum. Nam si ad talem dignitatem, assumeretur indignus, idem esset tenendum, & non plus; ergo, &c.

150 Respondeo; falsum esse totum discursum, quia argumentum non solum includit non revelatum, sed falsum; quò modo enim stare potest quod detur potestas pontificia alicui, qui non sit verus, ac legiptimus Pontifex? Christus namque non dedit cuique pontificiam authoritatem, sed Petro, & suis legiptimis successoribus tantum: quare neganda est consequentia tamquam ex falso fundamento deducta.

151 Dices, Parochi, ut tales præsumpti, & similiter Pretoris admictuntur actiones, ut validæ, etiam si ille verè Parochus, & Prætor non sit; ergo a pari de Pontifice non legiptimo cre-

denda sunt de fide, quæ ab eo de fide determinantur, non tamen credendum est de fide, quod ille sit Summus Pontifex, &c.

152 Respondeo negando paritatem. Ratio disparitatis est, nam si Parochus non haberet ordinem, invalida essent omnia ab eo gesta, quæ alias ab ordine dependerent, nec Ecclesia; vel Deus in hoc assistentiam tribuerent, unde ad summum essent in foro externo apparenter bonæ, quod idem dico de ficto Prætore. Deus enim tunc in tali casu evidentissime, ac clarissimè cognosceret, talem hominem non esse verum Pontificem, & per consequens nullo modo illi assisteret, unde si adversarij dicant, quod in tali casu (quod non conceditur possibilis) si credenda de fide essent ea, quæ ab illegiptimo Pontifice de fide determinarentur, tenentur dicere ex necessitate, quod etiam tenerentur fateri ex fide, quod ille numero homo esset Summus Pontifex, verus Vicarius Christi, & verus Petri successor.

153 Dices 2. potestas Pontificis est iurisdictionis potestas, non ordinis; ergo actus illi credendi sunt de fide, etiam si ipsum esse Pontificem, non sit de fide credendum.

154 Respondeo, falsissimum dictum, quia authoritas Summi Pontificis fundatur in ordine. Nam non potest plena authoritas Summi Pontificis Romani, quæ ad gubenationem Ecclesiæ Catholicæ pertinet, separari a potestate interiori, & foro pœnitentiæ; nam in Summo Pontifice Romano Vicario Christi, non sunt duę auctoritates; sed una, itatamen hæc eminens est, ut internam, & externam in seipsum comprehændat.

155 Obijcies 2. illud est de fide, quod est revelatum a Deo; sed hunc numero hominem esse verum, ac legiptimum Pontificem, verum Christi Vicarium, & Petri successorem non est a Deo nobis revelatum; ergo non est de fide credendnm hunc hominem N. esse legiptimum Pontificem, &c.

156 Respondeo [sed primo suppono, quod revelatio Dei duplex sit, alia nempe clara, alia in confuso] unde dato isto supposito, maiorem distinguo, quod est revelatum a Deo, vel clarè, vel inconfuso, concedo maiorem, clarè tantum nego

maiorem, & ad minorem propositionem, in qua residet difficultas, dico hunc hominem esse verum Pontificem, esse quidem revelatum a Deo in confuso, quamvis non clarè, nempè quando a Cardinalibus electoribus illius nobis proponitur adorandus, reverendus, ac obediendus, tamquam canonicè in Pontificem electus, & ab Ecclesia, ut talis acceptatus est, tunc clarè nobis proponitur revelatio huius particularis, quæ prius erat tantùm confusa, atque adeo tenemur credere de fide talem hominem N.N. esse verum legiptimum Summum Pontificem Vicarium Christi Domini, & Petri successorem legiptimum.

157 Obijcies 3. quando nos essemus obligati de fide credere, quod hic homo est verus Summus Pontifex, hoc esset, quia de tali re haberemus saltem certitudinem moralem, at hanc talem certitudinem non possumus umquam habere; ergo, &c. probatur minor, quia maior est de se clara. Testimonium paucorum, ut est testimonium Cardinalium eligentium Summum Pontificem est valde dubium; sicut est dubium in baptismo de baptizato, quia solum tribus credendum est, nempe Patrinis, & Sacerdoti, quod idem valet de ordinato, quæ quidem res a nobis non sunt credendæ de fide; ergo a pari, neque tenemur credere hunc numero hominem, esse canonicè electum Pontificem, & Petri successorem legiptimum, de fide loquendo.

158 Respondeo, si tale testimonium non habeat certitudinem moralem, concedo minorem, si habet certitudinem moralem, nego, quod idem dico de maiori propositione; unde in casu, eo ipso, quod Cardinales electores Summi Pontificis sunt Ecclesiæ obedientes, & non sunt Schismatici, neque excomunicati externæ, & in foro iudiciali, & ab ipsis N. est electus, propositus fidelibus, & ab Ecclesia pro legiptimo Papa acceptatus, tamquam obiectum revelatum, pro Pontifice legiptimo eum credere debemus de fide divina, quia non supponitur, ut ab Ecclesia fuerit acceptatus pro vero Pontifice, & Christi Vicario, qui non habet omnes requisitas conditiones ad tale munus.

159 Obij-

159 Obijcies 4. ille credendus eſt, ut ſit Summus Pontifex, Vicarius Chriſti, &c. qui habet ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei, & ſupra ſe præter Deum ipſum nulla eſt athoritas, at v. g. Innocentius XI. non eſt huiuſmodi, quia habet ſupra ſeipſum Concilium generalem; ergo non eſt de fide credendum, Innocentium XI. eſſe Summum Pontificem, Vicarium Chriſti, & Petri ſucceſſorem.

160 Reſpondeo (& hac occaſione aliqua dicam, ad confuſionem aliquorum hominum, manentium in mundo his temporibus) reſpondeo igitur ad argumentum, & concedo maiorem, negando deinde minorem, ad probationem dico falſum eſſe, Pontificem Romanum habere ſupra ſe Concilium generale; ipſe enim, ut dixi, eſt ſupra Concilia omnia, & generalia, & particularia, & ſic falſa eſt conſequentia adverſariorum.

161 Modo devenio ad particularia a me iudicata Pontifex non habet, neque ſupra ſe aliquem, nec ſibi æqualem, quod ſic oſtendo. Concilium generale debet congregari mandante Pontifice Romano, & ab eodem citari debent omnes, qui intervenire in eo debent, & authoritatem iudicium dandi, ut apparet 18. diſt. ut videri poteſt Innocentius in cap. grave de præben. & doct. in cap. ſicut olim, de accuſ. & in cap. habent. 63. diſt. & deducitur in textu ex cap. fin. de cauſ. poſſeſſ. quæ quidem citatio eſt de iure divina, & naturali, ſic textus in Clementina Paſtoralis de re iudic. & in l. defenſionis facultas de iure fiſc. lib. 10. & in l. nam ita divus ff. de adopt. & inquit Felin. in cap. ex parte de offic. deleg. quod autem citatio ſit de iure divino, videatur textus in cap. omnipotens Deus 11. quæſt. 1. & ſepe improbe in ſuis operibus. Si ergo Pontificis eſt Concilium intimare, in illo, vel per ſe, vel per legatum Cardinalem præſidere ſic textus, & habetur in cap. 1. 15. diſt. Cardin. in rep. C. licet de electione inducens ad hoc ipſum Innocent. in cap. 1. de maioritate, & obedientia; vide etiam, Lector benigne, Felin. in cap. 1. & in cap. quærelam de iure iurando, & reſpice attentè Petrum de Monte in ſua Monarchia col. 11. Antonium

de

de Rosellis in tractatu de Concilijs, & si in dicto generali Concilio interveniant seculares, potest illis a Papa tribui ius spirituale, sive in rebus spiritualibus, & maxime vocem activam illis conferre potest; ut in cap. Adrianus 11. l. 13. dist. & in cap. in synodo legitur, & not. 11. quæst. 4. cap. Mennam, si ergo Pontifex debet convocare Concilium, & in illo præsidere si vult, &, ut dixi supra num. 147. est enim forma essentialis generalis Concilij, & cuiusvis alterius Concilij, itaut si non ab ipso approbetur, nihil valet, quidquid conclusum est in illo, est enim tunc Concilium sicuti materia prima Aristotelica, *nempe, non est quid, neque quale, neque quantum, sed prope nihil*, undè erroneè, ac hereticè locutus fuit Franciscus Laverius, dum dixit, Concilium generalem esse supra Pontificem, prout ipse scripsit in decretis Concilij Constantiensis num. 1. pag. mihi 131. quia Concilium generale Constantiæ celebratum loquitur, quod Pontifex est subiectus est Concilio generali, in rebus fidei tantum, non tamen dictum Concilium est Iudex Pontificis Romani; solum enim dicit Concilium, quod in rebus determinatis de fide, & a Papa approbatis, ntenetur ipse Pontifex stare talibus determinationibus, quia tunc Concilium simul cum Papa representat totam Ecclesiam, nempe membra omnia cum capite suo, quæ quidem Ecclesia, quæ immediatè a Christo Domino potestatem habet, & sic in dicto Concilio Constantiense definitam fuit.

162 Verum est, quod si Pontifex erret in fide, non propterea a Concilio iudicandus est; sed solum Concilium declareat errorem secutum fuisse, Deus deinde suum Vicarium in Terris iudicat. Papa enim iudicem supra se non habet nisi Christum qui solus Iudex Pontificis Romani est, ut communiter docent leges Canonicæ, & præcipue in C. nemo, & C. aliorum, & C. cuncta per mundum 9. q. 3. & C. electionem l. 29. dist. cum similibus, & habetur Textus in C. ores, & C. noster 11. q. 7. hæc tamen regula fallentiam habet, quando videlicet Papa ex sua voluntate, se alio submictit, nempe confessario suo, quia tunc tenetur ei parere, sic in C. nos, & in causa heresis C. si

Papa.

Papa. Panormit. in C. novit. de Iudicijs, & alios Doct. videri potest etiam Archidiac. in C. si peccaverit, & Panormit. in C. significasti de electione, & in C. Episcopus. Videantur ea, quæ in hac materia dicta sunt, in meo commentario, in primum librum Institutionis Canonicæ, Rubrica 2. de constitutionibus in §. quorum celebrandorum a pagina 24. usque ad 35. & alibi.

163 Ex dictis patet: Ecclesiam Christi ex ipsius institutione, & certissima promissione, habere caput supremum, nempe Papam, sive Summum Pontificem Romanum ipsius Christi Vicarium, & successorem Petri, & talem esse credendum de fide, hunc hominem a Cardinalibus in tali dignitate electum nobis propositum, in defectibilem talem dignitatem in Ecclesia Dei, usque ad finem mundi permansuram, modo in Innocentio XI. modo in alio, &c. Iuxta dure valitatem vitæ electorum. Quoniam non est existimandum, quod Christum ovilem suum, solum cum pastore ad tempus reliquisse, & deinde oves suas in deserto huius mundi reliquisset. Sub quo capite in successione post Petrum in alijs Canonicæ electis a Cardinalibus Sanctæ Matris Ecclesiæ, tamquam sub capite habente omnimodam Petri auctoritatem supremam supra omnes, tam Ecclesiasticos, quam Seculares, ut est cogendi Concilium, ut dixi, præsidendi Concilio, sive per se immediate, sive per unum, aut plures Cardinales, dicendi suam sententiam ante omnes, terminandi ultimo definitivè quæstionem, mittendi Concionatores, in omnibus mundi provincias, & alia omnia quæ primatum sequuntur, & necessaria sunt ad animarum gubernationem, &c. & sicut Petrus omnibus Apostolis præcipiebat, ita Pontifex habet auctoritatem absolutam super omnes Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, &c. eius est ius eos eligēdi, privandi suspendendi, &c.

164 Hinc miror de aliquibus Episcopis in aliqua parte huius mundi existentibus, qui putant, & tenent æquales esse Summo Pontifici Romano in auctoritate, & dicunt (licet temerariè) quod solum Pontifex Romanus est primus inter æquales, &c.

etenim

etenim miror quidem (non dicam de eorum ignorantia) sed de eorum præsumptione malitiosa, quia si credunt Christo, debent sibi in memoria reducere, quod Christus non omnes Apostolos æquales in dignitate fecit (præscindendo ab auctoritate sacerdotali) sed Petrum solum Principem constituit super universum gregem suum, una cum successoribus Petri, *Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam*, & alibi, *Tu es Pater ovium Princeps Apostolorum*. Si enim Episcopi loco Apostolorum sunt, & Christi locum Petrus occupavit, sicuti Pontifices, Petri successores, & Christi Vicarij Principes sunt; ergo maiores sunt Episcoporum, tàm in esse dignitatis, quàm in authoritate, Princeps namque, cum Princeps sit, non habet in suo dominio æqualem: cum igitur, sit Episcoporum Princeps, certum est, esse supra Episcopos, non Episcopis æqualem, non enim datur potestas supra ipsum Papam, neque æqualem, nempe, neque Imperatoria, neque Regia, &c. ipse enim Pontifex, ut dixi, Episcopos creat, Imperatores confirmat, Reges deponere potest. Episcopi vero solum in partem sollicitudinis sunt creati C. ad honorem de auctoritate, & usu palij, & si Christus Apostolos omnes pares fecit, respectu consecrationis, ordinis, & iurisditionis, in illa Petrus præfuit omnibus, ut notat glos. in dicto cap, in novo, & in cap. loquitur 24. quæst. 1. & si Episcopi a Christo fuerunt positi in Ecclesia, ut gubernarent tamquam eius ministri, ut ait Div. Paulus ad Ephæsios 4. & ad Corinth. 1. intelligitur tamen, ut Summo Pontifici subiecti, tamquam suo Superiori, & Principi, ac Christi Vicario: ergo, &c. ita in C. Dominus 19. dist. & in C. quoties 24. quæst. 1. & in C. sunt quidam 25. quæst. 1. Des Bois, & Suarius cum Div. Thoma. 1. 2, quæst. 97. art. 4. ad 3. Sylvester verbo Pap. quæst. 16. Almainus de potest. Eccles. cap. 13. & alij plures, ut per Covarruv. de sponsalibus par. 2. cap. 6. §. 9. num. 4. Azzor. instit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 12. quæst. 7. lib. 4. cap. 18. quæst. 2. lib. 5 cap. 3. a principio.

165 Objicies ultimo. Usus Ecclesiæ est non iudicare Hæreticos illos, qui verum Pontificem negant in individuo, unde dicuntur

errare non contra fidem, sed contra charitatem, unitatem scindentes; ergo non est de fide hunc hominem esse Pontificem.

166 Respondeo, omnia schismata, semper fere nasci, antequam unus Pontifex acceptatus sit universaliter; secus si quis diceret nunc Innocentius XI. non est verè successor Petri, certè posset ab hæresi excusari, at eo modo non posset excusari ille, qui diceret, Pontificem Romanum non esse Petri successorem; hæc circa hanc quæstionem, quæ potius a me trutinata est curiositatis gratia, quam necessitate in hac materia de fide, &c.

SUBSECTIO VII.

An revelatio universalis, sit sufficiens, ad credenda singularia nota certitudine morali, vel notitia probabili.

167 PRæsciendum est primo, quid veniat nomine evidentiæ moralis, aut notitiæ probabilis. Evidentia, sive certitudo probabilis, aut moralis, ut melius dicam, tunc in aliqua propositione invenitur, quando de re aliqua non possumus non solum prudenter dubitare, sed nec formidare. Exemplum sit in hoc quod est fuisse Iulium Cesarem; fuisse Anibalem; nam licet non sit repugnantia physica, quod omnes historici, mentiti sint, moraliter tamen id repugnat, atque adeo assentimur moraliter, nec possumus prudenter formidare, ne forte decipiamur, quod idem dicendum est de alijs historijs humanis, quæ nullo contradicente ab hominibus creduntur. Id de Imperio Senensi, quod non vidimus nos, & tamen ex relatione multorum, absque ulla formidine credimus, & sic de alijs; hoc ergo supposito.

168 Conclusio mea sit, quando est certum, sive evidens moraliter, hoc individuum comprhensum fuisse sub propositione universali, revelata a Deo sufficit, ut illam credere de fide possimus; imò debeamus illam de fide re credere. Defendit Hurtad. disput. 11. sect. 3. §. 25. qui quidem Hurtad. cit. pro se Suarium, & Belarminum; hos sequitur Lugo de virtute fidei

divinæ

divinæ dispur. 1. sect. 13. §. 4. cum alijs non paucis.

169 Probo primo, assemptum positum; sic fundando totam meam rationem. Concilium Tridentinum: v. g. constat morali evidentia fuisse legiptimè congregatum, atque adeo habuisse Spiritus Sancti assistentiam, prout a Deo promissum fuit, nempe quod omnibus Concilijs legiptimè congregatis semper futurus erat præsens sua divina gratia; ergo quidquid in particulari in illo Concilio de fide fuit determinatum, credere nos debemus de fide, etenim si est certa hæc universalis propositio in omnibus, in quibus Deus sua divina gratia assistit, credenda sunt de fide, esse bene, ac legiprimè facta, sed in Concilio Tridentino, Deus præbuit suam particularem assistentiam gratia sua divina; ergo de fide credere debemus, quod cuncta de fide ibi a Patribus sancita, credenda esse a nobis de fide.

170 Corroboratur dictum, dato quod Deus alicui sufficienter revelaret, Velle destruere flamis omnes Europæ Civitates ob peccata nostra, & hoc velle in hoc anno 1687. agere ob peccata hominum existentium in illis Civitatibus. Sine dubio, talis homo cui facta esset a Deo talis revelatio, posset de fide credere, Deum velle in dicto anno destruere flamis Romam, cum sit una ex Vrbibus Europæ, & ratio formalis huius rei est, quia sicuti ad credendum fide divina sufficit, ita constare de revelatione Dei, ut prudenter non possimus, de ea formidare, ne forte non sit Dei revelatio, ita ad credendum similiter divina fide hunc obiectum particularem, sufficit constare, Deum locutum fuisse de dicto obiecto, ut non possimus formidare prudenter. Igitur cum in casu nostro, de quo fit quæstio, ob moralem certitudinem cum non possimus prudenter dubitare, aut formidare, an hoc individuum contineatur in proposit one universali revelata, & per consequens cum de hoc obiecto locutus sit Deus, consequens est, ut fide divina possimus credere, imò ut debeamus credere hoc obiectum, & de illo locutum Deum fuisse, &c. alias nullam haberemus rationem credendi, quia ea, quæ in tantis Concilijs determinata sunt de fide, de fide creden-

da essent, nisi faciendo nos recursum ad illam conclusionem, nempe quod in omni Concilio legiptimè, & canonicè congregato Deus speciali auxilio assistat, iuxta illud, *ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo ibi ero*: cum ergo Concilium Tridentinum fuerit legiptimè congregatum, nempe auctoritate Summi Pontificis Romani, prævijs citationibus, &c. & ab ipsomet Pontifice approbatum fuerit, ac in illo interfuerint, qui interesse debebant, utpotè Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & cuncti Prælati, quorum erat debitum interveniendi, alias non legiptimè impediti, cæterique fideles, vel per se, aut per nuncios, de quorum quidem fide non possumus dubitare, nec formidare, alias nostra fides in omnibus formidaret, sive vacillaret: ergo revelatio universalis est sufficiens ad credenda singularia nota certitudine morali, vel notitia probabili; quod totum corroborat, quod a me est firmatum in subsectione antecedenti, de hoc numero, videlicet, Pontifice: at quia non est conclusio præsens sine obiectionibus aliquibus, hinc est, ut magis dilucidata, & firma remaneat, illas ponam, ut solvam intra, interim.

171 Probo alia ratione conclusionem prædictam, doctrina, & ratione Scoti. Conclusio deducta ex una præmissa de fidei, & altera naturali evidenti, certum est, quod pendet ab obiecto utriusque indivisibiliter; ergo in sequenti exemplo, v. g. omnis homo est risibilis, Christus est homo; ergo Christus est risibilis: saltem hæc conclusio si non erit de fide rigorosa, erit thæologica conclusio, sed in isto alio exemplo, è contra se habet, sed ad propositum nostrum, *omne Concilium legiptimè convocatum Deum proassistente habet*, iuxta illud, *ubi duo, vel tres congregati fuerint, &c, ibi ero*, est de fide, quia hoc dictum est a Deo: at in Concilio, sive Concistoro, aut Conclave Cardinalium, ubi eligitur Pontifex Romanus electus Papa N. est; ergo de fide pro Papa N. tenendus est, quia ab ipsis Cardinalibus, ut talis nobis proponitur, & si secunda propositio, non habeat obiectum de fide explicitum, habet tamen implicitum, atque adeo, ut ego assero

in conclusione, ex una præmissa universali de fide, & altera naturali, deducitur fidei assensus, dummodo illud singulare credendum notum sit certitudine morali, aut notitia probabili.

172 Tum quia spectat ad Dei veritatem, ut non solum, obiecta immediata, immediatè revelata ab ipso, ut non sint falsa, sed etiam, ut non sint falsa obiecta mediata, mediate revelata ab ipso Deo, sed & singularia nota certitudine morali, aliquo modo contenta sub universalibus creditis, quia revelata sunt a Deo, aliquo modo dicuntur ab ipso Deo etiam revelata; ergo particulare, sive singulare contentum sub universali revelato a Deo de fide, per certitudinem moralem notum, credendum est.

173 Nec valet responsio Mastr. [etiam si subtilissime loquatur] disput. 6. de virtutibus Theologicis quæst. 12. art. 2. n. 337. pag. mihi 489. quod quando conclusio sequitur ex una præmissa revelata, & altera lumine naturæ nota, dicta conclusio non est de fide credenda; bene tamen, quando procedit ex duobus revelatis a Deo; non valet inquam, talis responsio Mastr. loc. citato, quia hoc est verum, quando minor propositio, est purè proveniens a dicto hominum, at quando minor particularis, est implicitè, & virtualiter contenta in universali revelata a Deo, tunc conclusio est de fide tenenda, etiam si clarè non constet dictam minorem singularem, nisi per attestationem moralem esse certam, & credibilem, sicut est evidens in exemplis adductis a me supra num. 171. & 172.

174 Obijcies 1. si ad credendum hoc individuum obiectum fide divina sufficeret certitudo moralis, ut sub universali contineretur propositione de fide credenda, v. g. hunc Infantem, quem Patrini in fonte baptismi elevarut, & nos videntes Parochus illum baptizzavit, ut esset iustificatus; nam videtur quod sit moralis certitudo de eius baptismo, & ex altera parte habemus propositionem universalem de fide, quod *renatus ex aqua, & Spiritu Sancto iustificatur*, alioquin possemus illum puerum sine scrupulo, saltem subconditione, rebaptizzare, quod idem dicendum est de consecratione huius Hostiæ, & de Christo sub

illa contento; quia alioquin non possemus, sub illa absolutè adorare Christum, sed solum sub conditione, utpote, si consecrata sit. Quia sicuti fide divina non possumus credere illud, de quo prudenter dubitamus fuisse à Deo revelatum, ita non possumus illam adorare, nempè eam Hostiam, de qua prudenter possumus habere formidinem, an fuerit verè consacrata, nec ne, &c.

175 Antequam ad argumentum respondeam, præmitto dari duos gradus certitudinis. Primus gradus, sive genus certitudinis, seu primus certitudinis gradus est illa certitudo, quæ, ut alibi dixi, excludit omnem prudentem formidinem, & hæc est propriè certitudo moralis. Secundum genus certitudinis est illa, quæ non excludit formidinem prudentem, sed solum prudentem dubitationem de illo obiecto, vel iudicium probabile prudens de obiecto contrario, quod aliquando vocari solet certitudo moralis humana, & quatenus certa, contradistinguitur a dubijs. Eodem etiam modo incerta aliquando dicuntur ea, quæ sunt dubia; aliquando ea solum, quæ firma sunt, & non sinunt intellectum non solum deflectere in partem contrariam, sed nec etiam vacillare per aliquam formidinem; sed constantem, & firmum eum retinent. Ad argumentum; ergo, &c.

176 Respondeo, nego sequelam: in exemplis enim adductis non invenitur certitudo moralis rigorosa, & propria, sed impropria, & imperfecta, non excludens propriam formidinem moralem de veritate obiecti, prout requiritur ad imperandum assensum fidei circa illa obiecta; quare in casibus propositis de Baptismo, & Hostia, non prohibemus formidare, & dicere, fortassis non est consecrata, nec formido sola sufficit ad reiterandum Baptismum, & Hostiæ consecrationem, etiam sub conditione, sed debet esse talis formido, ut sit moralis, prout dixi.

177 Ex dictis ergo clarè infertur, quòd de fide sit, prout in antecedenti subsectione dixi, hunc numero Pontificem, nempè quando non dubitatur, quod sit legiptimè electus, quia quando cum fundamento probabili dubitatur, an sit legiptimè electus, non

est

est de fide credendum, quod hic homo sit verus Pontifex, &c. Sic Suarius disp. 10. de fide sect. 5. n. 2. Turrecremata, Albertinus, Caietanus, Bannes, Vega, Corduba, Castro, & alij.

178 Nec mihi arridet ratio Mastrij adducta ab ipso hic cum de fide disp. 6. q. 12. art. 2. pag. 489. n. 338. ubi dicit, quod non est tenendum de fide, talem puerum esse baptizzatum, nec etiam quod, Petrus v. g. hic, sit conceptus in peccato originali, quia talis assensus in hijs casibus non esset assensus fidei divinæ, sed esset assensus Theologicus.

179 Non mihi placet, inquam, talis responsio [salva reverentia tancti viri] etenim, ut dixi, ex una universali de fide, & una particulari moraliter nota infertur conclusio de fide; nam illa particularis virtualiter continetur in universali, atque adeo conclusio ex premissis de fide, adæquatè procedit sivè implicitè, unde illa conclusio deducta ex talibus premissis non est conclusio Theologica rigorosè, sed solum secundum quid, & sic erit eiusdem assensus; sed benè assensus fidei potiùs quàm Theologicus.

180 Quæres: an assensus Conclusionis Theologicæ sit naturalis, vel supernaturalis? Affirmativè respondeo, nempe quòd supernaturalis sit talis assensus Theologicus, sivè Conclusionis Theologicæ.

181 Ratio huius meæ responsionis est, non solum, quia Theologia est scientia supernaturalis, verum, quia argumentum Theologicum constat ex præmissis, quarum una est de fide, & altera, & si sit naturalis, non est naturalis, sivè phylosophica, ut sic, sed inclusa manet in illa de fide eminenter, atquè adeò assensus conclusionis talis argumenti Theologici supernaturalis erit, quare vocat illum consensum Vlpes tom. 1. par. 1. art. 2. cum Scotistis, & asserit ita illum vocasse Scotum q. 1. prologi.

182 Neque valet dicere, quod assensus fidei supernaturalis non potest esse falsus, bene tamen Theologicus; quia conclusio sequitur debiliorem partem; Minor propositio cum nitatur in fide humana, & conclusio sequatur illam, quæ quidem fides

humana

humana cum defectibilis sit, conclusio inde sequens, & consequenter assensus illius falsus esse potest: ergo non erit supernus.

183 Respondeo huic instantiæ, & dico, quod talis assensus non distinguitur, nisi accidentaliter ab assensu fidei, atquè adeò in se supernaturalis est, & si accidentaliter dici possit purè Theologicus naturalis; nam etsi Theologia Scolastica in suis Theologicis argumentis habeat miscere propositiones naturaliter evidentes: quia tamen semper adiungit propositionem de fide, hinc fit, talem debere esse conclusionem; quia conclusio sequitur debiliorem partem, & premissa evidenter nota naturaliter, semper virtualiter in illa est inclusa; v.g. omne spirituale purum, & in se tale essentialiter, est immortale, sed Anima rationalis est spiritualis in se essentialiter; ergo, &c. Anima rationalis, est immortalis; minor includitur in maiori de fide; ergo assensus conclusionis illatæ ex duabus illis premissis erit supernaturalis. Quare hic addo id, quòd difficultatur à Theologis, an scilicet, habitus Theologicus sit distinctus ab habitu fidei, & multi resolvunt, quod solum accidentaliter distinguntur, non verò in re, ob rationes a me assignatas; nempè, quia illæ propositiones naturales, quæ miscentur à Theologo in suo argumento, includuntur semper eminenter in illa de fide.

184 Et si Mastrius dicat, quod assensus supernaturalis non potest esse falsus, quomodo potest esse assensus conclusionis Theologiæ, quia nititur in propositione naturali, aut in propositione nota solum authoritate communi, quæ quidem propositiones, & si nobis veræ appareant externè, in se tamen non sunt tales.

185 Contra est, quia tunc Mastrius verum, ac bene diceret, si assensus conclusionis dependeret tantum ab una propositione naturali, at quia dependet a propositione de fide in qua eminenter inclusa est naturalis propositio; uterque supernaturales dicuntur: undè etiamsi illa propositio naturalis vera esset, adhuc ille assensus supernus esset, quando conclusio sequatur debiliorem partem, ut dicunt, & benè Logici. Tanto magis, quòd

Scotus

Scotus in 3. dist. 35. quæst. unica inquit, quod conclusionibus Theologicis non assentimur propter evidentiam, quam habent in seipsis ex natura terminorum, sed quatenus virtute revelatæ sunt in suis principijs, & hanc solam revelationem cognoscimus expresse per deductionem illam.

186 Et non valet replicatio Brancatis loco supra citato n. 346. in fine dicendo, quod debilior pars est propositio naturalis, quia hoc valeret, quando ista non esset contenta eminenter in illa revelata; & de fide, unde potest dici, quod illa conclusio ex ambabus propositionibus deducta sit, & sic etiam, prout fatetur ipsemet Brancatius, sensum fuisse Scoti, semper ille assensus erit supernaturalis, quia bonitas illationis, quæ est ratio assentiendi, & si dependeat ab una de fide, & ab una naturali, hæc, ut dixi, contineri debet in illa de fide saltem eminenter, aliàs non esset argumentum thæologicum: concludo ergo, quod assensus conclusionis thæologicæ est supernaturalis, si non supernaturalitate rigorosa (quod non potest dici) saltem secundum quid, & in genere supernaturalitatis continetur.

S V B S E C T I O VIII.

Vtrum fides, & scientia possint esse simul.

187 IN difficultate, quæ solet etiam a logicis disputari cum de scientia, & propositione vera, & falsa non desunt opiniones diversæ. Alens. 3. par. quæst. 68. cum Suario disp. 3. hic de fide sect. 9. cum alijs ab ipso citatis. Arriaga, Lugo, &c. partem affirmativam tenent, nempe quod fides, & scientia possunt esse simul, tàm quoad habitus, quàm quoad actus.

188 Contrariam sententiam tenent Thomistæ, ut Caietanus hic 2. 2. quæst. 1. art. 5. quod etiam tenet Angelicus ibidem. Bannes ibidem; Malderus hic art. 3. cum cæteris Thomistis afferentibus, rationes D. Thomæ, quas si non essent contra a me iam dicta in meo Sertu Phylosophico pag. 462. num. 77. non respuerem, quia habent fundamentum probabilem.

189 Madernus defendit eamdem ſententiam hic cum de fide tract. 9. art. 14. num. 4. aſſerens, nullo modo ſcientiam, & fidem poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto, eodem tempore, & loco, non obſtantibus his: meam opinionem, prout dixi in logicam, iterum eamdem diffuſius, & clarius proferam.

190 Concluſio 1. pro me eſt, quod in eodem intellectu poſſunt ſtare ſimul habitus fidei, opinionis, & erroris.

191 Probat hanc opinionem Thomas Comptonus in logica diſput. 50. ſect. 2. num. 5. tali modo, & medio. Habitus ad actus oppoſitos etiam ſibi non repugnantes ſaltem in gradibus remiſſis, ut experimur in voluntate humana, in qua non ſtatim, ac Franciſcus v. g. acquirit incipienter habitum virtutis, apparet, ut expellantur ſtatim veſtigia vitij contrarij; ergo dum incipit in voluntate virtus humilitatis, non ſtatim ſuperbia recedit [quod idem dicendum eſt de fide, & errore in illa de fide, & ſcientia; quia ſicut eadem potentia numero indiviſibilis, diviſivè datur ad formas contrarias, & ad effectus, inter ſe non diverſos modo, ſed repugnantes, ut in intellectu ad aſſenſum, & diſſenſũ, & in materia Ariſtotelica, ad formam ignis, & aquæ, ita non obſtabit, quo minus dentur in aliquo ſubiecto duæ inclinationes, ad effectus diviſivè etiam oppoſitos; ergo multo minus repugnat, ut dentur ad non oppoſitos, quales ſunt actus fidei, opinionis, ſcientiæ, & erroris.

192 Concluſio 2. Non repugnat, ut ſcientia, fides, & opinio in eodem ſimul intellectu reperiantur de eodem indiviſibili obiecto, & hoc de potentia ordinaria, & naturali. Defendunt Scotiſtæ cum ſuo magiſtro Scoto in 3. diſt. 24.

193 Probo concluſionem ſic, quia ex nullo capite in hac re oriri poteſt repugnantia; nam ex nullo capite actus fidei, cum opinione, & ſcientia ſint ſimul incompoſſibiles: niſi forte, quia ſcientia, clarè, & evidenter obiectum repræſentat, fides vero, & opinio obſcurè; claritas autem, & obſcuritas de eodem obiecto, repugnantiam dicunt; atqui hoc nihil obſtat veritati concluſioni meæ firmatæ; ergo, &c. Nam fides, & ſcientia, non

ſe habent, ut forma & privatio formæ, vel quemadmodum lux, & tenebrę, cum fides non ſit negatio ſcientię, ſicuti nec opinio, ſed ſe habent quomodo maior, & minor lux, diverſæ tamen rationis, aut ſicut actus perfectus, & imperfectus: unde vulgariter dicitur aliquando, cellam obſcuram eſſe, quamvis in ea ſit aliquid lucis obſcuritas; ergo fidei, & opinionis poſitiva eſt, non autem, quid privativum, unde ad ſummum dicit privationem in eodem actu claritatis, non autem in eodem ſubiecto: in quo eſt manifeſta diſparitas inter lucem, & tenebras, quæ eſſentialiter lucis privationem requirunt in eodem ſubiecto.

194 Probo etiam alia ratione eandem concluſionem. Poteſt namque quis habere ſimul cum habitu ſcientiæ de aliquo obiecto habitum fidei, quo credidiſſet dictum obiectum, ſi eum non vidiſſet; ſicuti duo Apoſtoli Petrus videlicet, & Ioannes habebant habitum fidei, quo quidem credidiſſent Chriſtum crucifixum, ſi eum crucifixum non vidiſſent; ergo habebant habitum fidei, & ſcientiam ſimul: nam habitus fidei, & ſcientiæ propriè dictæ ſolum virtualiter opponuntur, aut cauſaliter, non vero eſſentialiter; quando enim effectus ſunt incompoſſibiles in aliquo, ſimul cauſæ eorum incopoſſibiles ſunt, non quidem in eſſendo, ſed in cauſando, quia nequeunt ſimul cauſare, & idem numero ſubiectum ſimul immutare; dum enim una cauſat, non movebit, nec cauſabit altera a fortiori cauſa præventa, ſuſpenſa, & impedita, quod totum declaratur exemplo medij logicalis, & demonſtrativi; ſi enim iſta duo media concurrant ad movendum, & perficiendum intellectum reſpectu eiuſdem obiecti per aſſenſum probabilem, & ſcientificum, medium logicum nihil impedimenti erit demonſtrativo efficaciori. Cum itaque habitus ſcientiæ, & fidei, reſpectu eiuſdem in eodem genere qualitatis nullam habeant oppoſitionem formalem, ac entitativam ſicut, nec ſpecies albedinis, & nigredinis, frigoris, & caloris in eodem intellectu [eſto quod tales ſpecies dentur] etiam in gradu ſummo, cum contraria in re non ſint contraria in intellectu, ſequitur, poſſe conſervari ſimul in eodem intellectu, & reſpectu

 eiuſdem

eiusdem obiecti, sic a fortiori poterunt salvari in eodem intellectu habitus fidei, & scientiæ de eodem obiecto simul, & conservari pro eodem tempore, & per consequens assensus fidei cum actu scienlifico de obiecto eodem. Exemplum sit de homine docto, & fideli catholico, ut erant D. Augustinus, & S. Thomas, Scotus, & multi alij doctissimi viri, qui scientiam claram de Deo habebant habitualem, sequeretur in sententia contraria, quod talem scientiam de Deo acquirendo, perdidissent habitum fidei, quod quàm ridiculum hoc dicere sit, rectè discurrenti patet: & sic argumentatur de alij rebus revelatis, quæ decursu temporis a doctissimis viris, de eisdem habuere scientiam.

195 Quod si contrariam sententiam contra me defendentes respondeant huic ultimæ meæ rationi, dicentes; quod dum acquiritur a docto scientia circa unum articulum, perdit fidem formaliter circa eundem, & si remaneat erga alios articulos, sive propositiones revelatas credibiles. Contra est, quia ad veritatem meæ conclusionis sufficit, ut habitus fidei maneat integer, quoad suam entitatem physicam, & metaphysicam cum habitu, & actu scientifico, sive postea maneat, quoad formalitatem inclinandi ad credendum articulo, de quo doctus homo scientiam acquisivit, sive non, mihi parum refert: quamvis etiam hoc falsum sit.

196 Quid enim mihi prohibet, ut credam de fide esse propositionem a me scitam per habitum scientificum, quando eadem propositio proponetur mihi, ut a prima veritate revelata? Vnus namque habitus non tollit specificativum alterius, a quo pendet in genere causæ formalis obiectivæ: ergo in tali casu non solum maneret habitus fidei entitativè, & physicè, sed formaliter etiam respectu propositionis iam scitæ. Probatur consequentia ista ultima; nam tàm actus quàm habitus ab obiectis formalibus formaliter specificantur. Probo propositionem istam ultimam, formale specificativum habitus non est obiectum actu cognitum; sed cognoscibile, aliàs coloratum, ut coloratum, non esset obiectum formale visus, nisi prout cognoscitur actualiter a visiva

potentia

potentia, neque visivæ potentiæ esset obiectum formale coloratum, sed actus visionis, quòd est discursus non rectè phylosophantis, sed malè phylosophicè discurrentis: neque verum, ut verum, neque bonum, ut bonum essent obiectum voluntatis, & intellectus, sed actus voluntatis, & intellectus, & sic esset falsa illa propositio universalis in Scholis trita, quod potentiæ specificantur ab obiectis, & a modo tendendi in illis, undè obiectum alicuius facultatis, aut potentiæ non est obiectum actu cognitum, sed cognoscibile, prout cognoscibile; visibile,&c. possunt namque plures habitus specificari simul ab oppositis cognoscibilibus, esto non possint plures actus specificari ab oppositis motivis actu simul cognitis, quare fit, ut licet habitus, & actus circa idem obiectum versentur, & habeant eandem rationem formalem illud attingendi, non tamen eodem modo circa illud versantur, aliàs temperantiæ habitus, & intemperantiæ non possent esse simul in aliquibus gradibus, quod est contra experientiam, & praxim.

197 Opponunt se adversarij his meis rationibus, & sic contra me argumentantur. Si usque modo proposita vera essent, eodem modo possent simul stare habitus oppositi, ac non oppositi; quia non eodem modo eorum motiva opponuntur; sed solum in ordine ad actus illorum. Quod falsum est, aliàs, nulla esset differentia inter habitus oppositos, & non oppositos.

198 Sed ego respondeo dicto adversariorum, & nego eorum consequentiam male illatam, & dico: esse magnam disparitatem inter habitus oppositos, & non oppositos. Etenim quamquam habitus oppositi non habeant inter se repugnantiam formalem, & entitativam, habent tamen repugnantiam causalem; quare fit, ut quamvis habitus geniti ex actibus oppositis non se excludant ab eodem subiecto, quoad entitatem, se mutuo excludunt, quoad vim movendi, & inclinandi potentiam, habitus verò non oppositi nullam repugnantiam inter se habent, nec formalem, nec virtualem, quare inter se nullo modo se exclu-

dunt, immò cum sint similes, & quasi eiusdem naturæ in convenientia non oppositionis, sive negativè, mutuo se fovent, sicut duo luminaria, quorum unum alterum adiuvat ad magis illuminandum, vel saltem, unus habitus non impedit alium, propterea dixi negativè.

199 Tum quia scientia, fides, & opinio non tendunt modo contradictorio in idem obiectum, quomodo tendunt affirmatio, & negatio, at omnes affirmativè ibidem feruntur, quamvis quælibet ex proprio motivo, unde ex hoc solum arguitur, quod in eodem intellectu dari possit actus perfectus, & imperfectus de eodem obiecto, quod nullam repugnantiam dicit, ut patet clarè de apprehensione, iudicio, & discursu in eodem intellectu circa idem obiectum; & postea, nonne potest idem Beatus in Patria habere, sicuti de facto habet, cognitionem intuitivam de Deo, & de eodem Deo etiam abstractivam habere potest per effectus eius; quare ergo nos in via, non possumus habere de eodem obiecto fidem, opinionem, & scientiam. Angeli numque in via de Dei existentia scientiam habuere, a qua numquam (ut multi Scholastici probabiliter defendunt) cessare non poterant, & tamen talem existentiam etiam simul crediderunt: ergo, &c.

200 Obijcies 1. lux, & tenebræ non possunt esse simul in eodem aere; ergo, nec fides, opinio, & scientia in eodem intellectu simul de eodem obiecto esse nequeunt.

201 Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam; illa namque opponuntur privativè, ista nequaquam; quia fides, & si obscura sit, est tamen lucerna lucens in caliginoso loco, prout ait Petrus Apostolus Epistola 2. cap. 1. fides, & opinio habent in se tantum evidentiæ; quando fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium; possunt tamen res apparere aliundè, quàm per fidem, nempè per scientiam, vel per motivum scientiæ.

202 Obijcies 2. lucente sole, candela accensa lumen nullum producit, ergo nec opinio, vel fides manente scientia in intellectu cum hac ultima stare possunt.

203 Re-

203 Respondeo, nego consequentiam: dispar enim ratio est de una, ac de alia, quia candela accensa, & sol sunt eiusdem generis, illæ verò sunt diversæ speciei, unde non apparet ratio cur non possint esse simul, sicut potest esse, ut supra dixi, cognitio intuitiva, & abstractiva Dei, in beatis. Verum est, quod, visio beatifica cum fide stare non potest, ut benè ait Apostolus ad Corinthios cap. 13. cessante omni actu; cessat habitus.

204 Obijcies 3. quando una forma advenit in aliquo subiecto, ubi alia forma est eminenter contenta in illa prima forma, illa perit, nempe illa, quæ invenitur ab adveniente, at fides, & opinio eminenter continentur in scientia: ergo illa adveniente cessant illæ, atquè adcò esse simul non possunt in eadem intellectu creato.

205 Respondeo, nego maiorem, nam visio beata continet eminenter abstractivam visionem, & tamen simul possunt stare in beatis, ut supra dixi, quare argumentum nihil facit contra me.

206 Obijcies 4. Paulus Apostolus ad Hæbreos 11. habet definire fidem sic, *est substantia rerum sperandarum argumentu non apparentium*; ergo fides non potest versari circa res actu visas, nam hæc actu apparent; & D. Augustinus tract. 40. in Ioannem ait, *quid est fides, nisi credere, quod non vides*, & tract. 60. habet iterum dicere, *quod non vides, credis, nam si vides, non est fides*; ergo cum fides non sit de visis, sed de obscuris, dicendum est, non posse ullo modo illam stare cum scientia de eodem obiecto, in eodem intellectu.

207 Respondeo, & dico, bene dixisse D. Paulum, & etiam D. Augustinum, nam non loquuntur contra meam conclusionem locis citatis, sed solum dicunt fidem habere obiectum obscurum, scientiam vero clarum, & evidentem; non propterea inde sequitur, fidem non posse stare simul cum scientia in eodem intellectu, circa eandem propositionem, quia, ut dixi, fides, & scientia non se habent sicut forma, & privatio, sicut lux, & tenebræ,

nebræ, ſed ambo, quid poſitivum ſunt, & abſque oppoſitione inter ſe, ut ſupra, neque entitativam, neque formalem, neque cauſalem, quare cum nullam oppoſitionem habeant inter ſe, neque contrariam, neque contradictoriam, neque diſparatam, neque entitativam, neque formalem, hinc eſt, quod non ſe expellunt mutuo ab eodem ſubiecto fides, & ſcientia circa eamdem propoſitionem, quare nego conſequentiam.

208 Obijcies 5. quæ opponuntur privativè, non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, atqui fides, & ſcientia de eadem propoſitione opponuntur privativè; ergo non poſſunt eſſe ſimul de eadem propoſitione, in eodem intellectu; maiorem dicunt eſſe veram arguentes contra me: implicat namque, dicunt illi, hanc aulam v. g. eſſe illuminatam, ut octo per feneſtram, & tenebroſam per oſtium, ſed ita ſe haberet intellectus Franciſci, v. g. ſi in ſe de eadem propoſitione haberet fidem, & ſcientiam; ergo ſi implicat primum, & hoc ſecundum implicare videtur.

209 Reſpondeo, concedo maiorem propoſitionem, nego deinde minorem, & conſequentiam; quia, ut iam dixi, fides, & ſcientia non opponuntur ullo modo ſecundum ſe, & nulla eſt ratio expulſionis unius ab alia ab eodem ſubiecto.

210 Inſtabis: evidentia, & obſcuritas opponuntur privativè; atqui ſcientia, dicit evidentiam, de ſe, & eſſentialiter, & fides eſſentialiter obſcuritatem; ergo privativè opponuntur, atque adeo mutuo ſe expellunt ab eodem ſubiecto ſcientia, & fides de eadem propoſitione.

211 Reſpondeo ad inſtantiam, & maiorem diſtinguo, obſcuritas, & evidentia opponuntur privativè nominaliter, concedo, in re nego maiorem, & minorem diſtinguo ſimiliter, fides dicit obſcuritatem, ideſt nominaliter, concedo, realiter, nego, & nego conſequentiam: alia eſt obſcuritas, quæ dicit oppoſitionem cum luce, & illam expellit, ut ſunt tenebræ; quia ſunt quid ptivativum, alia eſt obſcuritas ſic pronunciata, tamen eſt in ſe quid poſitivum, prima habet oppoſitionem cum claritate lucis, non autem ſecunda, & ſi diverſitatem habeat, unde

conſtat

constat nullo modo fidem, & scientiam privativè opponi, in quo tota vis adversariorum consistit, quod tamen non probant, neque probare possunt.

212 Obijcies 6. fides, & scientia de eadem propositione non possunt etiam de potentia Dei absoluta esse in eodem intellectu simul; ergo etiam naturaliter, & via ordinaria non poterunt esse, &c. Probant antecedens sic; evidens, & inevidens dicunt contradictionem, sed scientia est evidens, fides inevidens; ergo de potentia Dei absoluta non possunt esse simul in eodem subiecto. Tanto magis, quod actus scientificus circa assensum est necessarius, assensus autem fidei est liber, liberum, & necessarium in eodem subiecto implicant; ergo etiam de potentia Dei absoluta fides, & scientia non possunt esse simul de eadem propositione in humano intellectu.

213 Respondeo, nego antecedens, nam ex dictis satis contrarium constat, & etiam consequentiam deludo. Ad probationem antecedentis, dico, evidens, & inevidens dicunt contradictionem in illa eadem re, quæ est evidens, & in ea, quæ est inevidens, concedo maiorem, in re diversa, nego maiorem, & minorem concedo, & nego consequentiam, argumentum enim adversariorum solvit seipsum: ratio est, nam evidens, & inevidens non sunt respectu eiusdem entitatis, sed diversæ, actus enim fidei est inevidens, & obscurus, verum est, sed est una entitas realiter distincta ab entitate actus scientifici, qui est evidens, contradictoria enim, quæ neque de potentia absoluta possunt esse simul, sunt illa, quæ verè sunt contradictoria, & esse debent eiusdem de eodem circa idem, quomodo esset, si actus fidei esset clarus,& evidens circa Mysterium Trinit. in Io.& in eod. Io. idem actus indivisibilis esset obscurus circa eundem Mysterium, ut superius dixi, actus scientificus intellectus est necessarius, quia ex evidentia præmissarum cogitur assentiri conclusioni: voluntas vero liberè consentit præsentationi propositionis ipsi revelatæ; ergo assensus fidei, & scientificus sunt contradictorij in tali casu, ridiculares est hoc dicere.

214 Obijcies 7. propositiones fidei creditæ de Deo, & visæ per scientiam evidentem saltem, aut formaliter, aut virtualiter contradictionem involunt, nempe tales sunt, ut ex eis sequatur contradictio; ergo, &c.

215 Respondeo; nego antecedens, contradictoria enim debent essentialiter esse de eadem circa idem, unde adverto, quod propositio hæc; v. g. Deus est trinus, & unus, & habet in se credibilitatem, & scibilitatem, prout scibile est, terminat actum scientificum, sive in patria claram Dei visionem, prout credibile est, terminat actum fidei, unde, si Beato videnti Deum clarè proponeretur dicta propositio, ut credibilis a Deo, teneretur credere, & tamen tunc de dicto Mysterio non cessaret visio beata, clara, & intuitiva, quia est perpetua, & cessare non potest, & nihilominus, absque ulla contradictione, tunc ab eodem intellectu beato Mysterium Trinitatis esset visum, & creditum, quid ergo dicent adversarij? Ergo, &c.

216 Instant; data responsione stante sequeretur, quod contraria in summo possent esse simul in eodem subiecto, hoc est falsum; ergo, & primum, nempe allata responsio ad argumentum præcedentem, quia etiam in voluntate simul daretur actus amoris, & odij.

217 Respondeo instantiæ, & dico, quid ad me, si contraria in summo essent in eodem subiecto; nempe calor, & frigiditas? Forsitan, quia tale mistum esset ignis, & non esset ignis, esset aqua, & non esset; non est hoc non obstante contra me: etenim ego concedo, & defendo, quod si darentur formæ Aristotelicæ, plures ex illis unicam materiam informare naturaliter possent, sicut plures animæ unum corpus animare; quia una informatio non negat aliam, neque una ubicatio aliam ubicationem, prout videre est in meo Sertu Phylosophico par. 2. & 3. quare argumentum non impugnat meam conclusionem.

218 Obijcies 8. fides, & scientia dicunt contradictionem inter se ex parte obiecti; ita quod unus habitus, sive actus, alium destruat, nempe obiectum formale unius habitus, nempe fidei,

aut

aut actus illius destruat obiectum formale habitus, vel actus scientifici, etenim actus scientiæ tendit in obiectum in se clarum, & evidens; actus vero fidei in idem obiectum, ut in se obscurum, & inevidens, ergo unus habitus destruit obiectum formalem alterius, atque adeo non possunt isti duo habitus stare simul in eodem subiecto.

219 Respondeo, quod bene diceret arguens, si tam fides, quàm scientia haberent eundem obiectum formale, sicuti possunt habere eundem obiectũ materiale; at quia habent diversum obiectum formalem, & diversum modum tendendi in illud, hinc est, quod unus habitus non destruit obiectum formale alterius. Quare negatur antecedens; nec dictũ antecedens probant illius Authores, nec probare possunt meo videri. Vt superius dixi, Mysteriũ Trinitatis, potest considerari, ut quid Dei est, & sic est obiectum materiale scientię, & fidei, &c. & prout revelabile a Deo prima veritate, & sic fit obiectum formale fidei; si verò consideretur, ut clare scibile, & evidenter, est obiectum formale scientiæ, quomodo; ergo fides, quia obscurè tendit in suum obiectum, quamquam certè, destruit obiectum formale scientiæ, quæ eundem Deum habet pro obiecto formali sub formalitate alia specie distincta ab illa, quæ est obiectum formale fidei, tunc enim dicerent contradictionem obscuritas fidei, & claritas, sive evidentia scientiæ, quando in eundem obiectum formalem tenderent, & eodem modo tendendi, quia tunc idem essent fides, & scientia, & sic fides esset, & non esset fides, scientia similiter esset, & non esset scientia, quod implicat, nam contradictoria debent esse eiusdem de eodem circa idem, ut ipsimet arguentes contra me, fatentur, non sic sumus in casu, sed sunt diversa, diversis, circa diversa.

220 Dicant mihi, quæso, mei contrarij, nonne odium, & amor proveniunt a voluntate, quare ergo possunt stare simul actus odij erga Deum, cum actu amoris erga illum? Eliciat Franciscus actum odij erga Deum, certè tale peccatum in eorum sententia non tollitur nisi per gratiam sanctificantem, tamquam per suum primarium effectum, agat itaque gratia ad ex-

 pellen-

pellendum peccatum odij, certè non erit expulsio peccati in instanti; ergo dum expetlitur peccatum, introducitur gratia; ergo tunc gratia, & peccatum sunt in eodem subiecto, & tamen peccatum est privatio gratię per eos, quomodo ergo stant simul sine contradictione? Dicant mihi oppugnatores meæ conclusionis. Certè, non nisi, quia habent diversum modum tendendi in obiectum, & diversum obiectum formale; sic in casu nostro, de quo agimus, phylosophandum est.

221 Dixi in conclusione, quod fides potest stare cum scientia, & opinione, modo quoad hanc partem probanda est, cum quoad aliam partem probata remaneat, & iterum pro parte illa aliquid aliud addam; ad præsentem difficultatem, de fide, & opinione, militant cædem rationes, ac de scientia clara, nam in patria Beati habent visionem claram de Deo, & simul de eodem possunt habere abstractivam; abstractiva namque cognitio cum evidenti non sibi contradicunt, quia proveniunt a diversis causis formalibus, & effectus formales diversi sunt, & circa eundem obiectum sub diversa formalitate consideratum, quod est totum negocium, de quo disputatur, & adversarij nolunt intelligere; ergo satis quoad omnes partes probata manet conclusio.

222 Conclusio 3. Articuli Fidei Catholicæ sunt evidenter credibiles. Est communis hæc conclusio apud omnes Catholicos Theologos.

223 Colligitur veritas huius conclusionis ex illo Psal. 42. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, & ex alijs locis Sacræ Scripturæ, & SS. PP. authoritatibus.

224 Probatur etiam ratione; etenim illud est evidenter credibile, quod probatur, confirmatur, & testificatur, testimonio, rationibus, & signis fide dignissimis; at huiusmodi sunt Mysteria nostræ Fidei; ergo Mysteria nostræ Fidei, sive eius Articuli sunt evidenter credibiles. Maior propositio est certa, minorem sic probo, adducendo videlicet motiva efficacia, seu evidentissimæ credibilitatis rerum fidei divinæ.

225 Primum motivum ſumitur ex perſona Chriſti Caput primum totius Eccleſiæ Dei, & Catholicę religionis, quod quidem Caput fuit promiſſum in veteri Teſtamento; a doctrina eiuſdem, ſanctitate, & divinitate, in quorum comprobatione tot, & tanta edidit miracula, & totum proprio ſanguine, & morte propria, ſigillavit.

226 Secundum motivum ſumitur ex qualitate doctrinæ noſtræ fidei; ipſa enim eſt ſimplex, nulla falſitate admiſſa; Secundo, quoniam quidquid ipſa admittit, modeſtiſſimum eſt, & nihil approbat, quod turpe ſit; nihil de Deo docet, quòd ſublimitatis non habeat, & quod poſſit probari eſſe falſum, & nihil in eis omittit, quòd ſequaces fidei divinæ ad omnem Sanctitatem non perducat.

227 Tertio, ex efficacia doctrinæ Chriſti Salvatoris, nam eiuſdem lex per totum univerſum mundum ab Apoſtolis (homines, & ſi pauperrimi fuiſsent) introducta fuit a Spiritu Sancto edoctis, quamquam a pravis hominibus ſemper oppugnata, ſed cum fidelium victoria, & contrariorum confuſione, quod ipſius doctrinæ efficaciæ, evidentiſſimum eſt ſignum.

228 Quarto, quia eadem doctrina ſemper conſtans, quamvis a pravis hominibus appugnata, neque unquam variata fuit, ſicuti cæteræ falſæ variatæ ſemper fuere, & in dies variantur.

229 Quintò, ex ſanctitate eorum, qui fidem Chriſtianam ſectantur, quæ ex miraculis patentibus in dies experitur, ſicuti ex vaticinis factis a Sanctis, & Prophetis. Etenim non ſolum in ſcriptura, ſed etiam a Sanctis novi Teſtamenti factæ ſunt prophetiæ multæ, quæ infallibilem eventum omnes habuerè.

230 Et quid de conſtantia Martyrum, & tenellarum, Virginum, ac ſoliditate Sedis Apoſtolicæ, in tantis, perſecutionibus ac Martirijs paſſis ab eis, & a Summis Pontificibus. Nulla enim ſecta, aut Monarchia habuit tàm firmam, & ſtabilem ſucceſſionem, quàm Pontificia, nam à Chriſto primo Pontifice, uſque modo non defecit, neque deficiet uſque ad finem mundi; quare dixit Auguſtinus in libro contra Epiſtolam fundamenti

cap. 4.

cap. 4. *tenet me in Ecclesia consensus Populi, atque gentium, tenet auctoritas, miraculis incohata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.*

231 Dixi supra n. 221. quod volebam aliquid aliud addere circa demonstrationem veritatis primæ conclusionis, undè, ut promissum servem, aliquas alias obiectiones contra illam primam conclusionem, adducam, & responsum illis dabo, etiam si omnes aifines iam allatæ sint.

232 Dices igitur contra primam conclusionem, evidens, & inevides, clarum, & obscurum, non possunt esse simul; atqui fides est obscura, ergo non potest stare cum scientia, quæ evidens, & clara est, ut ex definitione utriusque patet.

233 Respondeo,& dico; quod quāvis actus fidei sit obscurus, actusquæ scientiæ clarus, ac evidens, nihilhominus hæc obscuritas, & evidentia, non videntur pugnare in eodem intellectu, quia habent diversum subiectum immediatum; neque ipsi actus fidei, & scientiæ sunt oppositi, aut contrarij, quia actus fidei non affert secum privationem necessariò evidentiæ obiecti per alium actum, sed solum est quædam cognitio, quæ ex medio proprio non habet vim manifestandi obiectum; ac proinde de ratione illius non est, quod absolutè sit obscurus, non prout refert obiectum materiale, sed solum prout refert obiectum formale, quod materiale sub motivo fidei non appareat evidens, & clarum, licet aliunde manifestum sit.

234 Quod si adversarij dicant: SS. Patres contrarium sentiunt: dico, quòd SS. PP. solum intelligunt, quod fidei natura talis est, rerum, videlicet, quæ non apparent, nec evidenter per ipsam fidem, quia fides essentialiter est inevidens, vel nos non debere tantum credere ea, quæ a nobis videntur, aut ideò aliquid nos credere, quia videmus illud, ut volebant Gentiles, & Manichæi.

335 Dices 2. Actus fidei pendet non solum ab intellectu, sed etiam ab affectu voluntatis eligentis alteram partem; cum igitur actus scientiæ habeat obiectum illud sufficienter moventem,

non indiget affectu voluntatis, ut determinetur, & moveatur ab illa, quia in seipso clarè videntur; unde actus fidei, per quem credere debemus, non habet vim determinandi intellectum ad assensum potiùs quàm, addissensum, & hinc est, quòd assensus fidei est liber, scientiæ autem necessarius; quia primus ad assensum determinatur per voluntatem. Vnde cognitio ista determinatur ad obiectum, ut dissentire non valeat; atquè adeò esse necessaria: unde si intellectus posset eundem obiectum credere, & evidenter cognoscere; poterit similiter eidem rei assentiri liberè, & necessariò, & esse determinatus ad assentiendum, & indifferens, ut à voluntate determinetur.

236 Respondeo, argumentum non probare aliquid, quod sit alicuius valoris; sed solum probat, quod idem assensus non potest esse simul assensus fidei, & scientiæ; quod quamvis controversia sit de hac re, non fit modo quæstio. Non tamen probat quomodo diversis actibus ob diversas rationes formales eidem obiecto assentiamur, tunc enim nihil prohibet, unum actum esse liberum, alterum necessarium, in uno determinatur intellectus ab evidentia obiecti, in altero verò ab affectu voluntatis, & hoc sufficiat de ista subsectione.

SVBSECTIO IX.

Vtrum certitudo assensus fidei, sit certior quocumque assensu scientifico.

237 CVm in hac quæstione tres sint sententiæ, nempe duæ extremæ, & una media, prima absolutè affirmat, assensum fidei habere maiorem certitudinem, quàm habeat assensus scientificus: nam ille nititur in principijs altioribus, & altioribus causis, nempè in prima veritate, quam impossibilius est fallere, aut falli, quàm naturalem scientiam luminis errare; deindè assensus fidei pendet ex lumine infuso, & divino, quod altioris ordinis est, & altiorem certitudinem confert,

quam

quàm lumen naturale intellectus, unde hoc ſæpe corrigitur per illud, illud autem numquam per hunc; imò lumen naturale ſæpe etiam circa principia naturalia per lumen divinum corrigitur, ut conſtat ex illo principio, *quæcunque ſunt, eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:* quod in materia de Trinitate ad res finitas, & creatas limitatur; ſecunda ſententia abſolutè partem negativam defendit, ſic Durandus in 3. diſt. 23. quæſt. 4. qui dicit, ſcientiam eſſe certiorem extenſivè, & intenſivè, quàm ſit fides, dat rationem, videlicet; quia ſcientia pendet a duobus, nempe ab adhæſione intellectus firma, & obiecti evidentia. Certitudo vero fidei ſolum ab adhæſione intellectus dependet; ergo inquit Durandus, ſcientia eſt certior fide, &c. Tertia ſententia; quæ media eſt, eſt Gaietani 22.quæſt. 4.art. 8. Capreoli 3. diſt. 25. art. 3. cum alijs Thomiſtis diſtinguentibus; de certitudine aſſenſus ex parte obiecti, & ex parte ſubiecti, unde dicunt, quod quamquam fides ex parte obiecti ſit certior ſcientia, tamen ex parte ſubiecti appræhendentis, ſcientia eſt certior fide, ut videre eſt apud ipſos Thomiſtas, noſtra tamen.

238 Concluſio ſit, fides ſimpliciter, & abſolutè loquendo, tàm obiectivè, quàm ſubiectivè eſt certior quibuſvis alijs ſcientijs, ſive habitibus, tàm ſpeculativis, quàm practicis. Tenet Scotus in 3. diſt. 23. quæſt. unic. in fin. & diſt. 24. quæſt. unic. & alibi.

239 Probo primo concluſionem, teſtimonio Sacræ Literæ, & primo 2. Petri 7. *habemus firmiorem propheticum ſermonem:* ubi D. Petrus comparat viſionem oculorum cum prophetico ſermone, & dicit hunc eſſe firmiorem, clarius probatur concluſio ex illo Luc. 21. *Cælum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*, in quibus verbis Chriſtus comparare habet veritatem verborum ſuorum cum Cœli incorrubtibilitate, & terræ, quod idem eſt, ac dicere, prius deſtruetur Cœlum, & terra, quam verba ſua deficiant a veritate, & Ioannis cap. 5. etiam habemus, *ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt;* ergo ex Sacra Scriptura, fides certior eſt quaqunque creata, & evidenti ſcientia.

240 Pro-

240 Probatur etiam ex dictis SS. PP. Sanctus enim Augustinus lib. 7. confessionum cap. 10. inquit, *facilius dubitarem vivere me; quam esse veritatem, quam audivi in corde*, Chrysostomus homil. 12. in Epist. 1. ad Hæbr. *fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur amplius, quàm circa ea, quæ videntur certitudinem, quis habuerit*, idem docent Hieronymus, Ambrosius, Origenes, Bernardus, & alij quam plurimi, a Scriptoribus relati, D. Dionisius de divinis nominibus cap. 8. sic loquitur, *Veritas Deus est, & a veritate cadere, a Deo est cadere*: cum ergo fides habeatur a Deo, nulla alia veritas certior fide haberi poterit.

241 Probo modo ratione: formale motivum divinæ revelationis in certitudine infinitè superat evidentiam rei naturaliter scibilis; ergo intellectus noster certior fit de re credita sub lumine supernaturali divinæ revelationis, quàm de re scita sub naturali lumine propriæ evidentiæ; ex qua ratione probatur contra Thomistas, fidem esse obiectivè certiorem scientia non solum, sed etiam subiectivè, & absolutè loquendo. Etenim fides infusa, non modo certior est, secundum se, hoc est ratione causæ, & medij, ut dicunt Thomistæ, prout dixi in principio huius subsectionis; sed etiam quoad nos, ratione subiecti videlicet, in quo recipitur; ratio est, quoniam repugnat actum elici ab intellectu, & illum non actuare secundum omnem gradum, & perfectionem suæ certitudinis. Forma enim quælibet, sive pars perfectiva, dum perficit, sive informat, tribuit perfectibili, aut subiecto omnem suam perfectionem, secundum capacitatem subiecti, sive perfectibilis partis, quia hic est verè effectus formalis. Hoc dato pro certo, sicut certissimum est; repugnat actum fidei infusæ esse certiorem quovis actu scientiæ naturalis ratione causæ, & medij, seu quoad se, quod idem est, & hanc talem certitudinem intellectui non conferre; ergo dicendum est, fidem sive actum fidei divinæ esse certiorem quocumque actu scientifico cuiusvis scientiæ humanæ.

242 Probo item alia ratione, illud est certius naturali scientia, quod fundatur in lumine superiori lumine naturæ, & in obiecto, quod impossibilius est errare, quàm naturalis scientia; atqui, ita se habet fides: ergo fides est certior naturali scientia, habet enim fides lumen superius naturali lumine; ergo lumen fidei est certius, quod autem obiectum fidei habeat infallibilitatem, probo; quoniam impossibilius est Deum errare, aut mentiri, quàm quodlibet ens creatum; ergo certius est, quod revelat Deus ex parte obiecti, quàm quodlibet aliud creatum; consequentia sequitur. Antecedens probatur, Deus namque si mentiri haberet, non esset Deus; cum itaque impossibile sit, ut Deus non sit Deus; ergo impossibile est, Deum mentiri: non sic se habent res creatæ; ergo: &c.

243 Neque quis audeat dicere, quod noster intellectus plenius, atque perfectius apprehendat veritates naturales, quàm veritates fidei, quæ supernaturales sunt, quia veritates supernaturales fidei excedunt capacitatem activam nostri intellectus, non sic naturales veritates, quæ cum intellectu creato habent omnimodam proportionem; ergo certior est veritas naturalis scientiæ, quam sit certitudo nostræ fidei divinæ.

244 Non valet hoc dictum; quoniam ex tali dicto solum, & ad summum posset inferri, quod habitus scientiæ naturalis perfectior sit habitu fidei, quod idem valet de actu, ac de assensu intensivè secundum proportionem geometricam, nempe facta proportione, sive comparatione cum intelligibilitate rerum scibilium; non vero secundum proportionem aritmeticam, quoniam certitudo actus, vel habitus consistit in conformitate conceptus obiectivi, cum re scita, vel credita, aut in repugnantia cum falsitate, & firma adhæsione; hæc vero in rebus fidei pendet a formali motivo divinæ revelationis infinitè certiori; in rebus vero naturalibus scibilibus pendet, ab evidentia rei: quæ potest pro statu isto nostrum intellectum fallere, saltem quoad ultimas differentias nos latentes, hinc ego infero; ergo fides thæologica est simpliciter certior omnibus habitibus scientificis intellectualibus, naturaliter acquisitis.

245 Pro-

245 Probo tandem eamdem conclusionem; ille assensus est certior, qui habet maiorem connexionem, & necessariam cum veritate firma, quæ adhæret obiecto suo; atqui assensus fidei habet necessariam connexionem cum veritate, & firmiter adhæret obiecto suo; ergo assensus fidei est certior omni assensu scientifico, cuiusvis naturalis scientiæ. Maior propositio patet, quia si dubitaret, iam non crederet, nec certus esset. Minor modo ostenditur; assensus fidei nititur authoritati divinæ; atqui auctoritas divina habet necessariam connexionem cum veritate; ergo etiam assensus fidei habet talem connexionem. Probatur minor, Deus non potest fallere, neque falli; ergo ipsius authoritas habet necessariam connexionem cum veritate. Probo antecedens ex authoritate D. Dionysij de divinis nominibus c. 8. *veritas Deus est, & a veritate cadere, a Deo est cadere*, prout alibi supra in hac subsectione num. 240. in fin. talia verba produxi, in probatione huiusmodi conclusionis: igitur firmum remanet, fidem divinam nostram catholicam certiorem esse quacunque humana evidentissima scientia, & quia potest esse difficultas de aliqua scientia particulari, hinc est, quod probabo conclusionem ab enumeratione scientiarum, ad hoc, ut magis, ac magis certitudo fidei appareat maior omnium.

246 Dico igitur primo, fides est certior arte, ac prudentia; admittitur ab omnibus Thæologis, nec in hoc est controversia.

247 Probo asumptum sic, Ars, & Prudentia sunt de rebus contingentibus; ergo de rebus, quæ possunt aliter se habere: igitur intellectus non potest adhærere obiecto Artis, & Prudentiæ; & cum hoc obiectum contingens sit, non potest habere necessariam connexionem cum veritate, at fides est de æternis, & habentibus necessariam connexionem cum veritate; ergo fides est certior Arte, & Prudentia.

248 Dico secundo, fidem catholicam certiorem esse scientia, sapientia, &c. intellectu acquisitis. Tenet Sanctus Ioannes Crisostomus hom. 8. in Epist. ad Rom. cap. 4. ubi exponendo illa

verba Apostoli Pauli, *tribuunt gloriam Deo certa per suasione concepta, quod quæcunque promiserat; idem potens esset, & præstare*: subiungit, nec dixit, credens simpliciter, sed certa persuasione concepta, &c. sola fides quidem est apertior, manifestiorque demonstratione ea, quæ perpendentis animi ratiocinatio parit, atque adeo maiorem in persuadendo vim obtinet, neque enim fluctuat, si proferro, alia colligatio in ea introgressa fuerit; etenim qui perpendentis hinc inde animi ratiocinationibus paret, etiam sententiam mutare potest; atqui fide se confirmat, auditionem suam a cogitationibus his, quæ variari se possunt, veluti vallo occludit munita viam addit. Probatur, scientia, & cœteræ virtutes intellectuales acquisitæ nituntur rationibus humanis, fides vero nititur authoritate divina; ergo fides est certior scientia, & cœteris virtutibus intellectualibus acquisitis. Probo consequentiam: rationes humanæ possunt fallere, nec habent necessariam connexionem cum veritate, nec intellectus humanus potest illis firmiter adhærere: atqui authoritas divina non potest fallere; ergo certior est rationibus humanis, igitur potest firmius noster intellectus illi adhærere, quàm istis, quando authoritas divina non potest fallere: ut patet ex probatione primæ conclusionis.

249 Probatur etiam de certitudine adhæsionis, de hac re patet, nam ad hanc habendam movetur ex tot motivis, quibus redduntur credibilia mysteria nostræ fidei. Secundo nititur speciali motione Spiritus Sancti, quæ de se est efficax ad excellentiorem certitudinem præstandam, unde fit etiam, ut nostræ fidei certitudo non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiam si mille occurrant argumenta, quibus homo satisfacere nequeat, nisi ad fidem confugiendo, quod est signum manifestum maioris certitudinis.

250 Dices ex Lugo: pia affectio potest actum falsum imperare, sicut evenit in rustico credente aliquod falsum, illi a Parocho, vel a concionatore propositum: ergo firmitatem adhęsionis non dat pia affectio. Concędo antecedens, & nego con-

sequen-

ſequentiam, nam eſt certitudo, piæ affectionis, & ſi non ſit certitudo infallibilitatis in tali caſu obiectivè; eſt, inquam, certitudo piæ affectionis adhæſionis, talis enim ruſticus ignarus aſſentitur ſine hæſitatione, & prudenter aſſentitur, quia credit id, quod illi a proprio Parocho, vel a concionatore ignaro, reputato doctrina repleto, apud ipſum habente authoritatem, propoſitum eſt, quæ eſt vera adhæſionis certitudo. Verum eſt, quod iſta certitudo adhæſionis eſt minor in fide, quàm in ſcientia, ob rationes ſupra prætactas etiam ſi breviſſimè.

251 Obijcies 1. Certitudo actus, vel habitus deſumitut ex motivo, & lumine quo nobis illud applicatur, non autem ex certitudine obiecti ſecundum ſe; ergo,&c. Reſpondeo; concedo antecedens, nego tamen, Dei authoritatem, & veracitatem, prout eſt motivum fidei divinæ, nobis applicari, ut formaliter credendam teſtimonio humano: hæc enim non intervenit, ut ratio formalis credendi, ſed ſolum, ut diſpoſitio antecedens, ut iam dixi: ſed nobis applicatur teſtimonio divino, &c. Vnde ex hoc, quod interveniat teſtimonium humanum, ut prævia diſpoſitio applicandi authoritatem divinam, ut eſt motivum formale fidei, ſolum ſequitur actum fidei non eſſe ità certum, ut cognoſcatur umquam certitudine phyſica modum quod proponitur motivum formale ipſius, eſſe infallibile, niſi in caſu evidentiæ phyſicæ de revelatione divina.

252 Obijcies 2. Illud eſt certiùs, quod minorem poteſt habere dubitationem, ſed ſcientia, & ceteræ virtutes intellectuales poſſunt habere minorem dubitationem, quàm fides: ergo ſcientia eſt certior fide. Probatur minor. Scientia habet evidentiam, non ſic fides, at quod habet evidentiam, minus habet de dubitatione, quàm id, quod evidentiam non habet; ergo ſcientia minus habet de dubitatione, quam fides. Probatur minor; minus habere de dubitatione, vel poteſt provenire, ex connexione ſui actus cum veritate obiecti, vel ex adhæſione cum ipſo; ſed actus habentes evidentiam ſui obiecti, habent maiorem connexionem cum ſuo obiecto, & magis illi adhærent; ergo

habens

habens evidentiam, minus habet de dubitatione, quàm habens fidem. Probatur minor, nulla maior connexio esse potest inter actum, & obiectum, quàm videre ita rem esse, nec firmius adhęremus, quàm rei, quam scimus; ergo actus habentes evidentiam, habent maiorem connexionem cum veritate, & magis adhærent suo obiecto, quam actus fidei habeant.

253 Respondeo, & dico, quod actus scientiæ, cœteris paribus, sunt certiores actus fidei, unde si comparemus actum fidei humanæ, cum actu scientiæ humanæ, absolutè actus scientiæ certior est actu fidei, ob rationes allatas in argumento; at si comparentur actus fidei infusæ cum actibus scientiæ acquisitæ certior est fides, quamvis enim sciens habeat evidentiam de suo obiecto, adhuc potest falli in illa sua evidentia, in authoritate vero divina, non potest falli, & sic firmius adhæret veritati habitæ ab hac authoritate, quàm veritati habitæ a scientia: quia voluntas per charitatem informans fidem, imperat efficaciter adhæsionem ad obiectum, & ex firmiori adhæsione provenit maior certitudo in fide.

254 Instabis, excessus certitudinis per maiorem adhæsionem potest reperiri respectu obiecti non revelati; ergo nulla solutio. Probatur antecedens; potest voluntas imperare efficaciter assensum ad aliquod obiectum cum eadem adhæsione; ergo iste excessus non est proprius fidei. Probatur antecedens: quia hæreticus, tàm firmiter adhęret suo errori, sicut catholicus suæ veritati; ergo, &c.

255 Respondeo, & dico, quod comparatio actus fidei divinæ cum actu scientiæ humanæ acquisitæ debet fieri in eodem subiecto, videlicet, an actus fidei, quo ego credo, sit certior, vel incertior actu scientifico, quem etiam ego habeo, sic a pari, quando dicitur, quod charitas est amor Dei super omnia, intelligitur, quod actus charitatis, quem ego habeo, tendit magis in Deum, quam alij mei actus in cœtera obiecta; non vero, quod magis tendat actus meus in Deum, quàm actus aliorum in cœtera obiecta: potest enim dari casus, quod aliquis

amet

amet super omnia sanitatem, sicut ego super omnia amo Deum, unde non tenet consequentia.

256 Vrgebis. In eodem subiecto potest dari actus scientificus, tàm certus, quàm actus fidei; ergo absolutè fides non est certior scientia. Probatur atecedens, potest phylosophus per demonstrationem scire, Deum esse omnipotentem, & credere etiam, quod Deus omnipotens est; sed non potest iste Phylosophus per fidem magis adhærere omnipotentiæ, quam credit, quam per scientiam eidem omnipotentiæ, quam scit dari in Deo; ergo in eo casu actus scientiæ est tàm certus, quàm sit actus fidei. Antecedens ostenditur, quia obiectum est idem.

257 Respondeo, concedendo obiectum esse idem, non tamen eodem modo propositum; & cum Phylosophus Christianus catholicus dupliciter adhæreat omnipotentiæ divinæ; nempe uno modo per medium demonstrativum, alio modo per veritatem revelatam certè potest firmius adhærere per medium revelatum a Deo prima veritate, quæ non potest decipi, neque decipere, neque fallere, neque falli, cum sit veritas ipsa; quam per medium demonstrativum: at si ex uno tantum capite deberet adhærere, potius adhæreret ex medio revelato, quam ex medio demonstrativo.

258 Obijcies 3. Demus, aliquem catholicum habere scientiam, quod Deus sit, tunc sic argumentatur, non potest esse magis certus per fidem, quod videlicet, Deus sit, quam sciat, Deum esse per scientiam; ergo fides non est certior scientla acquisita. Ostenditur antecedens ab adversarijs sic. Non potest quis per fidem credere Deum, adhærendo illi, plusquam per scientiam adhæreat eidem, non enim potest credere Deum plus quam ipsum Deum; ergo fides non est certior scientia.

259 Respondeo, concedendo suppositionem secundum illam rationem, secundum quam concedibilis est, nego deinde antecedens, sicut, & ad probationem antecedentis, iterum antecedens nego; ad probationem secundi huius antecedentis; antecedens distinguo. Non potest quis credere Deum plusquam

Deum

Deum materialiter, & obiectivè, do antecedens, formaliter, & ex modo adherendi, nego antecedens, & consequentiam similiter; & ut melius compræhendatur responsio data. Dico, non potest quis credere Deum, quàm Deum scitum, quia hoc esset negare potius veritatem hanc, quam id, quod repugnat, cum sit una, & eadem veritas, utpote Deus, at formaliter potest esse intellectus certior per revelationem, quàm per scientiam de Dei existentia; nam ex modo cognoscendi obiectum perfectior ipsa cognitio, at modus cognoscendi per revelationem obiectum, est perfectior, quam per scientiam; nam scientia procedit per principia naturalia defectibilia, & per discursum, ubi potest esse error, non sic in cognitione per revelationem divinam, ubi non potest esse error; prima enim veritas est illa, quæ revelat, quæ non potest fallere, neque falli; undè, &c.

260 Obijcies 4. Scientia Beatorum est certior fide: ergo etiam scientia infusa certior est fide. Antecedens patet, quoniam Beatus in patria habet necessariam connexionem cum obiecto, & firmissimè obiecto adhæret, cum inamissibiliter possideat illud; nempè Deum Summum verum, & bonum Summum Supernum. Consequentia probatur, scientia infusa habet evidentiam, de obiecto, & adhæret per eandem adhæsionem, per quàm adhæret fides; ergo, est certior fide.

261 Respondeo, & do antecedens libenter, quia verissimum est; nego tamen consequentiam; ad cuius probationem dico, quòd si adhæsio ad obiectum, quæ per scientiam habetur infusam, est eadem cum illa, quæ habetur per fidem, non potest esse maior, quàm illa fidei; implicat enim quod adhæsio sit eadem, & sit maior, & sic scientia non est certior ipsa fide.

262 Instabis: ergo fides non est certior scientia infusa: Probatur consequentia, est eadem adhæsio utriusque, ergo eadem certitudo.

263 Respondeo, argumentum nihil probare, etenim adversarius probare debet, quod sit maior adhæsio illa scientiæ, quàm illa fidei, adhoc, ut probet, quod sit maior certitudo scientiæ, quàm sit certitudo fidei, & sic negatur consequentia. 264. Illa

264 Illa est maior certitudo, quæ expellit omnem dubitationem, & formidinem, at qui scientia omnem formidinem expellit, non sic fides, quia cum formidine esse potest, saltem repentina, quod in scientia non reperitur; ergo certitudo scientiæ est maior.

265 Respondeo cum distinctione minoris, fides potest esse cum aliqua dubitatione, præsupposita pia voluntate, & motione Spiritus Sancti, captivante intellectum in obsequium Christi, nego, si ista non præsupponatur, concedo minorem: ex argumento enim adducto, quod alias ex iam superius dictis solutum manet, solum sequitur, quod secundum quid sit maior certitudo in scientia, respectu adhæsionis, quàm in fide, quia in scientia necessitatur intellectus, non autem in fide, dum non adest imperium piæ voluntatis assensum dantis; at absolutè loquendo, certior est fides, tum ratione luminis superni, tum infallibilitatis obiecti, tum adhæsionis ipsius intellectus, suppositione facta de pia voluntate; quapropter consequentiam deludo. Hinc nascuntur quædam dubia curiosa, quæ quidem dubia, ne insoluta remaneant, trutinata illa proponam, & breviter resolvam.

266 Primo quæritur: an fides sit certior principijs primis metaphysicis; v. g. quodlibet est, vel non est, &c. multi negant, Authores Societatis Iesus affirmant, nihilominus communiter ex Scriptoribus, tàm ex modernis, quàm ex antiquis.

267 Dico, quod loquendo de certitudine proveniente ex infallibilitate obiecti, possum dicere, esse æque certa principia, ac fidei obiecta, etenim sicut impossibile est fidei obiecta non esse; sic impossibile est, quod idem sit, & non sit.

268 Sed dicet aliquis fortassis, dato quod fides doceret hoc principium, impossibile est, idem esse, & non esse falsum, deberet illum negare, & stare fidei, quare Augustinus Sanctus alibi citatus in hac subsectione dixit, *facilius dubitare vivere me, quam esse vera, quæ audivi*. Sed contra. Fides numquam exigit a fidelibus hoc, nempe, quod negent id, quod evidentia metaphysica est verum, nam verum numquam vero contrariatur,

Deus non poteſt revelare eſſe falſum id, quod evidentiſſimè eſt verum: unde ad dictum Auguſtini dico, quod rationabiliter verba illa protulit, quia de vita ſua poterat dubitare, dubium enim in illo cadere poterat, an anima ſua in ſuo corpore eſſet forma informans, an Dei voluntate quid aſſiſtens ex Dei beneplacito; non ſic in fide, cum certitudo eius proveniat ex lumine ſuperno prævento a Deo veritate infallibili, & ab ore illius, qui, ut dixi, falli non poteſt, neque fallere.

269 Secundo quæritur: an fides certior ſit ſcientia infuſa ſuperna, prophetia, & viſione beata. Certum eſt nullam differentiam inter eos eſſe, quoad certitudinem, nam ambo fundantur in Dei authoritate, ſive immediata, ſive mediata: ergo, &c. non loquor de naturali infuſa, quia hæc eſt inferioris ordinis, ſed de ſuperna infuſa ſermonem facio. Videatur Caietanus 2. 2. quæſt. 4. art. 8. Turr. 2. 2. diſput. 42. dubio 2.

S V B S E C T I O X.

An omnis aſſenſus fidei neceſſario a voluntate dependeat, & an fides ipſa ſit diſcurſiva.

270 CVM duæ difficultates graviſſimæ in hac poſita quæſtione incluſæ ſint, hinc eſt, quod non ita facile trutinandæ ſint, unde, prius circa primam, laborabo, deinde circa ſecundam inſudandum mihi eſt, & utraque, prout a Deo mihi auxilium erit, meum placitum rationibus firmatum dabo.

271 Igitur ad quæſtionis deciſionem ſupponendum, iuxta bonam phyloſophiam, quod voluntas dependeat ab intellectu, in quantum intellectus proponit obiectum voluntati: etenim voluntas cum ceca potentia ſit, non fertur in incognitum, iuxta illud, nihil volitum, quin præcognitum; e contra vero intellectus dependet a voluntate, quoad applicationem virtutis, circa productionem, vel non productionem ſuorum actuum, nempe, quoad exercitium, vel quoad ſpecificationem; nam talis applicatio du-
plex

plex est, nempe quoad exercitium, & quoad specificationem: Quoad exercitium est, ut voluntas applicet intellectum ad eliciendum, vel non eliciendum hunc eundem actum; quoad specificationem est, quando voluntas applicat intellectum ad hunc actum, vel ad oppositum, difficultatis status ergo est: an intellectus in actu fidei, sive in fidei assensu dependeat ex imperio voluntatis applicantis illum, non solum ad credendum, vel non credendum; sed etiam ad credendum, vel dissentiendum.

272 Non desunt opiniones in hac re diversæ; etenim Nominales absolutè negant, assensum fidei dependere a voluntatis imperio, quia dicunt isti, intellectus est potentia necessaria respectu sui obiecti, cum ergo proponuntur illi motiva sufficientia, movebitur ad assensum absque imperio voluntatis. Si vero obiectum fidei non est sufficienter propositum, nec motiva sufficientia adsint, etiam cum imperio voluntatis non poterit credere: nam voluntas non potest supplere defectum obiecti. Alij contrarium sentientes, dicunt; assensum fidei dependere ab imperio voluntatis, & non solum, quoad exercitium, verum, & quoad specificationem actus; quia assensus fidei de se est liber, atque adeo, ut sit in potestate credentis, sic Thomistarum opinio docetur. Tandem alij docent, quod non semper opus est, ut voluntas positivè moveat intellectum ad credendum, sed sufficit, quod moveat negativè, nempe, ut non contradicat, & hoc sufficit, dicunt isti, ut assensus fidei voluntarius dicatur; sic multi Scotistæ dicunt, sentisse Scotum in 3. dist. 25. q. 2.

273 Conclusio mea in hac re sit. Ad assensum fidei thæologicæ necessario requiritur præmotio voluntatis, qua mediante intellectus determinetur ad assensum. Sic sentit Scotus in 3. dist. 25, quæst. 1. in fin.

274 Probatur Scripturis SS. PP. & Tridentini Concilij authoritate. Scriptura etenim ad Romanos 1. & Actorum 6. ait, credentes dicuntur fidei obedire, atqui obedire est actus voluntatis expressè; ergo, &c. item 2. ad Corinthios 10. credentes intelliguntur illi, qui redigunt intellectum in captivitatem, in-

 obsequium

obsequium Christi, quibus verbis significatur, illum a voluntate quasi captivum trahi in assensum fidei, & ad Romanos 10. *corde creditur ad iustitiam*, cor autem voluntatem involvit. Vnde Augustinus tract. 26. in Ioannem ait, *multa potest facere homo non volens, credere autem non potest nisi volens*. Ex Concilio Arausicano cap. 5. idem colligitur, ubi docetur; *affectum credendi esse intuitu fidei, quo in eum credimus, qui iustificat impium*; & in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. habetur, quod peccatores, *disponuntur ad iustitiam, dum excitati divina gratia, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ revelata sunt*; ergo supponitur assensum fidei esse liberum, & cum non possit esse liber, si non interveniat actus voluntatis, a quà formaliter omnis libertas pendet. Cum itaque non possit esse liber a potentia ipsa intellectiva, sequitur quod a voluntate hoc habeat, cum intellectus sit potentia necessaria, a se excludens libertatem.

275 Probo modò ratione, intellectus de sua natura trahitur à veritate præsente, ac ab eo visa: nam obiectum obscurum, & non visum, quomodo est obiectum fidei, illum movere non potest, & illum ex sua indifferentia extrahere; nam cum indifferentiam veritatem occultet, non potest illum convincere, cùm solum, ut dixi, à veritate visa trahatur, & convincatur; neque ex alia parte potest intellectus seipsum determinare, cum non sit potentia libera, sed necessaria, igitur indiget aliquo extrinseco, ut determinetur, nempè voluntatis imperio, quo determinetur ad credendum id, quòd non videt, & ratio est, quia credibile sufficienter intellectui præsentato, ipse intellectus non manet sufficienter determinatus ad credendum, quia proponens credibile non demonstrat illud, itaut cogat intellectum ad credendum, undè non credit nisi volens, nempè ex voluntatis imperio.

276 Conclusio 2. assensus fidei potest haberi per discursum formale. Tuetur à Cardinali de Lugo, & a quamplurimis alijs ab ipso citatis hic disput. 7. sect. 1.

277 Prò-

277 Probatur, assensus fidei nititur authoritati divinæ: ergo veritas divina est ratio, cur primò ego assentior, v. g. Mysterio Incarnationis Verbi Divini, assensus enim, quo ego assentior huic mysterio, deducitur ex assensu, quo ego assentior veracitati Dei: ergo assensus huius mysterij haberi potest per discursum formalem, hæc ultima consequentia probatur, veritas divina, & Christi Incarnatio sunt obiecta diversa: ergo possunt ab intellectu distinctè cognosci; ergo unam ex altera inferre; ergo de illis habere discursum formale, totum demonstro sequenti exemplo voluntatis, quæ quamvis unico actu possit amare finem, & media ad finem consequendum, potest tamen uno actu amare finem, & alio actu deinde per finem amare media; vel quia primum erat illi propositum medium; vel quia noluit eliceere actum circa ipsum. Ita intellectus potest amplecti unum obiectum obveritatem in ipso cognitam, & postea amplecti aliud obiectum propter connexionem, quam novit eumdem secundum obiectum habere cum primo; & potest etiam unico actu amplecti utrumque obiectum, quia unico simplici actu, cognoscit, & unitatem, & connexionem.

278 Obijcies 1. contra primam conclusionem. Intellectus movetur ad assensum a motivis propositis, quæ credibilitatem articulorum evidenter ostendunt; ergo non indiget alia determinatione a voluntate proveniente, nam dicta motiva sufficienter concurrunt, & intellectum convincunt ad credendum.

279 Respondeo, & dico, quod intellectus non determinatur ad assensum per dicta motiva, circa veritatem propositam; sed solum ad practicè iudicandum illud, quod proponitur posse, ac debere credi evidenter; quo posito, adhuc intellectus indifferens manet ad assensum eliciendum, ad quem requiritur necessario voluntatis motio. Si enim mihi duæ opiniones probabiles æqualiter essent propositæ, & æqualiter probabiles, certè intellectus meus indeterminatus esset ad quænam illarum flecti debeat, quia à rationibus illarum non convincitur, cum sint rationes æquales: ergo ab aliquo debet determinari, non à ra-

tionibus

tionibus illis, quia sunt efficaciæ æqualis; ergo ab alio, at non nisi à voluntate mea: ergo, &c.

280 Vndè observandum est: quod obiectum est respectu nostri intellectus tripliciter considerandum, vel tripliciter se habere potest, nempè primo, itaut omnimoda veritate evidenti ipsummet intellectum omnimodè convincat, atquè adeò ad assentiendum cogat, ac necessitet. Secundò, ita se habeat intellectus circa eumdem obiectum, ut nulla probabilis ratio ei sit proposita, ut moveat ipsum ad assentiendum, in quo casu nequit ei assentiri, quoniam obiectum intellectus est verum, unde si deficit ratio, & medium per quod obiectum verum appareat, nequit elicere assensum, & ratio est; quia non nisi circa suum obiectum operari potest eo modo, nec minùs, nec magis ac voluntas circa obiectum suum, si non ei obijciatur, ut bonum. Tertiò, quando intellectui apparet aliqua ratio assentiendi, obscura tamen, itaut intellectum non convincat, nec eum sufficienter ad assensum determinet, & tunc, ut determinetur ad dictum assensum, aliquo extrinseco determinante indiget, quod aliud esse non potest, quàm ipsa voluntas, quæ tunc intellectum applicabit, ut dictam rationem apprhendat; & sic ad assensum moveatur; & sic in assensu fidei voluntas intellectum movet, ut fortiter testimonium Dei apprhendat, & ea firmitate ad assensum moveatur, & ratione qua ei per seipsum assentiri non posset, & hoc est verum, non solum quoad esercitium, verum etiam quoad specificationem actus; quia voluntas determinat intellectum indifferenter se habentem, ut potius eliciat assensum, quàm dissensum, ut patet experientia non solum in rebus fidei, sed etiam in alijs, ut exemplificavi alibi, & sic regulariter contingit.

281 Instabis iterum, infidelibus proponuntur aliquando motiva credibilitatis tàm evideuter, quàm proponi possunt, & tamen non solum non credunt; sed positivè discredunt, & hoc oritur ex imperio voluntatis; ergo, &c. Respondeo, dicendo: quod in casibus prædictis, & si proponantur motiva fidei Ca-

tholicæ

tholicæ sufficienter externè credibilia, non intelligunt tamen illa sufficienter internè, & vim illorum, quod in aliquibus provenit ex ingenij debilitate, in aliquibus ex pravo affectu erga veram fidem, proveniente ex pertinacia, qua suis adhærent erroribus, a quibus contaminata, &, ut ita dicam, putrida facta est voluntas illorum, quapropter ad eorum conversionem sufficiens non est voluntas humana cum efficacissimis motivis; sed necessarium est efficacissimum Dei auxilium, quo mediante eorum pertinacia tollatur, & concipiant desiderium novum amplectendi fidem veram Catholicam, quod quidem desiderium, est affectus piæ voluntatis.

282 Immò tantum est necessarium ad dictum assensum fidei imperium voluntatis, & ad determinandum intellectum ad illum, ut etiam posita evidentia attestantis requiratur; quia evidentia attestantis est quid extrinsecum obiecto, & cum illo non habet necessariam connexionem: undè non cogit intellectum ad exercitium actus, quia cum adhoc non cogatur ab obiecto, debet cogi à voluntatis imperio.

283 Obijcies 2. contra secundam conclusionem. SS. Patres dicunt, fidem non esse argumentorum contestationibus stabilitam, ergo fides non habetur per discursum formalem. Respondeo; nego antecedens, nam Sancti Patres non excludunt ab assensu fidei discursum, ut sic, sed solum prout contra distinguitur ab authoritate, non autem excludunt illum, qui ab authoritate fit Dei revelantis ad affirmanda mysteria revelata.

284 Obijcies 3. in hoc differt fides à Theologia; quod assensus Theologicus habetur per discursum; fidei verò assensus sine discursu est; sed hæc differentia nulla est, si assensus fidei habetur per discursum: ergo, &c.

285 Respondeo: falsum esse antecedens, nam differentia Theologiæ a fide consistit, quod fides immediatè nititur revelationi, Theologia verò immediatè nititur revelatis, & mediatè revelationi, ut multi ex scriptoribus asserunt in proœmialibus Theologicis.

286 Objicies 4. fides Angelorum, antequam ipsi in gratia confirmarentur, est eiusdem rationis cum nostra fide Catholica; atqui fides Angelorum, non potuit esse per discursum: ergo, neque fides nostra Catholica per discursum esse potest.

287 Respondeo; non esse inprobabile, quod Angelus potuisset discurrere circa obiecta obscurè cognita, at quidquid sit de hoc, Potest fides nostra convenire cum Angelica in obiectis connexis in obscuritate, in ratione formali, in certitudine, in supernaturalitate, & non convenire in modo tendendi, & si potest fides nostra haberi per discursum formalem, & non fides Angelorum, non propterea diversificantur in re.

288 Instabis; si actus fidei in nobis esset per discursum formalem, & in Angelo sine illo, sequeretur, actum fidei esse perfectiorem in Angelo, quam in homine, at qui hoc non est dicendum; ergo, &c. Probatur minor: habitus fidei, tàm in Angelo, quàm in homine est infusus; ergo non est dicendum, quod sit perfectior in uno; quàm in alio.

289 Respondeo, quod actus fidei non est perfectior, eo quod producatur ab Angelo, sive ab homine, sive ab habitu fidei; potest tamen esse perfectior, prout provenit ab intellectu, quoniam intellectus Angeli est perfectior humano intellectu, atquè adeò intellectus Angelicus cum æquali habitu fidei, ac habeat intellectus humanus, perfectiorem actum fidei eliciet, prout dixi cum de visione beata, in meis quæstionibus selectis Theologiæ, parte prima, quando asserui, quòd unus beatus, qui habet intellectum prespicaciorem alio beato cum æquali lumine magis videbit Deum, quàm alius beatus. Exemplifico totum in materia hac exemplo materiali, quia si duo Calami E. G. quorum unus sit bene aptatus, & alter male; ambo assumantur ad formandos Characteres aureos, certè uterque illorum aureos Charactheres formabit, sed ille prior formabit Characteres perfectos, & pulcros, secundus rudes, & impolitos, sic à pari: Angelicus intellectus, & intellectus humanus elevantur ad eliciendum actum fidei, uterque quidem eliciet actum

ſuum, dando illi propriam perfectionem, unde quo intellectus præſpicacior eſt, eo perfectior erit actus fidei, etiam ſi habitus fidei infuſus ſit eiuſdem intenſionis in Angelo, & homine.

290 Obijcies 4. aſsenſus habitus a præmiſſis eſt aſsenſus neceſsarius; ergo talis aſsenſus non eſt aſsenſus fidei. Antecedens patet, quia poſitis duabus præmiſſis, evidenter infertur concluſio; ergo intellectus ab illa evidentia determinatur ad aſsenſum concluſionis, atque adeo concluſionis aſsenſus eſt neceſsarius. Probatur conſequentia. Aſsenſus fidei fit ex imperio voluntatis; ergo eſt actus liber, quia actus neceſsarius non eſt actus fidei.

291 Reſpondeo, piam affectionem requiri ad totum diſcurſum, & eo ipſo, quod ego v. g. conſentior ex pia affectione voluntatis imperantis, huic propoſitioni, *Deus eſt ſummè verax*, & huic aliæ, *Deus revelavit Incarnationem*, ex pia etiam affectione aſsentior huic primo; ergo vera eſt Incarnatio, unde pia affectio, & libertas faciunt totum diſcurſum.

292 Obijcies 5. unus aſsenſus fidei non poteſt eſſe certior alio aſsenſu eiudem fidei; at hoc ſequeretur, ſi fides haberetur per diſcurſum; ergo falſa concluſio: nempe, quod fides ſit diſcurſiva, probatur minor: quia aſsenſus præmiſsarum eſt certior aſsenſu concluſionis; ergo ſi fides habetur per diſcurſum, ſequitur, quod unus aſſenſus fidei ſit certior alio. Antecedens eſt manifeſtum, in phyloſophia; quoniam propter quod unum quodque tale, & illud magis; ergo ſi aſsentimur huic concluſioni propter præmiſsas; multo magis aſsentimur præmiſſis.

293 Reſcondeo, quod unus aſsenſus fidei præcisè non poteſt eſse certior alio; ſed poteſt intellectus in aliquo aſsenſu fidei habere plura motiva ad aſsentiendum, & in eo caſu unus actus erit certior alio. Imò aſsenſus concluſionis poterit eſse certior aſsenſu præmiſsarum; nam premiſſis ſolum aſsentimur ex revelatione, concluſioni vero, & ex revelatione, & evidentia illationis, vel conceſsa maiore, nego minorem; ad probationem diſtinguo antecedens; aſsenſus præmiſsarum eſt certior aſsenſu concluſionis naturalis, concedo antecedens, concluſionis de fide

 nego

nego antecedens, imò assensus conclusionis de fide est ita certus, ut per eum firmiter adhæream super omnia illi conclusionis, nec potest dari maior certitudo, sed æqualis erit in utroque assensu.

294 Instabis: Assensus, quo assentior conclusioni propter evidentiam illationis, est acquisitus, & scientificus: ergo non est actus fidei; consequentia patet, quia assensus fidei debet esse ab habitu infuso, & debet esse obscurus. Antecedens similiter ostenditur, assensus illius conclusionis non innititur soli authoritati; ergo assensus ille est acquisitus. Antecedens ostenditur, assensus ille innititur in bonitate illationis; ergo non in sola authoritate. Probatur consequentia, bonitas illationis cognoscitur, vel lumine naturæ, vel ex logicæ præceptis; ergo, & assensus elicitus; probatur, bonitas illationis innititur lumini naturæ, vel logicæ præceptis; ergo non in sola authoritate.

295 Respondeo, in hoc assensu, *Deus revelavit Incarnationem*, duplici assensu assentior, nempe assensu Incarnationis, & assensu revelationis Incarnationis, ego assentior propter revelationem, revelationi, non propter Incarnationem, ut per se constat, nec propter aliam revelationem, alias daretur processus in infitum. Assentior itaque revelationi, non quia est revelata, sed ex alio capite, iste tamen assensus est etiam assensus fidei. Sic in nostro casu, assentior conclusioni propter bonitatem illationis, assentior etiam bonitati illationis aliunde mihi notæ, uterque tamen est assensus fidei, spectans ad habitum fidei. quod totum a simili cognosci potest in virtute pœnitentiæ, ad cuius habitum spectat, ut, & ab ipso eliciantur aliqui actus, qui strictè considerati non sunt pœnitentiæ, v. g. gaudium de peccato vitato, licet igitur, bonitas illationis conclusionis deductæ a præmissis de fide sit nota lumine naturæ, non tamen illi assentior per actum elicitum solis viribus naturæ, neque ad ipsum spectant præcepta logicæ, cum videamus aliquem penitus logicæ ignorantem optimè inferre unum ex alio, v. g. rusticus, qui emit aliquid; ut iterum vendat id, quod emit ad aliquid lucrandum,

optimè infert, quod si emit quinque, & vendit quatuor, erit pro eo iactura, & non lucrum; imò addo, quod cognitio bonitatis illationis virtualiter includitur in quolibet assensu fidei cui liberè in propositione de fide assentior, ex eo quod Deus eam revelavit, & ex eo quod cognoscam, Deum esse veracem, sicuti ergo cognitio connexionis propositionis, quàm credo cum revelatione, & authoritate, seu veracitate Dei non facit, quod ego non dicar elicere assensum fidei circa illam propositionem; neque hoc facit in assensu elicito circa propositionem deductam per discursum formale ex præmissis de fide.

SECTIO SECVNDA.

De Articulis Fidei divinæ.

ABsoluta sectione prima huius quæstionis de fide, in qua locutus fui de obiecto materiali, & formali fidei, nec non plures difficultates ad hanc materiam spectantes cum ventilatæ sint; ac resolutæ, modo in hac secunda sectione videndum, ac examinandum est; quomodo Articuli Fidei nostræ Catholicæ a nobis credantur. Et quia res, quæ a nobis creduntur aliæ sunt omnino necessariæ ad salutem, & principales, aliæ sunt secundariæ, & non omnino principales, nec omnino necessariæ, ideo dico, quod primi generis sunt Articuli fidei, in Symbolo Apostolico contenti, & Athanasij, de quibus in communi loquar brevitate, & claritate, qua potero, & primo de certitudine Articulorum Fidei, deinde de evidentia eorumdem. Tertio demum de multitudine eorum; itaque sit.

SVBSECTIO I.

An Articuli Fidei sint omnino certi.

PRiusquam ad conclusionem aliquam firmandam deveniam, aliqua notantur a me. Adverto igitur, quod

non est dicendum absolutè, quod tota materia fidei contineatur in Symbolo fidei, sed cum distinctione procedendum esse. Etenim ea, quæ respicit fides; sunt in duplici differentia; aliqua sunt, quæ spectant ad fidem, quatenus fides respicit omnia illa, quæ ordinantur ad beatitudinem assequendam: quapropter Apostolus sic accepit fidem, dum dixit: *fides est substantia rerum sperandarum, &c.* quædam vero spectant ad fidem, ut fides est accepta in tota sua latitudine, & sic omnia credibilia per revelationem comprændit; si de his loquamur, certum est, non omnia contineri in Symbolo, quia Symbolum nihil aliud est, quam *regula brevis Articulorum fidei*, si vero est sermo de articulis, nempe, primo modo acceptis, convenienter in Symbolo continentur. Etenim per Symbolum proponitur brevis regula credendorum fidelibus, & in hac regula omnes fideles catholici conveniunt; tanto magis, quod fideles in isto Symbolo nequeunt decipi in illis, quæ credi debent ab Hæreticis, quare SS. PP. dixerunt, Symbolum traditum fuisse ab Apostolis, non scriptum, sed memoriæ, & hoc, ut Hæretici textum non valerent corrumpere.

1 Symbolum autem triplex est, nempè Apostolicum, Nicenum, & Athanasij. Primum vocatur Symbolum Apostolorum, quia ad illud componendum omnes convenerè, & unusquisque suum articulum particulare protulit, prout Spiritus Sanctus illos illustrabat; unde hoc negare, nempè, quòd non fuerit compositum ab Apostolis, esset temeraria assertio, & contra omnes SS. PP. locutionem; & hoc fuit factum à Sanctis Apostolis, Deo dictante; quia cùm debuissent pergere in universum mundum, ad seminandam fidem Iesu Christi, habere debebant unam & eamdem regulam fidei, omnibus populis proponendam, & cùm hoc Symbolum sit regula brevis, omnes homines possent facilius memoria retinere, & illum frequenter profiteri.

2 Adverto tamen; quod Symbolum Apostolicum etiamsi adiuvante Deo ab Apostolis conditum sit, quia tamen non est dicta-

dictatum literaliter, seu verbatim à Spiritu Santo, non potest dici Scriptura Canonica, & tanto magis, quod non fuit scriptum, sed tantum dictatum; habet tamen authoritatem, sicut esset Canonica Scriptura, licet non sit ab Ecclesia receptum, ut Scriptura Sacra.

3 Secundum Symbolum vocatur Nicęnum, & fuit dictum Concilium a PP. inchoatum in Civitate Niceæ, Constantinopoli in alio Concilio prosequutum, & Florentiæ in Concilio Florentino terminatum, & si in Ephesino fuerit approbatum, remanserat tamen indigesta illa particula, *Filioque:* quæ disputata fuit in Florentino Concilio, & conclusum, quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio simul procedit.

4 Adest tertium Symbolum, nempè illud Athanasij, vocatum ab ipsomet *Confessio*; & rationabiliter, prout ait Angelicus Doctor; quia ipse Athanasius non erat Summus Pontifex, cuius est præbere Ecclesiæ talem regulam confessionis. Postquam verò dicta confessio approbata fuit ab Ecclesia, fuit vocata non amplius confessio, sed Symbolum.

5 His suppositis, videndum est, quid sit Articulus fidei divinæ, dico itaque, quòd non omnis propositio de fide est fidei Articulus; quamquan verum sit contra; unde articulus fidei addit supra propositionem de fide hoc, videlicet, quòd articulus fidei debet continere specialem difficultatem, non ita propositiones: unde non omnes articuli fidei continetur in Symbolo, quia multi extra reperiuntur, his datis, sit.

6 Conclusio 1. articuli nostræ fidei considerati respectu divinæ revelationis, sunt infallibiles.

7 Ratio est: quia certitudo propositionis oritur ex necessaria connexione prædicati cum subiecto, at Articuli fidei, quatenus substant divinæ revelationi, habent infallibilem connexionem prædicati cum subiecto, quia divina revelatio nec falli, nec fallere potest: ergo, articuli fidei omnino certi, & infallibiles sunt. Verum est, quòd secundum se spectati, non omnes habent infallibilem connexionem a parte rei, sed aliqui tantùm,

v. g.

v. g. *Deus est Trinus, & unus*, habent infallibilem connexionem à parte rei; Aliqui verò habent infallibilem, & contingentem, ut *Anticristum nasciturum*: ergo secundum se spectati non omnes infallibiles sunt.

8 Conclusio 2. Assensus, quo nos assentimur articulis fidei, prout ipse assensus est supernaturalis, & ipsi articuli a Deo revelati sunt, natura sua dictus assensus certus, & infallibilis est, quamquam à nobis illius certitudo non penetretur.

9 Ratio primæ partis est; quia certitudo assensus oritur partim ex certitudine propositionis, cui assentimur; partim ex certitudine rationis assẽtiendi, quæ est divina revelatio: ergo, &c. Quoad secundam partem etiam est manifesta; quia certitudo assensus non potest penetrari, nisi penetretur causa dicti assensus; at causa est certitudo articulorum fidei, & certitudo revelationis divinæ ambæ nobis in hac vitá obscuræ, innatæque ad claritatem: ergo, &c.

10 Conclusio 3. necesse est adhærere firmiter articulis fidei, quatenus revelati sunt; & hoc multo firmiùs, quam cuilibet propositioni evidenti naturali, quantùmvis clara, & evidens sit.

11 Ratio firmativa conclusionis est: quia articuli fidei, quatenus subsunt divinæ revelationi, ultra certitudinem, quam habent à divina revelatione, sunt altioris conditionis, & veritatis, quam sit certitudo, & veritas propositionis naturalis per se notæ: nam articuli fidei Catholicæ habent veritatem, & certitudinem supernaturalem, fundatam in dicto primæ veritatis revelantis, quæ nec falli, nec fallere potest; propositiones autem naturales, evidentes solum in principijs naturæ aliquando malè intellectis, & aliquando contingenter se habent, cum res creatæ omnes defectibiles sint: ergo, &c.

12 Conclusio 4. fides æqualiter se habet ad omnia, quæ cadunt sub divina fide, itaut inter credibilia non sit aliquod primò creditum: quia in omnibus reperitur eadem ratio formalis assentiendi, nempè divinum testimonium.

13 Probo conclusionem; quia si fides inclinaret magis in unum articulum, quam in alium, & uno mediante alius crederetur, assensus secundi, & tertij non esset assensus fidei, sed merus discursivus assensus: tenet antecedens, consequentia sequitur necessario; ergo, &c.

14 Dices contra hanc ultimam conclusionem; prius est Deum esse, quàm quòd ipse aliquid revelet; & nos prius intelligimus, quod Deus revelet, quàm quod à Deo revelata credamus: ergo habitus fidei prius inclinat ad credendum Deum esse, & postea quod revelatum sit, demumque ad revelata credenda.

15 Respondeo, nego consequentiam. Ratio est, quia sicuti in actu videndi accidit, quod nos videamus colorem mediante luce, non tamen uno actu videmus lucem, & alio actu colorem, itaut visio lucis sit causa visionis coloris; ita quamvis, ad actum credendi supponatur esse Dei, & revelatorem Deum esse, nihilhominus non requiritur, ut dictis articulis nos credamus, nempè, ut unus sit causa alterius, sed simul, & eodem actu omnia crædimus.

16 Indubitatum est apud omnes Theologos, quod fides nostra, quoad substantiam, non recipit augumentum, sed una & eadem est fides nostra cum illa antiquorum Patruum à principio humani generis, & ut clarius hoc legenti appareat, videndum est: an articuli fidei fuerint semper ijdem, an successu temporis creverint, vel diminuerint. Loquor quoad substantiam.

SVBSECTIO II.

An articuli fidei divinæ, secundum successionem temporis, creverint; & an duo primi sint, in quibus implicitè cæteri continentur.

PVlcra est difficultas, tàm quoad primam, quàm quoad secundam partem, undè indiget etiam labore ad illam

solvendam; quare in primis videndum est, an fuerit una, atquè eadem omnium credentium fides, tàm videlicet eorum, qui Christi adventum præcesserunt, quàm eorum, qui eum secuti sunt.

17 Conclusio resolutiva est, quod una fides, & omnes articuli, quoad substantiam, semper fuerunt ijdem, & successione temporum non creverint; sed solum explicati fuerint.

18 Probo 1. ex Sacra Scriptura. Apostolus Paulus ad Ephesios 4. inquit; *Vnus Dominus, una fides, & unum Baptisma*, & 2. Cor. 4. *habentes eumdem Spiritum fidei; sicut scriptum est: credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur*, & S. Apostolus Petrus Actor. 15. *per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum, & illi*, & Act. 4. *nec enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: ergo ex sacra pagina habetur; quod Articuli nostræ fidei, numquam creverunt, aut decreverunt, sed ijdem sunt modo, ac tempore Prophetarum, & Apostolorum, quoad substantiam.

19 Probatur secundo, nam quando Christus in Monte Tabor transfiguratus est, erant ibi duo ex Lege veteri, & tres ex nova, non alia ratione, nisi ut nobis notum esset, quod omnium Iustorum utriusque temporis unam esse fidem constaret: quod totum factum, & significatum per eos, qui præibant, & qui sequebantur Christum ingredientem Hierusalem, & qui sequebantur clamantes *Osanna*, unde Sanctus Gregorius exponendo allegoricè homilia 17. sic dixit, sicut & D. Augustinus de hac re claram doctrinam tradidit libro de peccato originali cap. 27. ubi loquendo de iustis, qui Christi Adventum antecesserunt, inquit *eadem & ipsi mundabantur fide, qua & nos*, & tractatu 45. in Ioannem, sic etiam loquitur, *ante adventum Christi præcesserunt iusti, sic in eum credentes venturum, quomodo credimus nos in eum, qui venit*: undè benè loquitur Estius in 3. sententiarum dist. 23. pag. mihi 73. §. 12. *Tempora variata sunt, non fides, quia, & ipsa verba pro tempore variantur, cum variè declinantur*;

nantur ; eadem tamen fides utrasque coniungit , & eos, qui venturum , & eos qui eum venisse crediderunt : diversis quidem temporibus , sed utrosque per unum fidei ostium , hoc est per Christum, videmus ingressos Nos credimus Dominum nostrum natum ex Virgine , venisse in carnem, passum esse , resurrexisse, in Cælum ascendisse. Totum hoc , sicut verba audits præteriti temporis impletum esse iam credimus , in eiusdem sunt fidei societate nobiscum , & illi Patres , qui crediderunt de Virgine nasciturum , passurum , resurrecturum , in Cælum ascensurum : hæc sunt verba D. Augustini deducta ab Estio loco supra citato ; apud quem Augustinum similia habentur verba Epist. 89, 155. & 157. & lib. 2. de nupt. & conc. cap. 12. & in Psal. 50. ad illud , *Redde mihi lætitiam salutaris tui* , & lib. 18. de Civit. Dei cap. 47.

20 Probo etiam ex illo D. Pauli ad Galat. 3. comparat namque Apostolus Ecclesiam homini quando est in progressu ætatis, quia videlicet homo prius incipit a cognitione confusa rerum , sic Ecclesia Dei , quamquam fuerit eadem in omni tempore, nihilominus in suo principio , utpotè in sua infantia, res fidei confusè cognoscebat , deinde in lege scripta , cum iam esset maior, clariorem cognitionem habuit , & in adventu Christi, cum iam ad virilitatem perventa fuisset , distinctam , & explicitam fidem habuit , quare Spiritus Sanctus in Canticis Canticorum Ecclesiam sponsam suam auroræ assimilavit dicens : *quasi aurora consurgens,* quæ paulatim depulsis tenebris fit magis, ac magis lucida, unde Apostoli in die Pentecostes plenissimam cognitionem de pertinentibus ad fidem habuere , testante Ioanne cap. 16. *Cum venerit Paraclytus Spiritus veritatis , ille vos docebit omnia* , & eiusdem Ioannis 25. Christus dixit Apostolis : *iam non dicam vos servos, sed amicos ; quia quæcunque audivi a Patre meo , nota feci vobis* ; ergo semper fuit eadem fides nostra , & invariata , quoad substantiam , quamquam modo clarior , modo obscurior , ut probatum est .

21 Probo iterum ratione a simili ducta. Est namque omnium hominum spes una , quia ad eamdem fælicitatem omnes

tendunt, & una charitas, qua omnia omnes homines propter Deum diligunt, aut saltem deberent diligere; ergo una fides in omnibus fidelibus esse debet; quam eidem veritati divinæ credendo acquisierunt.

22 Dices: Vnusquisque credentium habet suam propriam fidem, a fide alterius distinctam, sicut quilibet, ab alio homine credente diversus, & Anima unius diversa est ab Anima alterius; ergo falsum est, quod fides divina semper fuerit una in omnibus credentibus secundum se, & quoad substantiam.

23 Respondeo, cum D. Augustino lib. 13. de Trinitate c. 2. & dico: fidem, a qua fideles vocantur, ita communem esse omnibus fidelibus, sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, cum tamen omnes suas habeant; fides enim in fidelibus non dicitur, quod sit una numero, sed genere, quæ cum sit in uno, est & in alijs, non ipsa sed similis, propter similitudinem tamen, & nullam diversitatem, magis unam dicimus esse, quàm multas, & paulò inferius subdit idem S. Augustinus: sed ita dicitur eadem credentium fides una, quemadmodum eadem volentium una voluntas, cum, & in his sit cuique sua voluntas, quibus in verbis, quod dicit, *non numero, sed genere unam esse fidem in omnibus*, non ita intelligendum est, quod specie sit diversa, quia generis nomine speciem quoque comprehendit, talis est sensus S. Augustini, & sic etiam intelligit Angelicus Magister 2. 2. quæst. 4. art. 6. in corpore, ubi sic habet; *fides si sumatur pro habitu, dupliciter potest considerari; uno modo ex parte obiecti, & sic est una fides, obiectum enim formale fides est veritas prima, cui etiam inherendo credimus, quacumque sub fide continentur, alio modo ex parte subiecti, & sic fides diversificatur, sicuti est diversorum, manifestum est autem, quod fides; sicut quilibet alius habitus ex formali ratione obiecti habet speciem, sed ex subiecto individuatur; & ideo si fides sumatur pro habitu, quo credimus; sic fides est una specie, & differens numero in diversis, si vero sumatur pro eo, quod creditur, sic est una fides, & si sint*

diversa credibilia, quæ communiter omnes credunt, tamen omnia reducuntur ad unum, hæc S. Thomas loco citato.

24 Certè hinc patet, eam unitatem fidei, ut omnes Scolastici sentire habent, consistere in unitate obiecti, eo quod formale obiectum fidei specificativum est unum numero, nempe prima veritas revelans, ut suo loco dixi, quæ est ratio credendi omnia, quæ sub fide tenentur, etiam si diversitas in Articulis fidei reperiatur, & hinc est, quod fides in omnibus una sit specie, prout ego explicavi,

25 Conclusio 2. duo sunt principales Articuli, qui semper fuere necessarij ad salutem, videlicet, Deum esse, & Deum habere providentiam circa homines.

26 Probatur conclusio ex illo Apostoli Pauli: *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se, quod remunerator sit*; in his enim duobus Articulis cœteri continentur. In primo omnes Articuli de Deo, videlicet, quod Deus sit unus, & trinus, bonus, iustus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, omnipotens, æternus, & infinitus, & omnia, quæ de Deo prædicantur. In secundo, quidquid pertinet ad Dei providentiam circa homines; nempe, quod Deus creavit illos ad sui similitudinem; quod præscripserit eis legem, secundum quam vivere debeant, quod bene operanti premium, & male operanti supplicium dabit, quod per Christum a servitute peccati eos liberavit, quod Sacramenta pro eorum salute instituit, &c. quare sit, qnod, qui in veteri Testamento illos duos Articulos credebat explicitè, implicitè omnes alios credebat. Vnde si in novo Testamento creverunt Articuli fidei, qnoad numerum, non tamen aucti sunt, quoad substantiam, quia quoad substantiam, omnes in duobus illis continentur, & continebantur; quoniam Deum esse, & Deum habere providentiam, omnes Articulos fidei dicit: undè si modo videatur, quod Articuli fidei sint aucti, non est tamen verum; sed solum explicati sunt, & aliquando cognoscebantur implicitè, & sic credebantur, modo autem explicitè cognoscuntur, & creduntur a nobis.

27 Vnum certum est, quod videlicet illi duo Articuli; si secundum cognitionem naturalem spectentur, non continent cœteros virtualiter Articulos, unde gentiles, qui solo lumine naturali agnoverunt Deum esse, & habere providentiam circa homines, non putatur credidisse omnes Articulos fidei christianæ; ratio est, quia nullus censetur illos implicitè credere, nisi habeat piam affectionem voluntatis, qua paratus sit credere illos si ei proponerentur. Tum quia etiam Diabolus, cognitione naturali cognoscit, Deum esse, & esse provisorem hominibus, & tamen non habet piam voluntatem credendi Articulos fidei, nobis a Deo revelatos, sive immediatè, sive mediante Christo Filio suo, aut suis Prophetis.

28 Quæritur, quænam sit regula fidei divinæ, an videlicet, sola traditio, an verò Sacra Scriptura?

29 Respondendum est, quod non solum Sacra Scriptura, sed etiam traditio, vel simul cum Sacra Scriptura, vel sola faciunt regulam fidei, itaut sit eiusdem authoritatis, ac Sacra Scriptura, ita statutum est, ac definitum fuit in Sacro Concilio Tridentino sess. 4. & in Synodo 5. Constantinopolitano actione 40.

30 Ratio est, quia ab Adamo usque ad Moysen fuit vera Ecclesia, & homines colebant Deum, Fide, Spe, & Charitate, nec non ritibus externis, ut ex libris Genesis; tunc enim nulla fuit Sriptura Sacra, nam primus Sacer Scriptor Moyses fuit, ergo in spatio duorum millium annorum fuit conservata Religio in Ecclesia Dei absque Scriptura, cum sola traditione divina: ergo falso Hæretici negant traditionem divinam esse regulam fidei.

31 Quod si dicant, quod à Moyse ad Christum fuerunt Scripturæ; ego dico, quòd Scripturæ solum inserviebant iudeis, Gentiles autem Religionem servabant, & sola traditione divina utebantur ad fidem, & Religionem servandam, ut evenit in Sancto Iob, & alijs, qui Deum colebat tribus virtutibus Theologalibus.

32 Tum

32 Tum quia in veteri Lege multa erant ad salutem necessaria, quæ in Scripturis non erant signata, neque expressa; etenim adhoc, ut à peccato originali mundarentur homines illius temporis, circuncidebantur, remedium autem pro fæminis ad hoc peccatum delendum non erat scriptum, sed solum traditione divina extabat; unde si tollatur traditio divina, quomodo constabit nobis, esse Sacram Scripturam, & Canonicos libros in EcclebaDei? Et unde colligitur, non esse suppostitium Evangelium Marci, &c. Tum quia tota ratio credendi est Verbum Dei. Quare parum refert, ut scriptum sit, nec ne; nam eo, quod sit scriptum, aut non scriptum non variat rei substantiam, & authoritatem: etenim Verbum Dei non est alligatum.

33 Esset hic quærendum de Ecclesia, & quid veniat nomine Ecclesiæ, & an sinagoga fuerit verè Ecclesia, &c. Sed quia, de hac re multa possunt videri apud scriptores, solum breviter dicam, quod nomine Ecclesiæ venit congregatio fidelium Catholicorum. Etenim infideles, & Hæretici non sunt membra Ecclesiæ, prout ait S. Cyprianus Epist. 73. *Hæreticus, sive infidelis, cum extra Ecclesiam sint, vindicare tamen sibi authoritatem Ecclesiæ, instar simiarum, quæ cum non sint homines, volunt tamen homines videri, &c.* D. Schismaticis dubium est: undè procedendum est in ijs cum distinctione; si constituant novam Ecclesiam, & negent Vicarium Christi in Terris, non sunt membra Ecclesiæ; si verò negent talem Pontificem esse benè electum, ac consacratum, etiamsi, ut talis, idest, ut verus Pontifex, actu à fidelibus obediatur; quia non negant unum Caput Ecclesiæ dandum esse in Terris, membra Ecclesiæ sunt; quoniam non negant, quod in Ecclesia debeat esse unum Caput, & Vicarius Christi, usque ad finem mundi, a die mortis D. Petri Apostoli, nec negant, quòd detur veram Ecclesiam, præter eam, quæ sub Romano Pontifice regitur.

34 Nescio tamen dicere, quid sentiendum sit de illis, qui etiamsi extrinsecè Pontificem Romanum recognoscunt, in actibus suis tamen volunt suam authoritatem pro viribus limitare? nempe,

nempe, an Hæretici dicendi sint, an Schismatici, vel infideles; nam dixit Christus Petro, *quodcumque ligaveris, erit ligatum, & quodcumque solveris, erit solutum*, & tamen ea, quæ pertinent ad animarum gubernationem, & conservationem pacis, & iustitiæ volunt glosare facta Pontificis, & illa condemnari, per brachium sęcularem; hoc relinquo iudicio, ac Catholicorum prudentiæ, &c.

35 Quod autem sit vera Ecclesia Dei, dignoscitur ex septem proprietatibus veræ Ecclesiæ, utpotè, quòd sit una, Sancta, Catholica, Apostolica, Visibilis, à Spiritu Sancto gubernata, & extra eam salus esse non potest. Dicitur *una*, ut constat ex Symbolo. *Credo unam Sanctam Ecclesiam*, & hoc ab unitate capitis dicitur, sicuti, una familia ab uno Patre; Exercitus ab uno Duce, Regnum ab uno Rege vocantur, ita Ecclesia ab uno Directore una vocatur, qui quidem Director est Summus Pontifex Romanus, Vicarius Christi Iesu Fili Dei, & verè Petri successor. Dicitur *Sancta* etiam de fide, prout in eodem Symbolo. *Credo, unam Sanctam, &c.* vocatur *Catholica*, idest universalis, quod etiam est de fide, dicitur *Apostolica*, eo quod fundata est Apostolorum prædicatione, & etiam similiter de fide tenendum est. Vocatur *Visibilis*, utpotè miraculis comprobata, quæ quotidiè in nostra Ecclesia Catholica Romana videntur fieri. Quòd verò a Spiritu Sancto sit gubernata, certum est, quia nec falli, nec fallere potest, *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, sunt verba Christi Domini. Vltimò dicitur; *extra quam nullus salvus esse potest*, quia nullus fieri potest salvus, nisi ille qui est membrum Christi. Cum, ergo, qui extra Ecclesiam Catholicam existit, non sit membrum Christi, ergo extra Ecclesiam Catholicam existens salvari non potest: & hæc quoad Ecclesiam.

36 Quæritur modò. An Pontifex in tradenda doctrina morum, & fidei, sicuti & Concilia Sacra errare possit?

37 Quoad primam partem est negativa responsio; undè ad decisionem totius quæsiti, & pro maiori rei claritate ponam di-

versas conclusiones, ad hoc, ut magis. Pateat authoritas Summi Pontificis Romani, & assistentia Spiritus Sancti in agendis ab illo, sicut in Concilijs.

38 Conclusio 1. Pontifex Romanus in tradenda doctrina fidei, & morum non potest errare.

39 Probatur; etenim si Summus Pontifex Romanus in tradenda doctrina morum errare posset, nostra fides non esset firma: nam totum id, quod credimus, ideò credimus, vel quia Scriptura dicit; vel quia Deus revelavit aut revelat, vel traditione habemus. Vnde ideò credimus Pontificem benè definisse talem rem, quia Deus revelavit talem rem proficuam esse animarum saluti: eo quia illi principaliori modo Deus assistit in rebus fidei; undè dato, quòd credamus esse verum Pontificem, quemadmodum credere debemus, cogimur credere ea, quæ ab eo ex Cathedra definiuntur esse de fide, quia assistit ei specialiter Spiritus Sanctus, illi dictando.

40 Conclusio 2. Decreta Concilij Generalis numquam sunt infallibilia absquè confirmatione Summi Pontificis, saltem inclusa in voto ipsius legatorum concurrentium ad tales determinationes, cum maiori parte Patrum dicti Concilij. Tenent comuniter Theologi, &c. & præcipuè Turrecremata libro de Ecclesia cap. 64.

41 Ratio est, quia & si ea, quæ tractantur in Concilijs Generalibus, authoritate Summi Pontificis tractari videantur, tamen si ab eo, vel explicitè, aut implicitè per suum legatum, habentem speciale mandatum, &c. non confirmentur, non tenemur illa credere, quia ipse Pontifex est verè Caput, cui data est potestas à Deo supra totam Ecclesiam, quare dixit Christus Petro, & per consequens successoribus eius: *pasce oves meas*, hoc est, dirige filios Ecclesiæ meæ.

42 Quæres 2. Curiositatis gratia tantum, an licitum sit fidelibus ad efugiendam mortem, vel gravissima tormenta, &c. externè fidem Catholicam negare?

43 Responsio est negativa, & talis responsio est de fide.

44 Pro-

44 Probatur assumptum, habemus in Evangelio Matthæi 10. *qui negaverit me coram hominibus negabo, & ego eum coram Patre meo*, idem habetur apud Evangelistam Lucam cap. 9. *Qui me eruberit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, &c.* Ratio fundamentalis est; quia in omni præcepto affirmativo duo habemus, unum videlicet, quod faciamus id, quod in illo præcipitur: aliud, quod contra dictum præceptum non faciamus, unde si ratio non obligat, ut fideles semper, & ad semper, ut comuniter docent doctores, obligat, tamen ratione secundæ rationis. Immò plures Doctores dicunt, quòd tempore mortis debet fieri professio fidei; alij singulis annis; alij in quodlibet die festivo, tantæ necessitatis est fides ad salutem æternam consequendam.

45 Ad maiorem claritatem conclusionis positę notandum est, quod Gnostici Hæretici, prout refert Tertullianus in Scorpiaco cap. 1. Ecclesitæ secundum Eusebium lib. 6. Ecclesiasticæ Istoriæ cap. 28. Præscillianistæ ex Augustino hæresi 70. dicebant licitum esse, metu persecutionum, negare exterius fidem catholicam, dummodo ipsa fides interius retineatur, quare dicebant, tamquam dogma suorum errorum, *iura, per iura, secretum pandere noli*: qualem erroream sequti sunt Anabatistæ, & Athei huius nostræ tempestatis, quorum numerus, puto, quod non sit parvus, nec discrepant Iudæi ab istis in eis locis, ubi non habent libertatem.

46 Vnde ad talem errorem fugandum, memores debent esse fideles omnes, quod nos omnes habemus præceptum divinum, hoc non faciendi, sed pro fide nostra potius mori, quàm fædari; colligitur hoc ex citatis locis D. Matthæi, & S. Lucæ, quorum verba non repeto, quia est superfluum, unde interrogatus, quis ex Catholicis ab infideli, tu es Catholicus Romanus? Tenetur respondere affirmativè, etiam cum evidenti periculo vitæ. & hoc sive sit publicè, vel privatè. Sic firmat Sanctus Thomas q. 3. art. 2. Sylvius, Malderus, Becanus, & communiter scribentes.

47 Ra-

47 Ratiò talis nostræ confessionis faciendæ est, quia tunc tenemur fateri fidem, quando hoc honor Dei petit, atqui honor Dei summopere hoc exigit in dicto casu; ergo in casu assignato tenemur Fidem Catholicam fateri, aliàs siquis tunc negaret esse Christianum Catholicum, non differret à Petro, quando, dixit, se non agnovisse Christum.

48 Advertit tamen hic (quamvis mihi non placeat) Alexander madernus de fide pagina mihi 581. art. 7. quod non peccaret quis fidelis Christianus interrogatus etiam à Iudice publicam authoritatem habente, an sit Christianus Catholicus, cum dicta interrogatio non esset in ordine ad Religionem; Non mihi placet quidem talis responsio, quia saltem implicitè esset negare Christum, quod hoc ab ipsome: moderno in eodem loco negatur posse fieri, eo enim ipso quod à nobis exquiritur, an simus Christiani, idem est, ac à nobis petere, an simus sequaces Christi, nos semper debemus gloriari Christianos vocari, quia idem est dicere Christianus, ac Filius Dei adoptivus, & contrarium facere, semper peccatum est.

49 Vnum verum ac indubitatum est in hac materia, quod tempore persecutionis, nempè quando fideles ab infidelibus persequntur, licitum est fidelibus fugam arripere, quod idem valet de Missionarijs, quando in aliquo loco discoperti sunt, & persequuntur à non credentibus, ut necitradantur; patet hoc ex illo Matthæi 10. *cum autem persequentur vas in civitate ista, fugite in aliam*: nam fugiendo non oscurant fidem, neque Christum Redemptorem fugiunt, aut negant, vel occultant, sed fidei iuvant, quia alibi peragendo, ibi possunt iterum Christum, & fidem eius prædicare, fidem plantare Iesu Christi, vel iam plantatam confirmare.

50 Non licet tamen adorare Idola, aut illis incensum dare, etiam fictitie, quoniam in tali casu mendacium faceret in re gravi, & erubesceret Christum, & sic grave peccatum committeret, cùm mendacium sit intrinsecè malum. Licet tamen servis dominum suum associare in suis templis, non tamen ibi

cum illo orare, si ex hoc sequatur scandalum. Vndè siquis adiret ad Mesquitas Turcharum, vel Iudæorum Sinagogas, aut Hæreticorum templa, &c. Semper peccatum est, quia est se exponere periculo lapsus. Videantur de hac re Heriquex disp. 8. q. 3. n. 45. Azzorius Becanus hic cap. 9. q. 5. n. 13. Sanchez, & Coninchius; est enim hoc facere, favere erroribus illorum, sicut ad eorum conciones accedere, nam, ut dixi, est erroribus eorum favere, prout errores sunt.

51 Imò, si Rex Turcarum in civitate Constantinopolitana edictum publicaret sub pœna mortis, & bonorum confiscatione, ut omnes habitantes in Civitate prædicta accederent tali die, & tali hora ad Mesquitam, & ibi orarent, tàm Turcæ, quàm Christiani, &c. Christiani non possent accedere; adest Bulla Pauli V. Sanctæ memoriæ prohibentis: hoc, adest etiam ratio, nam quamvis ingredi Mesquitam, & ibi orare, sit actio indifferens, &c. Tamen in casu prædicto, videtur, quod tales actiones ad falsum cultum ordinentur; nam finis legis positæ ab iniquo Rege Turcarum est ad adorandum, & rogandum falsum numen, ultra quod tunc fideles se exponerent periculo cadendi in errorem Turcarum, quod idem dicendum est, de alijs locis ad cultum malum infidelium. Tenet Granadas, & Lugus disp. 14. sect. 5. §. 6.

52 Possunt tamen Catholici Sacramentum Baptismi ab Hæretico petere in casu extremæ necessitatis tantum; dummodo tamen Hæreticus ille utatur ad tale Sacramentum debita materia, & forma; non sic in alijs Sacramentis, & præcipuè in Sacramento Eucharistiæ cum Lutheranis, & Calvinistis participare; neque in matrimonio, cum benedictione, & forma hæretica; sed esto quod Catholicus cum Lutherana, &c. Matrimonium contrahat, necesse est ut forma, & benedictio nuptiarum fiat à Catholico Sacerdote.

53 An liceat vestibus fidem occultare, aut dissimulare? Respondeo, si vestimenta talia sunt, quæ denotent aliam Religionem, quàm Catholicam, non licet si verò vestes solum de-

notant aliam nationem licet. Primi Generis sunt vestes Sacerdotum Turcarum, aut illorum officialium, aut Hæreticorum. Prædicantium, seu Sacerdotum adorantium Idola, & in talibus vestimentis non licet Catholicis pergere, eo quia indicant Religionem falsam. Tenet Caietanus in summa verbo habitus, Silvester verbo fides. Verbo Apostasia, & verbo infidelitas; Angelus Tabiena, & Armilla ijsdem verbis. Navarrus in summa cap. 11. n. 27. Arriaga disp. 22. sect. 3. & alij quamplurimi ab ipso citati. Ratio huius rei est, quia si quis talibus vestibus uteretur, esset idem ac si diceret, ego sum Iudæus, v. g. si vestibus Rabini uteretur, vel ego suam Turca, si vestimenta more Sacerdotum Turcarum, gestaret, vel ego sum Calvinista, si habitum Sacerdotum Hæreticorum deferret, atqui non est licitum fidelibus Catholicis verbis hoc dicere, ergo neque signo aliquo hoc licitum est ostendere; atqui, si dictis vestibus Catholicus in partibus infidelium uteretur, esset dicere, ego sum infidelis; ergo, &c. potest tamen gestare vestimenta, quæ solum nationes differre faciunt, quia talia vestimenta indifferenter se habent, & hoc ne capiantur ab infidelibus, ut fideles.

SVBSECTIO III.

An possit quis habere fidem unius Articuli absque eo, quod habeat fidem alterius.

54 QVæritur hic, & est pulcra difficultas, an in eo, qui Articulorum ad fidem pertinentium alias credit, & alias vel unum ex illis non credit, sit fides propriè dicta respectu illius, vel illorum, quos, aut quem credit, in qua re, ut detur resolutio, non est currendum, ut volucres volando; sed, ut testudines, quando se movere habent, & multa consideranda sunt.

55 Distinguendum est igitur inter eos, qui retenta generali promptitudine credendi, quidquid credit Catholica Ecclesia,

tamen, ob eius ignorantiam, in aliquibus Articulis errat; eo quia, non benè ei declaratum est, sic Ecclesiam Catholicam Romanam credere, & inter illos, qui post manifestatam sufficienter Ecclesiæ Romanæ Doctrinam, adhuc ab ea, vel contrarium asserunt, vel dubitando certè eligunt dissentire, quòd est proprium Hæreticorum. De primis non dubito asserere, quòd verè sint convenientes cum alijs Catholicis, atque cum eis verè fidei comunionem habere; nempè in ea parte Catholicæ Doctrinæ de qua, quod verum est, tenent firmiter verum esse; quia isti in universali fidem tenent in habitu. Sic fuit Cyprianus, qui asserebat irritum esse Baptismum Hæreticorum, atquè adeò dum ad Ecclesiam Romanam redibant, dicebat, istos rebaptizzandos fore. Vndè tam de his, quam de alijs fit quæstio præsens, his ergò positis, & explicatis; fit.

56 Conclusio pro me. Ille, qui per actum hæresis non credit unum articulum ei sufficienter propositum, non potest eodem tempore fide divina credere alios articulos fidei. Tenet hanc conclusionem Angelicus Magister hic 2. 2. q. 5. art. 3. dissentit tamen Durandus in hac distinctione, putans in hæretico posse veram esse fidem respectu articulorum, in quibus non errat. Scotus verò, Bonaventura, medium quid eligere videntur, videatur Guglielmus Estius in 3. librum sententiarum dist. 23. §. 13. pag. mihi 74. columna 2. litt. F. ubi mentem Scoti invenitur expressè manifestatam esse.

57 Probatur conclusio sic. Formale obiectum fidei divinæ est veritas prima, eo modo quo suo loco declaravi, & firmavi, quatenus homini manifestatur per Ecclesiæ doctrinam, tanquam per regulam divinam, atque infallibilem; quare quicumque huic regulæ non inhæret, licet assentiatur aliquibus, quæ fidei sunt, fidelis non erit, si alicui dissentiatur: etenim bonum ex integra causa, malum ex singulis redditur defectibus; ergo, &c. antecedens ostenditur, qui adhæret primæ veritati infallibili, ita debet illi adhærere, ut motiva præsentatata illi ab Ecclesia, vel a Deo revelante, præferri debeant, cuilibet alio

motivo

motivo; atqui, qui multos Articulos fidei credit, & unum non, præfert motiva fidei divinæ, sive primæ veritatis, alijs motivis; ergo qui credidit multos Articulos fidei divinæ, & unum non admittit, non verè credit, atque adeo non potest haberi fides unius Articuli, vel plurium, absque fide alterius, quare dixit, & bene Angelicus Doctor supra citatus in hac subsectione n. 54. *de ratione fidei est, ut veritas prima omnibus præferatur*, si ergo, ut dixi, qui negat aliquem Articulum sufficienter sibi propositum, vel revelatum a prima veritate, vel, ut revelatum proponitur illi ab Ecclesia, eo ipso, motivum, ex quo Articulum negat, preponit divinæ veritati, sive primæ veritati revelanti, & per consequens fides, qua credit uni Articulo, & non alteri non erit fides theologica, & divina, cum præponat respectu unius Articuli primam veritatem divinam, & respectu alterius veritatem apparentem, & divinam postponat; quare iste, qui uni ex Articulis fidei non credit, etiam si cœteris credat, non potest dici fidelis, sed hæreticus.

58 Quare non erit fatendum, Hæreticos, aut Iudæos fidem habere, eo quia Hæretici credunt Deum esse trinum, & unum, Deum fuisse Incarnatum, &c. dum postea negant, ipsum esse in Hostia consacrata verè, & realiter in Corpore, & Anima. Et quamquam Hæbrei credant, dari Deum, Infernum, & Cœlum Beatorum locum, non propterea fideles vocari possunt, dum Sanctum Mysterium Trinitatis nolunt credere, ratio est; quia fides, ut dixi, significat aliquod integrum, & omnibus suis partibus completum, ut sic, itidem fides simpliciter, & fides catholica, quæ nimirum hominem fidelem, & catholicum constituant; unde hæreticum simpliciter infidelem esse, & fidem amisisse, & iuxta Apostolum 1. ad Thimotheum 1. fidei naufragium fecisse dicitur, licet quædam, ea teneat firmitate assensus, & promptitudine voluntatis, qua ab alijs omnia, quæ fidei sunt, tenentur; ergo, &c.

59 Obijcies 1. Quomodo se habet obedientia ad obediendum, ita se habet fides ad credendum; sed potest, quis transgredire

ſgredire unum præceptum: v. g. præceptum Ieiunij, & ex motivo eiuſdem virtutis obedientiæ alium præceptum ſervare, nempe audire ſacrum in die feſtivo; ergo, & quis per habitum fidei, a pari poterit, licet non credat unum Articulum, alium credere, & dici fidelis.

60 Reſpondeo, nego paritatem, diverſa enim eſt ratio de obedientia, ac de fide; nam obedientia reſpicit multa, ut multa, fides autem, & ſi multa reſpiciat, non tamen, ut multa reſpicit, ſed ut unum, ſicut una eſt ipſa, unde dico, quod Hæretici dum unum Articulum ſufficienter propoſitum non credunt fide theologica, nullum credunt; quia fideles ita adhęrent veritati primæ revelanti, ut illam præferre habeant cœteris motivis contrarijs, hij autem potius aliqua motiva contraria præferant Deo primæ veritati revelanti; tanto magis eſt falſa paritas, quia obedientia eſt virtus moralis; fides vero eſt virtus theologica, de cuius ratione eſt, ut adhæreat ſuo obiecto formali, ut primæ veritati, obedientia autem non ſic, ſed de ratione ſui eſt ſolum, ſervare præcepta propter honeſtatem, & ſic ruit argumentum.

61 Obijcies 2. Charitas, etiam ſi ſit virtus thæologica, tamen cum per venialem culpam tranſgredimus aliquod pręceptum, leviter obligans: poſſumus per actum charitatis ex motivo divinæ bonitatis velle obſervare omnia præcepta graviter obligantia; ergo a pari, quamquam fides ſit virtus theologica, tamen cum diſcredimus unum Articulum, alias credere poſſumus.

62 Reſpondeo, dando antecedens, & conſequentiam negando; nam diverſa eſt ratio, etenim, adhoc ut per actum charitatis bonitatem divinam præferamus bonis omnibus alijs, ſufficit, ut propter ullum aliud bonum nolimus facere aliquid contrarium charitati; atqui peccatum veniale non eſt quid contrarium charitati, ſed ſolum eſt præter illam, cum non privet nos divina amicitia, neque illam minuat, ut dicunt communiter ſcribentes, ſed ſolum non poſſit ordinari ad finem charitatis,

unde etiamsi diligamus Deum super omnia, & præferamus divinam bonitatem cœteris alijs bonis, possumus trasgredi per peccatum veniale aliquod præceptum leviter obligantem: non sic quando negamus aliquod Articulum sufficienter nobis propositum, nam hoc est contrarium fidei, ac prælationi, qua divinam veritatem præferimus omnibus motivis oppositis: ergo dum credimus, non possumus negare aliquem Articulum sufficienter propositum, absque infidelitatis nota.

63 Quod totum patet exemplo Apostolorum, qui tempore Passionis Christi, scandalum passi, fidem in illum amiserunt; quibus suam incredulitatem, etiam post Resurrectionem Christus exprobravit, Matth. ultimo, & Thomam propter negatam Resurrectionem incredulum vocat, quamvis ipse Apostolus cœtera de Christo credidisset, ut apparet Ioannis 20. quare D. Augustinus præfatione in Ps. 96. inquit, *post Resurrectionem Christi revocatam fidem eorum, qui ceciderunt*, & tamen non est dicendum; quod Apostoli tunc amisissent fidem Trinitatis, creationis mundi, æternæ vitæ, & similium, vocantur tamen a Christo infideles.

64 Obijcies 3, Intantum fide divina non posse credere unum Articulum, discredendo alium, inquantum non possumus credere, Deum revelasse unum Articulum, & non alium, sed possumus; ergo, &c. Minor ostenditur, nam possumus credere, quod est magis credibile, & simul discredere; quod minus credibile est; sed magis credibile est, Deum revelasse quosdam Articulos, quàm alios, v. g. credibilius est, Deum revelasse Spiritum Sanctum esse Deum, quàmquod Spiritus Sanctus procedat a Patre, & Filio; ergo, &c.

65 Respondeo, distinguo maiorem: intantum non possumus credere unum Articulum, discredendo alium, quatenus non possumus utcumque credere, Deum revelasse unum Articulum, & non alium, nego: quatenus revelasse unum Articulum non possumus credere actu, quo divinam voluntatem revelantem præferamus omnibus motivis contrarijs, negando alium: concedo,

concedo; & distinguendo eodem modo minorem; nego con sequentiam; ut enim credamus fide divina, ex dictis satis constat, quod requiritur, ut divinam veritatem revelantem præponamus omnibus alijs contrarijs motivis, unde non possumus negare ullum Articulum sufficienter propositum; ergo, &c. unum verum, ac indubitatum est, quod videlicet ad actum fidei non requiritur, ut credamus actu habente summam intensionem, cum quolibet actu fidei dari possit actus intensior: adeoque non datur ullus actus fidei habens summam intensionem, cum talis actus possit intendi in infinitum, & in hac re nulla est repugnantia, neque obiectio in contrarium: quæ facillimè solvi non possit, iuxta mea principia, prout dixi in meo Sertu Phlosophico par. 2. cum de infinito in omni genere.

66 Quæres: utrum conclusiones thæologicæ possint credi per actum fidei. Respondeo, negando hoc fieri posse. Ratio inqua partem negativam fundare habeo, est, quia ad actum fidei divinæ, ut assensus, quo assentimur alicui propositioni, sit propositio veritatis revelatæ a Deo, ut a prima veritate revelante, ex hoc videlicet motivo præcisè, esistendo ultimo in hoc; atqui per actum, quo assentimur alicui conlusioni thæologicæ, ex hoc solum, quia talis conclusio infertur ex duabus propositionibus de fide, vel una de fide, & altera naturæ, sive phylosophica, non assentimur conclusioni thæologicæ, quia a Deo est revelata; sed solum, quia connexa est cum utraque, vel altera earum revelata; ergo non est iste actus, actus fidei; neque assensus fidei, sed purus assensus thæologicus.

67 Neque valer dicere, quòd ad actum fidei, sivè ad fidei assensum satis est, quòd ultimò resolvatur in solam Dei primam veritatem revelantis, atquè adeò, quandò assentimur conclusioni Theologicæ per duas præmissas revelatas, ultimò resolvitur insolam authoritatem Dei revelantis; ergo talis assensus Theologicus est, & actus fidei.

68 Inepta est obiectio, nam distinguo maiorem propositionem. Ad actum fidei sufficit, & ultimo resolvatur in sola auctoritate

thoritate Dei revelantis id, quod credimus, concedo: revelantis solas præmissas, propter quas credimus, nego maiorem, & consequentiam; ratio huius responsionis est, quia per fidem non possumus credere, ut obiectum materiale nisi veritatem a Deo revelatam, ut alibi dixi, assensus autem ille conclusionis thæologicæ non est de obiecto materiali revelato a Deo immediatè, vel mediatè, sed est assensus conclusionis deductæ a rebus, sive propositionibus a Deo prima veritate revelatis, vel ab una revelata, & ab altera naturali, & consequenter talis conclusio non poterit esse obiectum materiale fidei divinæ, atque adeo quando assentimur dictæ conclusioni, talis consensus non erit ullo modo actus fidei divinæ, vel assensus fidei, &c.

69 Neque etiam valet dictum aliquorum, dicentium, quod quando Deus revelavit illas duas præmissas, implicitè etiam revelavit conclusionem deductam ex illis: ergo quando dictæ conclusioni assentimur, credimus obiectum materiale fidei, a prima veritate revelatum, prout tale est, atque adeo talis conclusionis assensus erit actus fidei divinæ verè, ac propriè.

70 Non valet hæc ratio, ob rationes supra adductas; nam revelatio Dei cadit tantum supra propositiones illas duas, non autem supra conclusionem; neque valet ratio de magistro docente præmissas; ergo docet conclusionem, nam hoc est per accidens, & secundario; etenim aliquando ex præmissis veris potest deduci conclusio falsa, fides autem numquam tendit in falsum, sed in verum infallibilem, quia revelatum est a prima veritate infallibili, quæ neque falli, neque fallere potest; unde talis assensus numquam actus fidei divinæ erit, sed purus assensus theologicus.

SVBSECTIO IV.

Est ne fides unus habitus, vel multiplex? Practica ne, an speculativa?

71 OPinio communis Doctorum est, fidem divinam esse unam non autem multiplicem, ut ex iam dictis in antecedem-

tecedentibus patet, quo quidem unico habitu elicere habemus omnes fidei divinæ assensus, quare circa primam partem quæstionis non multum immorabor, sed diffusè in secundam; quoad primam igitur partem, pro solutione sit.

72 Conclusio 1. habitus fidei est unus in omnibus unitate specifica, ut alibi dixi; tenet Scotus in 3. dist. 23. q. unic. art. 1. §. secundo de fide infusa.

73 Ràtio probativa conclusionis est, non solum, quia D. Paulus hoc asserit ad Ephesios 4. *unus Dominus*, *una fides*, *unum Baptisma*, sed quia habitus suam desumunt unitatem, ex unitate obiecti formalis, atqui obiectum formale fidei est unicum, etiamsi obiecta materialia credibilia sint diversa partialia, unum inquam, obiectum formalem, utpote una prima veritas revelans; ergo etiam habitus fidei unus erit, hæc quoad primam partem, quia satis de hac re dixi supra subsectione 2. in hac sectione.

74 Conclusio 2. habitus fidei est absolutè, & simpliciter practicus, &c. & quamvis hæc conclusio sit contra recentiores Scriptores; est nihilominus ad mentem Scoti quæst. 4. prolog. §. ad quæstionem, & est iuxta ea, quæ dixi in logica, cum de scientia practica. Probo conclusionem, omnis cognitio movens effectum voluntatis est cognitio practica: sed fides etiam quatenus per eam credimus ea, quæ nobis de Deo proponuntur, eiusque naturæ revelata sunt, movet affectum voluntatis, quia incitat nos ad Deum amandum, & colendum, & ad modum eum colendi, & amandi dat regulam; ergo fides etiam, qua talis, est practica; maior propositio de se patet; minorem ostendo sic, nam unum, & idem lumen fidei divinæ omnes veritates, quæ videntur speculativæ, Scotus reducit ád practicas, & eas virtute practicas ostendit esse; quia manifestat Deum sub ratione ultimi finis, & modum tendendi in illum declarat; etenim modus supponit perfectam rerum, ac Dei cognitionem. Nisi enim quis sciat tres esse in Deo personas çquales, non potest çqualem dare illis honorem.

75 Con-

75 Confirmo meum usque modo dictum; etenim istæ propositiones, v. g. *Deus est Trinus*, *Pater generat Filium*; & si valde speculativæ videantur, saltem virtualiter practicæ sunt, quia prima ex illis includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis tendentis in tres personas, itaut, quod si diceretur actus circa unam solam, cum duarum aliarum exclusione, quomodo eliceret infidelis Iudeus, actus ille non esset rectus; ergo, &c. Secunda quoque notitiam rectitudinis includit, secundum quod actus est circa duas personas, quarum una est ab alia; ergo veritas fidei omnis, qua talis, vel virtute, vel formaliter practica est, licet illa, quæ solum virtualiter practica est, respectu formaliter practicæ comparativè speculativa possit dici, ut in sequenti exemplo: *Hæ tres Personæ sunt unus Deus*, respectu huius *tres Personæ in una Deitate sunt adorandæ*, comparativè speculativa dici possit.

76 Corrobatur totum, nam nulla est cognitio fidei, quæ vel formaliter, vel virtualiter, vel directè, vel indirectè non conducat, vel non possit conducere ad praxim, certum est; Deum revelasse omnia fidei mysteria, & ipsam fidem nobis communicasse in ordine ad praxim, utpote ad malum fugiendum, & bonum assequendum; quod est ordinare ad praxim; ergo fidei habitus simpliciter, & verè habitus practicus dicendus est. Consequentia patet; actus enim, & habitus non ex materialibus obiectis specificantur, benè quidem ex obiectis formalibus; unde fit, quòd quamquam aliquæ fidei propositiones ex materiali obiecto speculativæ sint, in ordine ad obiectum formale tamen practicæ dicendæ sunt sine dubio.

77 Obijcies 1. Ille est habitus practicus, qui tendit in actus ex natura sua practicos, at fides non est huiusmodi: ergo, &c. Respondeo, concedo maiorem, & minorem nego; nam ex probationibus adductis, ubi constat habitum fidei esse directivum finis ultimi, constat fidem esse habitum practicum, quidquid dicat Poncius in hac re, non infringit meam conclusionem, neque

Scoti Magistri sui Doctrinam: ego & si non sim Scoti Discipulus, semper hac in re suam rationem sustinebo.

78 Obijcies 2. Ad hoc, ut aliquis habitus sit practicus, non sufficit, ut excitet aliquem affectum in voluntate, aliàs omnis cognitio practica esset, sed requiritur, ut habitus practicus respiciat operationem immediatè, & formaliter ostendendo, quomodo fieri debeant, quod nullo modo convenit fidei divinæ, nec eiusdem assensui: ergo habitus fidei, non est practicus.

79 Respondeo, quòd aliud est esse formaliter practicum, aliud est esse virtualiter practicum, fides est huius secundi generis, non primi; undè nihil contra me, nam fides dicitur absolutè, & simpliciter practica; quia omnes veritates eius sunt practicæ vel formaliter, vel virtualiter saltem; ut explico exemplo huius propositionis: *Deus est Summum bonum*: hæc propositio absolutè prolata, est sine dubio formaliter speculativa; at dato, quod conficiatur syllogismus sic. *Summum bonum est diligendum, Deus est Summum bonum: ergo Deus est diligendus*, quamvis minor sit formaliter speculativa, in tali tamen syllogismo non sumitur, ut talis, sed, ut virtualiter practica, nempè quatenus est ostensiva veritatis obiecti. Sic itaque in casu de quo hic loquimur. Propositiones illæ de divina natura, quæ in re sunt merè speculativæ, à fide non proponuntur, ut tales, sed quatenus docent modum amandi Deum, & consequenter, ut directivę, atquè adeò ut practicæ, quia nobis proponunt modum amandi Deum, ut ultimum finem nostrum, & sic dicitur, quod virtus fidei est practica.

80 Quæres, an quis certò scire possit, se habere fidem?

Responsio est negativa, iuxta Scotum in 3. dist. 23. q. unica §. *sed quid dicis*. Tenet Becanus cap. 11. q. 5. cum alijs.

81 Probatur assumptum. Nullo gradu certitudinis potest quis scire, se habere habitum fidei supernaturale: ergo, &c. Probo antecedens, nam triplex est cognitio, quæ assignari potest in homine Christiano Catholico; una scilicet evidenter certa; altera obscurè certa certitudine fidei; Tertia obscurè certa certi-

tudine

tudine Theologica. Sed nullo ex hjs modis poteſt Chriſtianus Catholicus ſcire, ſe habere habitum fidei in ſe: ergo, &c. Maior eſt certa apud omnes Doctores, minorem oſtendo ſic; non poteſt ſcire primo modo; quoniam nulla apparet evidentia, circa habitum fidei infuſum, cùm talis habitus ſit ſupernus, cùm excedat intellectus capacitatem naturalem: undè per ſe, nec aliunde ſine ſpeciali Dei revelatione, nobis innoteſcere poteſt; neque innoteſcere poteſt homini ex actu fidei, quando talis actus aliundè evenire poſſit; nempè abſque habitu fidei, non poteſt haberi certitudo talis ex promptitudine, & facilitate credendi, quando hoc non habeatur ab habitibus ſupernaturalibus: ſed provenire poteſt, vel à præſpicacitate maiori intellectus, vel ab habitu acquiſito, qualis remanet in hæreticis, qui à fide defecere. Non poteſt Chriſtianus certo ſcire ſe habere habitum fidei ſecundo gradu certitudinis, quia non eſt certus certitudine fidei, dari habitus ſupernos fidei, &c. qui immediatè à Deo infundantur; nam non ſunt pauci Theologi illi, qui negant hoc eſſe de fide: ergo, tanto minus certum eſt certitudine fidei, dari huiuſmodi habitus in hoc vel illo homine ſingulari. Neque tertio modo, nempè certitudine Theologica ſcire poteſt homo, ſe habere habitum fidei; etenim certitudo Theologica oritur, ut alibi dixi, ex præmiſſis duabus, quarum una habet certitudinem à fide, altera habet certitudinem evidentem; ſed ex prædictis duabus præmiſſis non poteſt quis Chriſtianus colligere certitudinem, ſe habendi de facto habitum fidei: ergo Chriſtianus non poteſt eſſe certus tali gradu certitudinis, ſe habere fidei habitum.

8. Obijcies, Chriſtianus eſt certus, quod eſt Chriſtianus; ergo eſt certus, quod habet habitum fidei divinæ; probatur antecedens, quia ſi Chriſtianus poſset dubitare, an habeat fidem divinam, poſſet ſimiliter dubitare, an eſſet Chriſtianus, atqui non poteſt de hoc dubitare; ergo neque dubitare poteſt, an habeat fidem divinam. Confirmatur, nam verus Chriſtianus paratus manet mille mortes ſubire potius, quam ſuam fidem divi-

nam negare; ergo certus est, se talem fidem habere. Tum etiam, quia si non haberet certitudinem de sua fide; posset dubitare, an fidei suæ possit subesse falsum, quod non est didendum, &c. ergo dicendum est hominem christianum catholicum posse esse certum, se fidem divinam habere.

83 Respondeo, distinguo antecedens, certitudine morali, concedo, certitudine evidenti clara, & infallibili, nego, & nego consequentiam: ad probationem antecedentis dico, quod sicut potest tenere certitudine morali se esse christianum, ita potest tenere morali certitudine habere fidem divinam in se; non potest tamen hac certitudine infallibili, credere, dicere, aut asserere, se fidem habere in substantiam supernaturalem, nisi alias sciat per Dei revelationem. Quare advertendum est, quod aliud est dicere, christianum habere certitudinem fidei de obiecto, quod credit; aliud est habere certitudinem fidei de assensu, quo id credit; primum utique argumentum probat, non secundum. Franciscus habet certitudinem fidei de Mysterio Trinitatis, & Incarnationis, verè credit, & cognoscitur talia Mysteria credere, non tamen evidenter scit talia credere habitu, & assensu fidei divinæ: idem ad ultimum argumentum dicendum est.

84 Objicies 2. D. Paulus affirmat, quod omnis fidelis est de sua fide certus; ergo, &c. nam ad Corinth. cap. ultimo, inquit, *vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi probate*; ergo, &c. sed hic non loquitur de certitudine morali; ergo de evidenti, & infallibili. Tanto magis, quod fidelis catholicus experitur se firmissimè credere Mysterium Trinitatis, & certus est certitudine fidei; ergo eadem certitudine certus est dictus fidelis Catholicus Romanus assensum, quo talem Mysterium credit esse assensum fidei divinæ, atque adeo certus est evidenter, se habere habitum divinæ fidei.

85 Respondeo: Apostolum Paulum solum loquutum fuisse de certitudine morali, & non aliter, ratio est, quia si Populi Corinthij de sua fide fuisset certi totaliter, ad quid exhortabantur a D. Paulo, ut se cribarent, sive examinarent, an haberent

fidem,

fidem, nec ne? Et esto, quod assensui certi a posteriori, quod fidem habuissent, per actus fidelitatis ab eis elicitos, non tamen per hoc certitudine fidei certi fuissent, quia talis certitudo fuisset fortassis experimentalis. Ad aliam rationem confirmativam primi argumenti deducti ex D. Paulo, dico, falsam esse consequentiam, quia & si fidelis catholicus est certus de veritate obiecti, non est propterea certus de veritate assensus fidei, nisi forte per actum reflexum; qui quidem actus sæpe fallibilis est, atque incertus. Hæretici namque sæpe per actus reflexos iudicare solent firmissimè, & reputant in suo sensu, non errare, & nihilominus errant, unde negatur rationabiliter ultima consequentia.

86 Obijcies 3. Fidelis Christianus Catholicus, eadem certitudine, & non minore, qua Mysteria fidei divinæ credit, debet credere, se habere fidem divinam; sed illa credit, ut revelata a Deo, sive divina auctoritate; ergo, & se habere fidem divinam taliter credit, nam est eadem ratio; tanto magis, quod quando credit authoritate divina Mysteria omnia fidei, credit nihil deficere illi de eo, quod necessarium est ad salutem, atqui fides est necessaria, loquendo de divina, ad salutem; ergo credit tunc habere habitum fidei; ergo evidenter cognoscit, se habere fidem, atque adeo falsa conclusio.

87 Respondeo: nego maiorem, & ad probationem maioris concedo suppositum, nego tamen consequentiam, vel distinguo: credit fide divina, est falsum dictum supra pag. n. 35. fide theologica, quæ inducit certitudinem moralem, concedo argumentum: namque deberet probare, quod ex eo, quod cognoscit, se credere firmiter Mysteria fidei cognoscat evidenter, se habere in se fidem divinam, quod non probat, quia cum habitus fidei sit supernus, non potest a nobis absque revelatione divina, vel auxilio superno cognosci, nisi coniecturaliter.

SVB.

An actus fidei sint liberi, & meritorij, & possint esse mali.

IN antecedentibus pluribus in locis, dixi, quod virtus fidei non solum pertinet ad intellectum, verum, & ad voluntatem, sicut & actus eiusdem fidei, nempe quatenus actus fidei elicitur ab intellectu ex pia affectione voluntatis imperantis assensum fidei, unde non sine causa hic quæritur, an fidei assensus liber sit; & cum actus liberi possint esse boni, vel mali, hinc est, quod quæritur, utrum actus fidei sint meritorij, vel possint esse mali, unde pro resolutione huius subsectionis quintæ sit.

88 Conclusio 1. Actus fidei per pium affectum voluntatis imperatus, & elicitus est liber; tenet Durandus cum alijs Doctoribus.

89 Probatur conclusio: quia id, quod dependet aliquo modo a voluntatis imperio inducit in se libertatem, atqui actus fidei est huiusmodi, quia voluntas pia sua affectione actum fidei imperat intellectui; ergo, &c. actus fidei est liber. Patet etiam Scriptura Sacra, nam Marci ultimo: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*; ergo ex tali authoritate apparet, quod actus fidei est liber, etenim, prædicantibus Apostolis poterant auditores credere, & non credere, igitur actus credendi erat in eorum potestate, sicut non credendi. Deduco etiam hoc non solum ex Evangelio citato, verum ex Concilio Trident. sess. 6. c. 6. ubi sic habetur, *disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes, vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*; habemus etiam apud multos Sanctos Patres, & pręcipue apud Sanctum Ambrosium, ad Romanos 4. explicando D. Paulum, inquit enim Ambrosius ipse: *credere autem, aut non credere voluntatis est, neque enim quis cogi potest ad id, quod manifestum non*

est,

est, sed invitatur; quia non extorquetur, sed suadetur: hæc Ambrosius Sanctus; ergo, &c. actus fidei, & eiusdem assensus liber est.

90 Probatur iterum ratione; voluntarium, & liberum sunt idem, quod est in nostra potestate facere, aut non facere, liberum, & voluntarium est; atqui elicere, aut non elicere actum fidei propositis motivis, est in potestate nostra; ergo elicere actum fidei, est voluntarium, & liberum. Probo maiorem ratione alias adducta, quia ex vi motivorum non determinatur intellectus sufficienter ad excludendam omnem formidinem, quia ex vi motivorum non necessitatur ad credendum; ergo credit ex affectione piæ voluntatis, quæ est potentia libera, & quia circa libertatem fidei plures possunt fieri quæstiones, hinc est, quod diversas alias conclusiones circa libertatem assensus fidei hic ponam.

91 Conclusio 2. Actus fidei non est liber immediatè. Est communis sententia fere omnium Thæologorum.

92 Probo conclusionem brevissima ratione, sed evidentissima. Etenim tantum actus illi, qui a potentia libera immediatè eliciuntur, sunt immediatè liberi; atqui sola voluntas in homine est potentia immediatè libera, intellectus vero est potentia necessaria, a qua immediatè provenit actus fidei, mediatè vero a pia affectione voluntatis imperantis talem actum: ergo cum actus fidei sit actus intellectus, non potest esse immediatè liber, sed solum mediatè per communicationem, & denominationem ab actu voluntatis imperantis, quo volumus credere, quia poterat ille homo non velle credere, quia motiva illa proposita intellectui, ut dixi supra, in hac subsectione, & alibi num. 87. & 88. Quapropter dico, quod etiam plures actus evidentes sunt liberi, etenim, quia Franciscus; v. g. considerat demonstrationes mathematicas, assensus evidens conclusioni mathematicæ est liber, & in casu de quo hic loquimur, in quo evidenter, sive quo evidenter cognoscimus, nostram religionem catholicam esse credibilem, sicut, & Articulos eiusdem, & credenda, solet esse talis

assensus liber, saltem quoad exercitium, nam avocando intellectum a consideratione motivorum, talem assensum per voluntatem impediri potest.

93 Conclusio 3. Actus fidei formatæ, sive elicitus ex affectu piæ voluntatis numquam potest esse peccaminosus, & malus. Tenet Suarez hic disp. 6. sect. 6. n. 11.

94 Probo propositionem; actus fidei formatæ est essentialiter, & natura sua honestus; ergo non potest esse malus. Patet consequentia, nam actus essentialiter honestus est consequenter actus virtutis; atqui actus virtutis non potest esse malus; nam virtute nemo male utitur, alias virtus non esset, nec virtus operatur, nisi ducta a prudentia, quę quidem prudentia non imperat actum nisi cum observantia debitarum circumstantiarum; ergo, &c. Antecedens probo: etiam; voluntas credendi ad fidem necessaria, est actus supernaturalis in substantia, ut dicam infra; ergo ex motivo supernaturali, atque adeo ex motivo honesto, & consentaneo rectæ rationi: atque adeo talis voluntas est essentialiter honesta; ergo non potest fieri, ut sit mala. Probo consequentiam. Quando non minus repugnet actum voluntatis esse supernaturalem, & malum, seu fieri ex motivo non honesto, quàm actum intellectus esse supernaturalem, & esse falsum, loquor de actu interno, nam de externo, actus externus fidei potest a mala voluntate impediri, mota, vel a vana gloria, aut ab alio malo fine; ergo, &c.

95 Conclusio 4. Actus fidei formatæ semper est meritorius. Hæc conclusio est eiusdem Suarij loco citato supra in antecedenti conclusione, nempe disput. 6. sect. 6. n. 14. qui multos alios pro se citare habet.

96 Probo primo ex Sacra Scriptura, Genesis 15. *Credidit Araham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: D. Paulus: *gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis*: Ioannes 20. *beati, qui non viderunt, & crediderunt*; ergo si salus, & beatitudo credenti datur, dicendum est, actum fidei formatæ esse meritorium. Tanto magis, quod actus fidei formatæ est actus liber,

proce-

procedens a principio ſupernaturali, ex fine honeſto: ergo conſequenter habet in ſe omnes conditiones requiſitas ad meritum, & per conſequens eſt meritorius.

97 Obijcies contra hanc quartam concluſionem, ut argumentantur Adverſarij. Actus fidei antecedit actum charitatis, & etiam antecedens eſt ad habitum gratiæ ſanctificantis, ſine quibus habitibus meritum haberi non poteſt; ergo actus fidei formatæ non eſt meritorius. Probatur conſequentia, ſine charitate, & gratia non eſt meritum, quia ſine gratia non eſt in anima iuſtitia, & apud Deum ipſius animæ acceptio: ergo actus fidei formatæ, qui gratiam habitualem præcedit, non poteſt eſſe meritorius.

98 Reſpondeo; nego antecedens, loquendo de actu fidei formatæ; etenim voluntas imperans actum fidei, iam informata charitate, & gratia, & præcipuè ſi talis actus eliciatur ab homine iuſto, & grato Deo. At quia poteſt obſtari contra primum actum fidei elicitum ab infideli, dico, actum fidei eſſe meritorium, quia ex ſe, & ex natura ſua habet omnia requiſita ad meritum, petit tamen conditiones neceſſarias, ex parte ſubiecti, quæ aliqando non ſunt in ipſo ſubiecto, ante ipſum actum, vel dicere poſſum, quod eliciens actum fidei formatę in eodem inſtanti recipit charitatem, & gratiam, itaut prioritate naturæ ad ipſum actum charitatem, & gratiam rem obtineat, quibus mediantibus habitibus meretur fidelis æternam vitam. Cum hac tamen differentia eſt meritum talis actus fidei, videlicet, quod quando talis actus elicitur a iuſto, meritum eſt de condigno, quando verò elicitur a peccatore, meritum eſt de congruo, ſi Deus talem actum acceptet, quod puto eſſe non acceptum: quia eſt Dei inimicus, & ſic ablata eſt omnis difficultas, & mea reſponſio eſt conformis Sacris literis, meo videri.

99 Inſtabis, actus fidei elicitus a peccatore non eſt meritorius, etiam ſi ſit verè actus fidei: ergo per illum actum non recipit charitatem, &c. in eodem inſtanti. Probatur antecedens. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 8. habetur: *ideo hominem iuſti-*

 ficari

ficari gratis, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sivè fides, sivè gratia, sivè opera ipsa iustificationis gratiam promeretur.

100 Respondeo, nego antecedens, ad verba Concilij Tridentini dico: quod ibi PP. dicti concilij locuti sunt de merito de condigno, quo posito, non potest dici dari gratis; at Concilium non propterea excludit meritum de congruo. Quando enim Fulvius rogat Principem, vel Republicam, ut illi aliquid concedat, illi non debitum aliundè, dicitur, quod dictus Fulvius mereantur gratiam illam petitam de congruo, non autem de condigno; & intentum meretur de congruo, stante ille actu humilitatis, & submissionis, Princeps tamen dicitur Fulvio dare gratis rem petitam, nam non erat illi aliundè debita, sic in casu de quo modo agimus. Quando peccator submictit intellectum suum in obsequium fidei divinæ Deo testificanti, meretur gratiam de congruo, & inde gloriam; & si detur à Deo, ut de facto datur; & infallibiliter datur, adhuc dicitur, gratis à Deo dari, quia peccatori aliàs non erat debita, nec gratia, nec vita æterna seu gloria.

101 Vrges, si villa, quæ valere habet mille, detur pro uno aureo ducato, non dicitur dari gratis, quamvis non detur pro pretio condigno: ergo licèt gratia iustificationis non detur merito de condigno, non tamen datur gratis, si datur intuitu alicuius meriti.

102 Respondeo, quòd licèt unum aureum ducatum non sit pretium totale illius villæ, &c. est tamen pretium condignum partiale, unde si villa illa daretur pro uno aureo ducato, verè non datur gratis; atqui fides de qua loquimur in præsenti nullo modo est prætium de condigno, sivè totali, sivè partiali iustificationis, & sic iustificatio est omninò gratis, non obstante meritò de congruo, nego igitur consequentiam.

103 Dices: ergo licèt prima gratia daretur intuitu operum præcedentium, ex sola natura, non ideò tolleretur ratio gratiæ, sic nec tollitur a iustificatione ratio gratiæ ex eo, quod detur intuitu fidei præcedentis.

104 Re-

104 Respondeo, negando consequentiam, etenim ratio gratiæ tollitur, vel ex eo quod detur propter meritum condignum, vel ex eo quod detur etiam propter meritum de congruo, sed merè naturali. Ratio a priori est, quia gratia non debet habere proportionem cum opere cuius intuitu datur; nam data proportione, inter opus, & rem concessam; iam non est gratia, sed premium, & cum innaturalibus sola congruentia sit sufficiens ad proportionandum opus cum re concessa; hinc est, quòd meritum purè naturale, etiam de congruo tollat rationem gratiæ.

105 Obijcies 2. Qui assentitur alicui rei, vel habet sufficiens motivum inducens ipsum ad credendum, vel non, sed sivè habeat, sive non habeat, non potest elicere actum meritorium; ergo actus fidei non est meritorius. Probo minorem, si habet, iam convincitur intellectus; ergo non est liber ad credendum, vel non credendum: ergo non est illi meritum credere, quando meritum sine libertate non sit; si non habet, levitatis est credere; ergo non est meritorius talis actus credendi.

106 Respondeo, & dico, quòd ille, qui credit habere sufficiens motivum inducens ad credendum, quod quidem tamen motivum non necessitat actum intellectus, sivè intellectum ipsum ad assensum, nec inde dicitur leviter credere, quia testimonium Dei non est leve motivum, addito præsertim instinctu interno, ad assensum incitante.

107 Conclusio 5. Rationes humanæ inductivæ ad assensum circa fidei obiectum minuunt meritum fidei, si præcedunt voluntatem credendi; secus verò, si subsequantur. Est D. Thomæ q. 2. art. 10. per rationes humanas inductivas ad assensum intelligo rationes illas, quæ per media naturalia suadent veritatem obiecti, ut sunt demonstrationes Phylosophicæ, v. g. de existentia Dei.

108 Probo 1. Meritum, ut optimè ait Angelicus loco citato in corpore Articuli, minuitur ratione humana inducente ad actum fidei; sicut passio præcedens electionem in virtutibus

moralibus diminuit laudem actus virtuatis: quia minuitur difficultas in utriusque virtutis opere, quòd exercetur. Sed per rationes humanas præcedentes voluntatem credendi diminuitur difficultas fidei; ergo similiter minuitur fidei meritum. Probatur maior à simili, quod concedunt omnes in materia iustitiæ, & in alijs materijs. Etenim in dubio, qui servat iustitiam sine vehementi tentatione ad furtum, minùs meretur, quàm ille, qui servat cum vehementi tentatione; sed de hac re non potest esse alia ratio, nisi quia ibi est minor difficultas, quàm hic: ergo meritum diminuitur ad difficultatis diminutionem in opere quòd exercetur.

109 Probo 2. Rationes humanæ subsequentes voluntatem credendi nullo modo possunt influere in actum iam præteritum, quia non possunt illius meritum diminuere, immò illud augere possunt, si investigentur in confirmationem rei creditæ, ut investigant doctores, ad explicanda mysteria fidei, iuxtà illud Ecclesiastici: *qui elucidant me vitam æternam habebunt*: ergo rationes humanæ inductivæ ad assensum fidei, meritum fidei minuere habent.

110 Obijcies contra hanc quintam conclusionem. Ex Sancto Gregorio hom. 26. in Evang. habetur, quod fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum; ergo ubi sunt rationes humanæ inductivæ ad assensum fidei, non solum, minuitur meritum, sed omnino deficit.

111 Respondeo cum distinctione, si experimentum, quod præbet humana ratio, antecedit voluntatem credendi, itaquod ratio illa humana sit motivum totalis assensus concedo, ibi fidem non habere meritum, si vero est subsequens, vel est antecedens non motivum adæquatum, nec causa adæquata assensus fidei falsum est, tunc assensum fidei non habere meritum, & sic nego consequentiam adversariorum.

112 Obijcies 2. contra eamdem quinctam conclusionem. Totum id inducere habet intellectum in contrarium fidei, & crescere facit difficultates ad præbendum assensum, quod auget

meritum

meritum fidei; ergo etiam totum id, quod facilitat ad aſsenſum fidei præbendum, debet minuere meritum fidei: atqui rationes humanæ, de quibus hic fit quæſtio, adiuvant fidem: ergo debent minuere meritum fidei, & quo validiores ſunt, magis minuere habebunt dictum fidei meritum: ergo poſsunt illum totaliter auferre. Antecedens patet, quia credens non obſtante perſecutione, nec obſtante ratione in contrarium probante, maiorem difficultatem ſuperat: ergo maiorem meritum, ſi nullas difficultates: ergo nullum meritum.

113 Reſpondeo, & dico, ſolutionem huius argumenti patere ex iam dictis ſupra num. 109. ne videar tamen difficultatem fugere, dico, quod voluntas credendi conſideranda eſt, prout habet aliquando maiorem, aliquando minorem promptitudinem ad credendum, ex eo quod habet maiorem, vel minorem difficultatem, quæ retardant promptitudinem, quomodo ſunt perſecutiones externæ, aut internæ, &c. augent difficultatem, & quando ſuperantur augent meritum, quia ſemper ſupponunt maiorem promptitudinem, illa vero, quæ afferuntur pro adiuvanda fide, ſi præcedunt dictam promptitudinem, certè minuunt meritum, non ſic ſi ſubſequntur, de hac re plura poſsunt videri apud alios.

SVBSECTIO VI.

An fides ſemper pro omni tempore fuerit neceſſaria ad ſalutem, & hominis iuſtificationem.

114 PRiuſquam difficultatem præſentem reſolvam, prçadvertendum eſt, ſecundum omnium Thæologorum doctrinam, duplicem eſſe neceſſitatem circa ſalutem, una quæ dicitur neceſſitas medij, alia verò vocatur neceſſitas præcepti, neceſſitate medij neceſsarium dicitur illud, ſine quo, de lege ordinaria ſaltem, vita æterna, ſive beatitudo acquiri non poteſt; & illo modo accipitur Baptiſmus, reſpectu infantium, nam ſine

illo

illo salvari non possunt, stante lege data a divino Legislatore, & multa alia respectu adultorum, ut accuratè notarunt scribentes, id autem, quod est necessarium necessitate præcepti est id, quod quidem necessarium est propter obligationem præcepti, quo quidem præcepto cessante, non est amplius necessarium; unde si quis ob ignorantiam, vel ob aliam legitimam causam in hoc deficeret, aut non faceret, quod tale præceptum mandat, adhuc salvari posset, dummodo ignorantia non sit crassa, & supina, & hæc obligatio tantum adultos ligare habet, prima autem necessitas etiam parvulos obligat, & nullo modo omitti possunt, & sive culpabiliter, sive inculpabiliter, sive scienter, sive ignoranter omittantur, salutem obtinere non potest omittens, verum est, quod aliqua ex ijs, quæ necessaria sunt necessitate medij, non sunt in nostra potestate, ut sunt auxilia gratiæ prævenientis, quæ autem præcepti in nostra potestate sunt, quod si talia non sunt ob aliquod impedimentum, desinunt etiam esse necessitate præcepti necessaria, his positis, ac firmatis pro receptis ab omnibus Thæologis sit.

115 Conclusio unica. Post lapsum primi Parentis fides fuit omni tempore necessaria, necessitate medij, ad salutem, & iustificationem hominis, itaut nullus salvari possit sine illa; tenet Angelicus Magister hic 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad tertium, & cum ipso omnes de thæologicis quæstionibus scribentes: pono verba Sancti Thomæ, ut veritas conclusionis magis appareat.

116 Inquit enim Sanctus Thomas loco citato sic; dicendum, quod multis Gentilium fuit facta revelatio de Christo, utpote per ea, quæ dixerunt, nam Iob 19. dicitur: *Scio, quod Redemptor meus vivit*, Sibylla etiam pronunciavit quædam de Christo, ut Augustinus dicit; invenitur etiam in Hystorijs Romanorum, quod tempore Constantini, & Helenæ matris eius inventum fuit quoddam sepulchrum, in quo iacebat homo laminam auream habens in pectore, in qua scriptum erat, *Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum*, & deinde subdit ipse Sanctus Thomas, *O Sol, sub Halena, & Constantini temporibus iterum me videbis*,

si qui

ſi qui tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide mediatoris, qui, & ſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam in divina providentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus revelaſſet. Secundum illud Iob 35. *qui ducet nos ſuper iumenta terræ*, hæc S. Thomas docet.

117 Tenet etiam Scotus hic diſt. 25. §. de primo dico, & §. ſequenti, & alibi, prout inſinuat Maſtrius in tract. de fide quæſt. 15. art. 1. de neceſſitate fidei, pag. mihi 501. loquendo, tàm de habituali, quàm actuali, eſt tamen contra meum Vegam in Concilium Tridentinum lib. 6. cap. 20. & 21. qui aſserit de potentia ordinaria Dei, per ſolam cognitionem naturalem Dei, hominem ſalvari poſſe, & multo plus aſſerit dictus Pater Vega, nempe, in lege naturæ, & etiam in hac tempeſtate, quod omnes, qui invincibiliter Evangelium Chriſti ignorant, quod ſola cognitione naturali iuſtificari poſsunt ex parte intellectus, itaut ex hac parte non ſit neceſſarium lumen fidei, quo illuminetur, & quod ex parte voluntatis, ſi ſervent legem naturalem; ego puto, quod hanc ſententiam P. Vega tulerit ex Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 12. in prima edictione, quod tamen deinde ab ipſo Soto retractatum fuit.

118 Probo concluſionem, loquendo, tàm de fide habituali, quàm actuali, ex Apoſtolo Paulo ad Romanos 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, &c.* ergo Apoſtolus docet, quod omnes, qui in Adamo peccaverunt, indigent gloria, & iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, & quod non eſt diſtinctio, ſed etiam, qui fuerunt ante Chriſtum in Adam peccaverunt; ergo omnes etiam ante Chriſtum exiſtentes indiguerunt iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, & his verbis concludit Apoſtolus; *ut ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti.*

119 Quod si quis dicat; ad fidem Christi sufficere, ut sit fides causata ex meritis, & gratia Christi non requiri, ut sit fides Christi, ut obiecti, vel non requiri, ut sit fides explicita Christi, ut obiecta, sed sufficere, ut sit fides implicita Christi in fide Christi, contenta in fide explicita Dei, ut supernaturalis remuneratoris.

120 Ego dico, quod Apostolus Paulus inquit, iustitiam Dei dari per fidem Iesu Christi omnibus credentibus in eum, ut patet ex contextu, & bene habet explicare Angelicus Magister in commentario; ergo loquitur de fide, quæ sit fides Christi, ut obiecti, non autem de fide hac implicita in fide explicita Dei contenta, ut supernaturalis remuneratoris; ergo, &c. & quod hoc sit verum, ostenditur sic; etenim si solum loqueretur de fide implicita, eodem pacto fuisset requisita ad iustificationem fides Christi, ac fides aliorum mediorum ordinatorum a Deo, quomodo sunt Sacramenta; prædicatio Apostolorum, &c. atqui hoc absurdum est, & contra communem sensum dd. omnium, quod non aliter videlicet requisita fuerit fides Christi. Probo maiorem, nam fides Christi requirebatur, ut inclusa in fide Dei ut iustificatoris, & remuneratoris per media ab ipso ordinata, sed Christus non solum est medium ab ipso ordinatum pro hominum iustificatione, verum etiam Sacramenta, & Apostolorum prædicatio; ergo, &c. ad iustificationem adultorum semper fuit necessaria fides Christi: concludunt verba Apostoli Pauli, ut colligitur Actorum 4. ubi Petrus Apostolus loquendo de Christo Domino nostro, sic loquitur: *non est in alio aliquo salus. neque enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; ergo fides explicita de eo habere debemus ad hoc, ut nos salutem consequamur.

121 Probo item ex authoritate Sanctorum Patrum. Ignatius Epistola ad Philippenses, inquit, *Omnes Sancti salvandi sunt per Christum in ipso sperantes, atque ipsum spectantes*; quod quidem dictum valde improprium esset, si Sancti ante Christi adventum illum expectassent, & in illum non credidissent. Hieronymus

Sanctus

Sanctus in cap. 2. Epist. ad Galat. super illa verba, *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, & prosequendo suum discursum, habet: *quos admonere debemus, eos hic dici iustitiam non consecutos, qui tantum ex operibus iustificari se posse credunt, Sanctos autem, qui antiquitus fuerunt ex fide Chtisti iustificatos; siquidem Abraham vidit diem Christi, & lætatus est.* Augustinus hoc idem clarè docet pluribus in locis, & præcipuè Epist. 157. prope initium, sic locutus est: *Cuius hominis, eiusdemque Dei saluberrima fide, etiam illi iusti salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum; eadem enim est fides nostra, & illorum, quoniam hac illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum, unde dicit Apostolus: habentes eumdem spiritum fidei, &c.* Et paulò infra sequitur Augustinus, dicens: *proinde omnes iusti, hoc est veraces Dei Cultores, sive ante Incarnationem, sive post Incarnationem Christi, nec vixerunt, nec vivunt, nisi ex fide Incarnatinis Christi, in quo est gratiæ plenitudo, profecto quod scriptum est Act.* 4. non esse aliud nomen sub Cęlo, in quo oporteat salvos fieri vos, *& ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum;* in Adam vitiatum: ergo colligitur ex D. Augustino, & Hieronymo, universos iustos, etiam ante Christum, vixisse vita gratiæ, & fide Incarnationis ipsius Iesu Christi.

122 Quod totum confirmat idem S. Augustinus libro de Civitate Dei cap. 47. loquendo de Iob, qui cum gentilis esset, tamen iustus fuit, & placuit Deo, undè Augustinus sic sermocinatus est: *divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Ierusalem: quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatum est, unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui venturus in carne, sic antiquis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, ut una eademque fides per ipsam omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in templum Dei, prædestinatos perducat ad Deum:* quod totum confir-

mat idem Sanctus Augustinus lib. 2. de peccato originali cap. 24. ex quibus rectè colligitur, quod Augustinus firmat, in nullo statu aliquem hominem fuisse iustificatum sine fide explicita Christi Iesu, & amplius insinuat, quod de hac re fides Christiana nihil dubitat; quæ quidem verba Divi Augustini, nullatenus sunt verbis D. Thomæ, a me allatis in principio huius subsectionis sub num. 114. contraria, nempè quod tàm Angelicus Magister, quam Patres citati conveniunt in hoc, quod si qui salvati sunt absque fide explicita Christi sub conceptu mediatoris, non tamen salvati sunt sine fide explicita creatoris. Verum est, quòd non concedunt ullum adultum salvatum esse sine fide explicita Christi, saltem sub conceptu mediatoris: ergo S. Thomas, Augustinus, & Hieronymus conveniunt in unum; quod etiam tenent communiter innumeri SS. PP. ut videre est apud scribentes.

123 Probo modo ratione, nempè quod fides divina pro omni tempore post peccatum Adæ fuerit necessaria ad salutem hominum, loquendo tàm de actuali, quàm habituali, & primo probo de habituali. Sicut anima non est accepta Deo, nisi ornetur, & perficiatur per charitatem, quoad voluntatem; sic non acceptatur a Deo, nisi habitu supernaturali quoad intellectum; & quemadmodum potentiæ illæ sunt naturaliter ordinatæ in actibus suis, quoniam intelligere præcedit velle, sic in perfectionibus, quia prius natura perficitur intellectus supernaturaliter, quàm voluntas, quamquam simul duratione; ista autem supernaturalis perfectio, qua anima determinatè assentit vero, & credit verum, est fides infusa; sicut igitur necessarium fuit hominibus ante Christi adventum habere charitatem, sic & habere fidem; non quod sit contradictio ea separare; quia separantur modo in via; manet namque modo fides informis sine charitate, & in patria manebit charitas sine fide; sed quia Deus de lege ordinaria, quam statuit, non perficit Animam, nisi perficiat illam secundum totum, idcirco non perficit voluntatem charitate, nisi perficiat intellectum fide.

124 Tanto

124 Tanto magis, quod loquendo de fide actuali, dicunt multi, & probant ex scribentibus, quod pro omni statu, & lege omnibus adultis necessarium fuit necessitate medij, & præcepti ad salutem, explicitè credere aliquid supernaturale ad fidem spectans; duobus namque modis potest, quis ad salutem pervenite; vel alieno merito, sicut pueri, & amentes baptizati, nempe meritis Christi, quæ quidem merita illis suffragare habent, quorum meritorum facti sunt participes in susceptione Sacramenti; isti enim cum careant usu liberi arbitrij, consequenter propria merita habere non possunt; vel proprijs meritis adiunctis meritis Christi, ut evenit in adultis, & habentibus mentem sanam: at meritum in actu virtutis consistit; ergo ad adultorum salutem, qui merita sua propria tenentur addere Christi meritis, necessario requiruntur in eis actus virtutum; & habitus eorum, nempe fidei, spei, & charitatis, qui quidem actus virtutum dependent ab actu fidei, quæ intellectum, & intentionem dirigit; ergo in homine habente usum rationis exigitur actus fidei ad salutem, quod in eo haberi non potest, nisi aliquid explicitè, & determinatè cognoscatur, quod ad fidem pertineat, & cum hoc non possit esse aliquid naturale, oportet, ut aliquod supernum sit; ergo, &c.

125 Confirmo totum dictum, ex eo quod homo capax nationis necessario debet cognoscere finem, propter quem operatur; atqui talis finis supernus est; ergo cognitione superna illum cognoscere debet, idest per fidem supernaturalem, & ratio est, quia stante divina lege non datur gratia iustificans adultis, nisi prævia fide, ut ex dictis, & adductis authoritatibus Sanctorum Patrum satis est manifestum, nam principium nostræ iustificationis est fides, teste Concilio Tridentino sess. *6.* cap. *6.* ubi habetur, quod quando D. Paulus Apostolus dicit, *iustificati per fidem*, intelligendum est, non quod fides nos iustificet, ut *quod*, sed ut *quo*, & sic est sensus Sanctæ Ecclesiæ Catholicę Romanæ, nempè fides est initium nostræ salutis, & principium *quo*, gratia vero habitualis est principium formale, *quod* nostrę iustificationis.

126 Et

126 Et si respondeat Pater Vega dicendo, quod sufficit cognitio naturalis, quando invincibiliter ignorantur a nobis ea, quæ fidei sunt, errat ipse; etenim sequeretur, quod absque gratia, & absque actu charitatis, & pænitentiæ infusæ post lapsum posset quis iustificari per solum liberum arbitrium, quod est erroneum dicere; ergo dicendum est, quod necessaria nobis sit fides ad salutem necessitate medij, & præcepti, & non fides, ut sic, sed fides divina, a Deo revelata, & ab Ecclesia nobis proposita, quia acquisita a creaturis nihil prodest.

127 Obijcies 1. Ad iustificationem, & salutem in adultis sufficit fides explicita Dei; ergo non est necessaria simpliciter necessitate medij fides explicita Trinitatis, & Incarnationis; nisi prout ista continentur explicitè in fide Dei, vel implicitè, ut remuneratoris supernaturalis. Antecedens constat ex illo Apostoli Pauli ad Hæbreos 12. *accedentem ad Deum oportet credere, quia Deus est, & inquirentibus se remunerator est*, sed tunc in dicto loco Apostolus enumerare habet, quidquid necessarium est ad salutem necessitate medij; ergo illa sufficiunt, & nihil aliud est credendum, ad hoc ut homo salvari valeat, & iustificari.

128 Respondeo, & non puto discedere a doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. supra citati, & dico; non sufficere fidem explicitam Dei, ut sic, sed insuper requiritur fides explicità Dei, prout Deus est Iustificator, Salvator, Redemptor, Remunerator supernus hominum, iuxta modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus cognoscentibus revelasset Spiritus Sanctus; nam tunc qui has res explicitè credit, credit etiam saltem implicitè Christum mediatorem, Redemptorem, & medium necessarium, quo Deus homines iustificat, & salvat. Credit etiam sic Sanctissimam Trinitatem, quia Deus creditus in se, est creditus, ut Trinus, & unus, cuius Trinitatis secunda persona est Christus, sive Verbum Incarnatum, & sic argumentum est potius contra arguentes, quàm contra meam conclusionem, unde negatur consequentia, cùm Apostolus Paulus satis hoc declaret,

dum

dum dicit; *cum enim gentes, quæ legem non habebant, naturaliter, quæ legis sunt faciebant, ipsi sunt fideles*, unde S. Thomas 2. p. quæst. 109. art. 4. ad 1. inquit, quod ly, *naturaliter*, non excludit auxilium gratiæ, & cognitionem fidei ad legem implendam; alias sequeretur, quod quis viribus solis naturalibus totam legem Dei servare posset, quod est damnatum, ut dixi suo loco in materia de gratia; sed solum excludit cognitionem legis scriptæ, quàm gentes non habuere, quare ly, *naturaliter*, facit solum hunc sensum, quod videlicet, gentiles aliquam partem legis servabant lumine naturæ adiuti, unde non iustificabantur per hoc, & quia in multis deficiebant, non salvabantur, iuxta illud, *qui deficit in uno, factus est omnium reus*, & propterea damnabantur, quia fidem Christi, nec Christi gratiam habebant, a quibus iustificarentur.

129 Obijcies 2. Data veritate conclusionis positæ num. 113. sequerentur multa absurda; sequeretur enim, quod multi homines, qui habent ignorantiam fidei invincibilem, non haberent remedium necessarium simpliciter ad salutem, at hoc est absurdum; quoniam repugnat divinæ bonitati, & providentiæ: Deus enim vult homines omnes salvos fieri; ergo debet omnibus dare media necessaria, sine quibus salvi esse non possunt; ergo, &c.

130 Respondeo; nego sequelam maioris, ad probationem dico, posse dari hominem, qui habeat ignorantiam invincibilem non ex defectu Dei, sed sui, unde certè iste damnaretur, non propter infidelitatem, sed propter alia sua peccata, nempe quia non servavit leges naturæ, quæ quidem peccata si ab ipso non commissa fuissent, non moreretur (de lege ordinaria loquendo) donec a Deo illuminatus esset, ut supra dixi; ultra quod, dico, quod Deus illuminaret eum in legibus naturæ, quibus ille homo bene usus, esset a Deo illuminatus per gratiam, & ad ulteriora vocatus, & circa res fidei ab ipsomet Deo daretur lumen; nam Deus est lumen illuminans omnem hominem existentem in mundum, & facienti, quod in se est, quia talem gratiam non denegat ad fidem habendam, ut notat de Lugo, & Caspensis,

quia

quia si non facit quantum in se est per auxilia obtenta; etiam si meritoria opera non sint eius facta, de lege ordinaria Deus denegat illi fidei auxilium, econtra vero faciendo quantum in se est, & cooperando cum gratia excitante, Deus, sine dubio, lumine fidei divinæ ipsum illuminabit.

131 Quapropter iam ante dictis a me addo, quod, si fides explicita Christi non fuit necessaria simpliciter ad salutem, necessitate medij, pro omni tempore, fuit tamen fides implicita; & ratio clarissima est, & si iam superius tetigi eam, hic clarius me explicabo, nempe quia sine tali explicita fide Christi possunt homines salvari, & iustificari, tàm in lege naturæ, quam gratiæ; ergo, &c. atque adeo fides divina Christi non est necessaria necessitate medij ad salutem: quotiescunque habemus fidem explicitam de Deo, prout est in se, & remunerator, Redemptor, & iustificator, quia tunc habet fidem ad amandum Deum super omnia; ergo talem actum amoris eliciendo erga Deum, iustificabitur cum sola fide implicita Christi, absque fide explicita eiusdem Christi.

132 Obijcies 3. Deus decrevit neminem iustificari velle absque fide explicita Christi; ergo falsa conclusio.

133 Respondeo: nego extare tale Dei decretum, sed esto, quod esset (quod non concedo) esset sermo de fide implicita Christi.

134 Obijcies 4. habentur plura loca Sacræ Scripturæ, & præcipuè Act. 16. ubi Paulus interroganti, quid me oportet facere, ut salvus fiam? respondit: *crede in Dominum Iesum Christum, & salvus eris*, & Ioann. 3. *qui non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine filij Dei*; ergo fides Christi est medium necessarium ad salutem: respondeo, hoc intelligi, vel implicitè, vel explicitè, non explicitè tantum; vel dico, necessitate præcepti, concedo, necessitate medij explicitè, nego.

135 Obijcies 5. D. Paulus scribendo ad Populos Galatiæ cap. 2, sic loquitur; *scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christum credimus, ut iustificemur ex fide Christi*; ergo, &c.

136 Re-

136 Respondeo, quod hæc, & similia loca intelligi debent de fide meritoria, sive de fide Christi, ut causa meritoria; nam omnem fidem, tàm nobis, quàm antiquis Christus meruit per passionem suam.

137 Obijcies 6. possunt dari actus meritorij, saltem de congruo, in ordine ad æternam salutem; ergo fides Christiana non est medium necessarium ad illam, etenim antequam quis ad fidem convertatur, orat Deum, & lumen fidei petit, & utiliter petit, aliàs frustatoriè talis oratio consuleretur, & tamen illa oratio non ptocedit ex fide; ergo aliquis actus ex fide non procedentes possunt esse meritorij, saltem de congruo, in ordine ad salutem, & per consequens fides divina non est necessaria, necessitate medij, ad salutem æternam.

138 Respondeo, & dico quod oratio illa, qua v. g. N. petit a Deo fidem, pertinet ad fidem, & debet computari in ratione doni cum ipso fidei dono, prout docet S, Gregorius hom. 9. in Ezechielem, dum sic loquitur: *Opera sine fide non adiuvare, nisi pro fide percipienda fiant*, unde si talia opera non sunt fidei in recto; sunt nihilominus fidei in obliquo; unde non mirum, si tunc Deus concurrat auxilio supernaturali ad illam voluntatem, quæ non procedit totaliter ex lumine rationis naturalis, sed ex lumine fidei sub obscuro, & quasi ab aurora fidei, sive crepuscolo, ut eumdem lumen clarius quærat, & oret pro illo obtinendo; ut firmat Lugo hic disput. 12. sect. 3. & Mastrius de virtutibns Thæologicis quæst. 15 art. 2. pag. 505. num. 405. in fine; verum est, quod non potest dari meritum in ordine ad iustificationem, quatenus non potest adultus iustificationem consequi absque propria fide strictè sumpta, nempe quatenus fides divina dicit explicitam fidem Dei, prout est in se, & saltem implicitam Christi.

139 Obijcies 7. D. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. docet, neminem posse salvari, nisi per fidem Christi; ergo, &c. Probatur antecedens ex verbis eiusdem, inquit namque Augustinus: *nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus,*

qui venturus in carne, sic antiquis Sanctis praenunciabatur, quemadmodum venisse vobis nunciatus est; ut una eademque fides per ipsum omnes in Dei civitate, ac domum Dei, in Dei templum praedestinatos perducat ad Deum; ergo non sufficit, Deum credere explicitè, & Christum implicitè; sed, & Deum, & Christum explicitè, ut medium necessarium ad salutem consequendam.

140 Respondeo, D. Augustinum loqui de fide Christi implicita Dei, vel intelligit, quod si alicui proponatur Christus, & illud neget, non potest salvari; ob peccatum infidelitatis; vel quod sit de necessitate praecepti credere, Christum in mundum venisse, ad illum redimendum.

141 Obijcies 8. habemus pro certo, & de fide, quod Baptismus est necessarius necessitate medij ad salutem aeternam consequendam, atqui per Baptismum explicitè fatemur Christum; ergo fides Christi explicita est necessaria simpliciter, necessitate medij, ad salutem aeternam consequendam in adultis.

142 Respondeo, verum esse, quod valet de Baptismo, valet etiam de fide Christi, atquia Baptismus est necessarius ad salutem, sive in re, sive in voto, sic fides Christi est necessaria ad salutem, sive explicitè, sive implicitè in fide Dei, &c. eo modo, quo superius dictum est, unde nihil facit argumentum contra meam conclusionem, quod idem est dicendum de fide Trinitatis, ac de Baptismo.

143 Obijcies 9 Data veritate meae conclusionis, dicent adversarij, sequeretur Turcam salvari posse, ac Iudaeum; etenim quis eorum habere posset fidem supernaturalem Dei, ut remuneratoris, & Christum invincibiliter ignorare; atque adeo iste non esset Christianus, quia non sequeretur Christum, nec eius doctrinam, at hoc est contra decretum pontificium in extravaganti, *unam sanctam*, & in cap. firmiter de summa Trinitate, ubi pontifex dicit extra Ecclesiam Romanam, non esse salutem.

144 Respondeo, concedendo casum fore possibilem, fallum est tamen, quod talis homo dicendus esset non Christianus: ratio est, quia quamvis in Ecclesia Romana non sit visibiliter

receptus, formaliter tamen, & inferius unam cum Ecclesia fidem profitentur, & coram Deo, sicut alij Christiani, pro Christianus habebitur, hæc est doctrina Iavelli in 2. p. suæ christianæ phylosophiæ tract. 1. tenet Suarius disput. 12. hic sect. 4. n. 22. defendit Lugo loco supra cit. cum multis alijs ex Thæologis.

145 Obijcies 10. ad salutem acquirendam sufficit fides Dei latè sumpta; ergo fides explicita Dei, & Christi non est simpliciter necessaria ad salutem; probatur antecedens, sufficit fides habita per cognitionem supernaturalem, non fundatam in testimonio, & revelatione Dei; ergo sufficit fides Dei latè sumpta, atque adeo sequitur consequentia, quod videlicet, non requiratur fides explicita Dei provisoris, & Christi redemptoris, saltem implicita; secundum antecedens ostenditur sic: etenim, si non concedatur tale antecedens, non potest ullo modo defendi, quod Deus omnibus infidelibus provideat media necessaria ad salutem, & eorum iustificationem: ergo, &c.

146 Respondeo, negando antecedens, ad probationem antecedentis, nego item antecedens; ad probationem antecedentis secundi; dico, falsum esse antecedens. Etenim Deus vult omnes homines salvos fieri, atquè adeò non permitteret de lege ordinaria, quòd adultis deficerent media necessaria ad eorum salutem, & iustificationem; undè satis probabilem esse, Deum tale tempus unicuique designasse, in quo etiam sine fide, non solum physicè, sed etiam moraliter possit occurrentia præcepta servare, itaut, facienti quod est in se, moraliter per auxilia, quæ habet per Christum, Deus non deneget suam gratiam illuminationis ad fidem; atquè adeò non est credendum; Deum permissurum, secundum legem ordinariam, ut aliquis adultus, qui cum actuali Dei gratia servat legem naturalem, moriatur sine fide; Deus namque numquam deserit hominem bonæ voluntatis, nisi ab ipso deseratur prius; etenim illa voluntas credendi in se fidem aliquo modo includit cui, nempè illa piæ voluntati, Deus non denegat necessaria ad suum finem consequendum, & sic deludo ultimam consequentiam.

147 Quæres, quorum nam obiectorum fides explicita sit necessaria simpliciter ad salutem, & iustificationem hominum adultorum?

148 Respondetur, quod post sufficientem promulgationem Evangelij, fides explicita Christi mediatoris, divinitatis eiusdem, mortis, & Resurrectionis necessaria est necessitate medij, non solum ad beatitudinem, sed ad iustificationem omnium habentium usum rationis. Sic defendit D. Bonaventura, & Scotus cum alijs includendo D. Thomam, Alensem, Valentiam, Ricardum, Molinam; Sanchez, Leorcham Amicum, Becanum, Meracium, Morandum, Caspensem, & alios.

149 Probatur assumptum, primo Scriptura Sacra, ratione, & etiam authoritate Concilij Tridentini, breviùs, quam potero, habemus itaque Ioannis 7. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, ex quibus verbis colligitur clarè, quòd cognitio Christi, dicitur eodem modo necessaria ad vitam eternam consequendam, & viam ad eandem; sicut cognitio Dei explicita, quæ est necessaria simpliciter, necessitate medij ad salutem, & hominum iustificationem. Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. confirmat, dum ait: *atque illud in primis à Deo iustificari impium per gratiam eius, & per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu*; ubi notandum est illa verba *in primis*, necessitatem fidei Christi Redemptoris in salutem hominum explicitè denotare sine dubio habere. Tum quia si fide explicita, saltem in nova Lege, divinitatis, & mortis Christi Domini, Incarnationis, Resurrectionis, &c. non essent necessariò credenda ad hominum adultorum iustificationem, non essent nec necessaria ad vitam æternam; consequentia non indiget probatione, cum evidens sit. Nam, ut aliquis hominum, secundum legem ordinariam, vitam æternam consequatur, necesse est, ut sit Filius Dei adoptivus, atqui solum per Christum Redemptorem facti sumus filij adoptivi Dei, & ius ad gloriam acquisiti sumus: ergo sine fide explicita Christi, &c. non possumus beatitudinem, & iusti-

ficatio-

ficationem nostram acquirere; unde patet, quòd post promulgatione Evangelij, est necessarium ad salutem consequendam in adultis, necessitate medij, non solum cognitio, sive fides explicita Dei, &c. verum fides explicita Christi Domini, prout in asserto statutum a me est.

150 Quod si adversarij in contrarium pugnent, dicendo, quod Patres, & Scripturæ loquuntur de necessitate fidei implicitæ non verò fidei explicitæ Christi.

151 Respondendum est semper, quòd hoc erat verum ante Evangelij promulgationem, non autem post promulgationem ipsius Evangelij, & Christi Domini adventum in hunc mundum.

152 Quæres iterum, an evidens sit, Religionem Christianam, & Catholicam Romanam esse prudenter credibilem, & credendam?

153 Respondeo, dicendum, ac asserendum esse sine ullo dubio, quod evidens sit Religionem Christianam, & Catolicam Romanam esse prudenter credibilem, & credendam ab omnibus.

154 Probatur Conclusio ex Sacra Scriptura; In Psalmo namque 92. habetur: *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; & apud Ioannem 15. habentur hæc alia verba Christi Domini: *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, & deinde sequitur ipse Christus in eodem loco, *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: & apud Evangelistam Marcum, ipse Christus replicat dicens: *qui non crediderit condemnabitur*: ergo qui non credit firmiter Ecclesiam Romanam esse veram Catholicam, & Apostolicam, in qua sola est vera solus, peccat gravissime, & condemnari ad æternam mortem meretur, atquè adeò evidens est, quod Religio Christiana Catholica, quæ in Ecclesia Romana pascitur, & nutritur, est evidenter ac prudenter credibilis, & credenda.

155 Probatur etiam: quia Ecclesia Catholica venit apud Sanctos Patres significata, &c. & figurata pro Civitate supram on-

montem quidem, qui implevit universam terram, ac proindè non potest oculis abscondi, firmum, & solidum fundatum à divina Sapientia Incarnata de qua dicitur: *Ego ex ore altissimi prodivi:* quæ nec falli, nec fallere potest: de qua, inquam, dicitur à Propheta Psalmographo: *omnia in sapientia fecisti*: undè Chrysostomus in aliqua sua oratione dixit; *nullus itaque ijs contra dixit* (nempè docti ab Ecclesia Romana) *nisi qui valde insanus, & totus stupidns sit, humanoque sensu privatus:* & rationabiliter hæc dixit, videmus enim nunc in Regno Angliæ, ubi à multo tempore Ecclesia Romana conculcata fuit, ut à Rege Iacobo presenti mons iste respectus fuit, & oculo candido consideratus, omnibus sui Regni palam illum fuit, quia veritas fidei Christi erat in illo, utinam Deus eum prosperum in omnibus suis faciat, & non solum circa pacem Regni sui, sed etiam circa proles, nam nihil, nisi bonum ab eo sperare non possumus, si Deus illam fundavit Ecclesiam, quomodo non potest esse verax: *fundavit enim eam altissimus:* & aberrantes a nostra Ecclesia Romana iustè dicere possunt illud sapientiæ: *si veritatem dicere volunt, & à legibus sensu recedere: audite disciplinam,* (hoc est Ecclesiam Romanam) *& estote sapientes, & nolite obijcere eam. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & qui observat ad postes hostij meij, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: nam cum Ecclesia Dei *sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat, & per rationes in Animas Sanctas se transfert, & amicos Dei, & Prophetas constituit*: Sapientiæ cap. 7. in fine; ergo Ecclesia Catholica, sive Relgio Christiana Catholica Romana est evidenter credibilis, & credenda.

156 Obijcies 1. Quod evidens est, non potest ab aliquo negari, at infiniti ferè homines negant Religionem Catholicam esse evidenter credibilem, & prudenter credendam: ergo, &c. immò dicunt stultè a nobis Catholicis credi; ergo, &c.

257 Respondeo, quod est evidens a nemine potest negari, dum consideratur rationabiliter, & sufficienter, & motiva r...

eviden-

evidentis penetrantur: concedo, dum non sufficienter conside- rantur; sed transeunter, & oculis mentis obumbratis à somno, sivè letargo erroris; nego, & minorem distinguo similiter, negando deinde consequentiam. Multa enim sunt ità evidentia, ut non possint negari, si accuratè considerentur; secus verò si non considerentur accuratè. Hinc Hæretici, & infideles negant infallibilitatem Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, quia non solum non accuratè considerant motiva probabilitatis illius, & credibilitatis; sed nec illa volunt audire: etenim si oculos suæ cecitatis aperirent, viderent, quod *erraverunt ab utero, & locuti sunt falsa*: & quod eorum perfidia ducit eos ad tartara.

158 Objicies 2. non est evidens illam Religionem esse prudenter credibilem, & credendam, cuius doctrina probabilis est, esse falsam; at huiusmodi est doctrina Religionis Christianæ, ac Catholicæ; ergo, &c. Probant minorem Hæretici sic; probabile est, quod probatur argumentis magni ponderis, & habentibus magnam vim trahendi, & inclinandi intellectum ad assensum; sed falsitas doctrinæ Christianæ, ac Catholicæ probatur argumentis magni ponderis, & magnam vim trahendi habentibus, & inclinandi intellectum humanum ad assensum; ergo, &c. probant minorem Hæretici sic. Argumenta probantia Deum non esse Trinum, & Vnum, Verbum non esse Incarnatum: Crucifixum non esse Deum, eumdem Christum non esse in Eucharistia; non dari peccatum originalem, habent magnam vim trahendi intellectum hominum ad assensum; ergo non est evidens Religionem Christianam Catholicam Romanam esse evidenter credibilem, & credendam ab omnibus.

159 Respondeo; concedo maiorem, & minorem nego, ad probationem minoris, dico, veram esse maiorem bene consideratis rationibus in contrarium, falsam esse rationibus in contrarium non bene consideratis, a nolentibus intelligere, ut bene, & rectè agerent, quia fundamenta Christianorum sunt a Deo revelata, & veritas illa inveniri non potest, at argumenta Hæreticorum sunt fundata in dicto hominum pessimorum: & in scriptu-

ris alteratis ab eis, & ab eisdem intellectis secundum libertatem sensus, non secundum veritatem, unde si convincunt intellectum sensualium, non convincunt intellectum rationalium, & ad vitam æternam tendentium. Ad id, quod dicunt, argumenta probantia Deum non esse Trinum, & Vnum; Deum non fuisse Incarnatum, Iesum Christum non esse Filium Dei, &c. dico: quod ista argumenta cum sint fundata in falsitate, & contra veritatem scripturæ, nullatenus intellectum convincere possunt, quia intellectus habet pro obiecto verum, a quo convincitur, non a falsitate, quomodo est obiectum Hæreticorum, quomodo enim ostendent veritatem suæ fidei fictæ? Forsitan, quia illa Prophetæ prædicavernnt, aut miraculis fuit comprobata, aut sanguinis Martyrum effusione, aut revelatione divina? Quando a rebus divinis magis distent, quàm Empireum a centro terræ, nonne recordantur, quod inquit D. Paulus, quod, *caro concupiscit adversus spiritum*, & ipsi infideles sunt tota caro, nempe immersi in lascivijs, & crapulis, a quibus regulas fidei suæ habuere? Nisi a ministris Diaboli, & per fidis hominibus, qui cum homines essent, vitam brutorum gestarunt, & ideo nego consequentiam.

SECTIO TERTIA.

De regulis Fidei Catholicæ.

CArdo, & Assis Fidei Catholicæ Romanæ est, quod fides ipsa proponat seipsam, non enim semper Deus revelat arcana sua, sed sufficit, si medijs servis suis fidelibus revelet illa, quæ vult credi ad meritum ipsorum augendum, credenda proponere, qui huiusmodi credenda proponit: dicitur enim hæc regula fidei, a qua non est licitum deviare. De hac itaque regula instituo hanc præsentem sectionem, suisque subsectionibus secabo, prout multiplicitas difficultatum, mihi occurret; in prima examinabo, an in Ecclesia vera Romana necessariò sit in-

fallibilis regula fidei. In secunda, quęnam sit ista fidei regula. In tertia, utrum aliquando liceat ab ista regula discedere. Itaque sit ad laudem Dei semper.

SVBSECTIO I.

An in Ecclesia Dei sit necessaria infallibilis regula fidei.

1 REgula fidei, sive fides ipsa proponens, potest accipi dupliciter, nempe animata una, & inanimata altera; animata est v. g. Doctores, Concionatores, Episcopi, Archiepiscopi, Summus Pontifex Romanus, Concilia, sive Provincialia sint, sive Generalia; imò universalis Ecclesia inanimata: sunt v. g. Scripturæ Sacræ, traditiones divinæ, sive maiorum, ut sunt Sanctorum Patrum, & Prophetarum relationes, & de una, ac de altera procedit quæstio præsens. An nempe in Ecclesia Dei aliqua regula dari debeat animata, vel non, quæ infallibilis sit, idest, quæ habeat authoritatem infallibilem, itaut negari non possit id, quod ab ipsa proponitur.

2 Conclusio 1. sit ad decisionem quæstionis, in Dei Ecclesia necessaria est aliqua regula infallibilis fidei, cui omnes fideles tenentur summa certitudine credere, est de fide, & fatetur etiam ab Hæreticis; constat hæc veritas ex Tridentino sess. 4. per totam,

3 Probo conclusionem positam sic. Ecclesia Christi, quæ est Ecclesia Catholica Romana, est una per se, perpetua atque adeo in ea debet esse una perpetua fides; atqui hoc esse non potest, nisi in eadem Ecclesia detur una perpetua, & firma regula infallibilis, quam sequi teneamur; ergo in Ecclesia Dei est necessaria aliqua regula infallibilis fidei. Antecedens constat ex illlo Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, sequitur consequentia, quia fides est quasi Vbera huius Ecclesiæ.

4 Tanto

4 Tanto magis, quod regula deficiente infallibili, unusquisque posset opinionem suam amplecti pro regula propria, sicut evenit in aliquibus partibus, ubi, quia certam regulam non habuerunt, multiplicatæ sunt sub hæresi Calviui, & Luteri, sectæ plusquam triginta in discernenda vera fide a falsa, unusquisque illorum prætendendo suam esse veram, & omnes erraverunt ab utero, & locuti sunt falsa, igitur, ut Ecclesia Dei conservetur, ut Ecclesia Dei Catholica Romana, quæ est vera Ecclesia, in qua sola est salutis via, conservetur una necessaria regula infallibilis, & perpetua, quam omnes teneantur sequi fideles Christi, sicuti de facto omnes Catholici Romani tenent, & sub uno vero Vicario Christi, qui est Summus Pontifex, hodie Innocentius XI. militant.

5 Conclusio 2. In Ecclesia Dei debet dari aliqua regula infallibilis, viva, & animata, est de fide hoc tenendum, prout habetur, tàm in novo, quàm in veteri Testamento, in veteri, Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem Domini requirent ex ore eius*. Ex novo vero Actor. 13. ubi ortis differentijs aliquibus circa fidem, congregatis Apostolis definierunt dicentes; *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Hieronymus contra Luciferianos, dixit; *si non sit in Ecclesia una hominis potestas, tot futura sunt schismata, quot sacerdotes*.

6 Probatur assumptum. Experientia constat, oriri circa Mysteria fidei controversias varias in Ecclesia, ut sic, circa Hæreticorum improbitatem; imò videmus in dies Hæreticos inter se esse valde diversos in modo, & regulis credendi, exemplum sit Anglia, iam annis elapsis, ante Regem Iacobum, qui semper vivat felix, & Deus semper prosperet in opere bono incepto pro Catholica fide Romana, &c. ubi quot homines, ut ita dicam, tot erant regulæ vivendi: ego ut tollantur schismata, necesse est, ut sit una regula statuens, quid certo servandum sit; alias impossibile erit, quod una fides servetur. Probo consequentiam; quoniam non sufficiunt scripturæ, circa quarum intelligentiam sunt ipsæ controversiæ; non iudicia particularia hominum, quia

ſunt inter ſe valde varia; neque revelationes particulares. Tum quia non habent vim obligandi; tum quia non eſt maior ratio cur uni, & non alteri credatur; ergo, &c.

6 Concluſio 3. In Eccleſia Dei requiritur etiam regula infallibilis fidei inanimata, eſt etiam de fide, ut habetur ex Tridentino loco citato.

7 Probatur concluſio duobus modis, poteſt quis proponere aliquid credendum, vel tamquam immediatè ſibi revelatum; vel tamquam revelatum alteri; ſed in utroque caſu tenetur ſuam doctrinam confirmare aliqua infallibili regula; ergo præter regulam vivam, debet dari regula inanimata infallibilis. Probatur minor, interior viſio, cum ſit occulta, non ſufficit cuique, tantum aſserere, quod ipſe miſsus ſit a Deo, cum id quilibet Hæreticus aſsereret, ſed oportet, quod adſtruat illam inviſibilem miſſionem, per operationem miraculi, vel ſcripturæ teſtimonium ſpecialem, ibique ponantur exempla Moyſis, & Ioannis Baptiſtæ; nam miſſio primi confirmata fuit per miracula. Secundi teſtimonio Iſaiæ dicentis, *Ego vox clamantis in deſerto, &c.* in Eccleſia Dei requiritur etiam regula infallibilis fidei inanimata.

8 Obijcies 1. contra primam concluſionem. Ad fidem ſufficit revelatio Dei, & ſufficiens propoſitio, ſed iſta duo poſsunt haberi ſine aliqua regula; ergo non eſt neceſse ponere in Eccleſia Dei regula aliqua. Probatur minor, ante Chriſti adventum, & ante Moyſen in mundo fuit fides vera; atqui tunc in Dei Eccleſia non fuit huiuſmodi regula; ergo illa duo ſufficiunt, nempe fides ſine illa regula, &c.

9 Reſpondeo: dando libenter propoſitionem maiorem, ſed minorem diſtinguo; iſta duo poſſunt haberi ſine regula in primis credentibus, qui habent immediatè a Deo revelationem, concedo minorem, in cæteris non habentibus immediatè a Deo revelationem, nego minorem. Vt enim fides propagetur, & conſervetur per continuam ſucceſſionem temporum, poſito iam, quod Deus non immediatè fidelibus ſingulis credenda revelaverit, neceſsaria eſt aliqua regula, per quam diſcernatur vera

fides a falsa; imò in Ecclesia Dei aliqua regula semper fuit, etiam ante Moysen, unde ad probationem nego maiorem.

10 Obijcies 2. huiusmodi regula est impossibilis, & posito quod detur, est inutilis: ergo non est ponenda in Ecclesia Dei talis regula. Probatur antecedens: quia ista regula est quid creatum: ergo non habet ex authoritate sua infallibilitatem: igitur aliunde habet authoritatem, & infallibilitatem: ergo etiam hoc, ut quid creatum sit, oportet; ergo debet dari alia regula, per quam hoc creatum constet esse infallibilem; & sic in infinitum, hoc est impossibile, ut si una certificetur per aliam, sive de alia, quia daretur in tali casu circulus vitiosus: ergo inutilis talis regula, atque adeo non est admittenda in Ecclesia Dei.

11 Respondeo, dicendo, quod regulæ fidei se se mutuo iuvant, & una authoritas Concilij, alteram adiuvat: cum enim sint singulæ sufficienter propositæ, & omnes collatæ faciunt quandam evidentiam credibilitatis, ut alibi dixi, & sufficiunt in suo genere ad confirmandam fidem, addito Dei testimonio, quod habet infinitam authoritatem, quam authoritatem tribuit organo suo, quo induitur ad fidem proponendam, & cui assistit Spiritus Sanctus.

12 Obijcies 3. contra secundam Conclusionem, hæc regula viva non potest esse nisi humana; ergo erit fallibilis: ergò, non potest esse infallibilis regula fidei. Respondeo, distinguo Antecedens, humana, & sine assistentia Spiritus Sancti; concedo, cum assistentia Spiritus Sancti esset fallibilis; nego, & distinguo consequens, cum assistentia Spiritus Sancti erit fallibilis, nego consequentiam, sine dicta assistentia, concedo, & sic ultimum consequens distinguo, regula fidei viva non erit infallibilis cum assistentia divini Spiritus, est falsum, sine assistentia eiusdem Spiritus Sancti, concedo.

13 Obijcies 4. contra eamdem, sunt aliqua loca Sacræ Scripturæ ex quibus apparet non dari certam regulam vivam, sed esse in arbitrium cuiuscumque probare suum Spiritum. Probatur antecedens, in Epistola 1. Ioannis cap. 4. dicitur: *nolite credere*

omni

omni Spiritui, sed probate Spiritus si ex Deo sint: item secundò ad Tessalonicenses 2. cap. 2. *Rogamus vos, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epistolam, tamquam per nos missam*, & 1. ad Corinthios 2. Spiritualis indicat omnia, quasi essent dies Domini, nequis vos seducat ullo modo, Ioannis 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar*, & cap. 10. *Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, & vocem meam audiunt*.

14 Respondeo: probandos esse Spiritus cuiuscumque, utrum sint a Deo, & optima probatio est, si correspondeant Spiritui Divino, & regulæ ab ipso Divino Spiritu constitutæ; præterea Spiritus noster probandus est in rebus dubijs, non autem in rebus certis, ab Ecclesia edoctis. Etenim illæ Spiritus, qui est conformis Ecclesiæ, non est probandus, sed illum sequi debemus. Vtrùm autem noster Spiritus sit conformis Ecclesiæ, probandus est per regulam vivam, certam, & infallibilem; hoc, & non aliud dicunt authoritates allatæ.

15 Objicies 5. contra eamdem secundam conclusionem de regula viva. Si requireretur regula viva in Ecclesia Dei, sequeretur, quòd regulæ reliquæ essent superfluæ: ergo huiusmodi regula viva in Ecclesia Dei non est ponenda. Probant antecedens adversarij, & sic argumentantur. Videtur superflua regula mortua, ubi est regula vivens, & vivum oraculum. Tum quia illa regula mortua iam non est regula, & per consequens deberet regulari, per illam regulam vivam. Tum quia sequeretur, præterandam esse dictam vivam regulam Scripturis Sacris, & sic iudicium hominis unius plus extimationis esset, quàm Sacræ Scripturæ; ex quo sequitur aliud absurdum, nempè hanc regulam fore incertam. Quis enim scit hunc hominem, vel hanc congregationem esse talem, qualis esse debet regula fidei, cum homo possit decipi, & decipere: ergo, hæc regula viva infallibilis in Ecclesia Dei dari non potest.

18 Re-

16 Respondeo, negando Antecedens, ad probationes eius dico; quòd ex eo quòd dentur plures regulæ, non sequitur propterea, quod aliquæ ex illis superfluæ sint, quando idem finis per plura media haberi possit, & idem terminus per plures vias, ut manifestum est ex se; nec ex eo quod regula mortua reguletur per regulam vivam, sequitur ipsam non esse regulam; immò ex hoc sequitur esse regulam, cum reguletur ita per regulam vivam, ut ipsa regula viva resplendeat in rebus fidei, cum istæ regulæ mutuo se iuvent, ut in antecedentibus dixi, & hac ratione respondetur ad illud ultimum, quod dicebatur in obiectione, de incertitudine huius regulæ vivæ, quod verum esset, si ex proprio marte iudicaret. At regula viva, quæ ponenda est semper in Ecclesia Dei, debet iudicare, ut regulata per Scripturas, & traditiones, cum assistentia Spiritus Sancti, qui non desinit illam decipi, nec decipere permittit, ut decens est providentiæ divinæ.

17 Objcies 6. contra eamdem; si daretur viva regula fidei ad definiendas controversias, circa scripturas, & traditiones, sequeretur illam regulam vivam esse supra Scripturas, & traditiones, quod repugnat: nam Scripturæ, & traditiones sunt Verbum Dei, quo nihil superius dari potest: ergo,&c.

18 Respondeo, sicut Iudices inferiores explicantes iura superioris non sunt Superiores, Auctore legis, & ipsa lege. Sic etiam nec regula fidei viva explicans in Ecclesia Dei Scripturas, & traditiones, ut controversias definiat circa illas, erit Superior Auctores legis; aut ipsa lege; quia neque abrogare habet eas, nequè immutare id, quòd habetur per Scripturas, & traditiones; sed solum ipsas explicat ad verum earum sensum à Spiritu Sancto illuminata ista viva regula, quæ est Summus Pontifex Romanus Caput Ecclesiæ Veræ, & Christi Vicarius ac Petri Successor.

SVB.

Quænam sit regula fidei.

19 IAm dixi, quòd in Ecclesia Dei debet dari regula fidei infallibilis, tàm animata, quàm inanimata: modò restat videre, quid pro utraque statuendum sit, nempè, an Sumos Pontifex Romanus sit viva regula infallibilis fidei divinæ in Romana Ecclesia, & an Scridturæ, &c. Regula in animata similiter sit infallibilis regula in Ecclesia Dei, quod totum per tres conclusiones decisum remanebit, sit itaque.

20 Conclusio 1. Romanus Pontifex, & in præsenti Innocentius XI. est viva, & infallibilis regula fidei in Ecclesia Dei, itaut errare non possit, etiam extra Concilium in rebus fidei, loquendo ex Cathedra, ut Christi Vicarius; ità omnes communiter tenent Doctores.

21 Probo Conclusionem, in Ecclesia Dei necessariò debet dari Doctor vivus, decisor controversiarum fidei, qui vera à falsis discernat absquè periculò errandi: sed nequit esse alius, præer quam Romanus Pontifex, quia iste habet authoritatem sufficientem, & supremam, definiendi controversias fidei infallibiliter, sine periculo errandi, ergo illa erit viva, & animata regula fidei infallibilis. Maior inde patet; quia, si exortæ controversiæ in rebus fidei, non definirentur, orirentur dissensiones, & schismata, & sic Ecclesia Christi non maneret una indivisa; immò Ecclesia Christi non esset, quæ una est unitate fidei. Minor patet, quia iste Iudex non potest esse Princeps sæcularis, cuius authoritas exceditur a definitione in rebus in fidei supernaturalibus; neque potest esse Spiritus varius cuiuscumque, tàm hæreticorum, &c. quam Schismaticorum, ut infinitas difficultates decidere habeat in rebus fidei, ut tenet Hæretici, nempè quod unusque secundum suum proprium Spiritum currere in rebus fidei debeat, quia quot sunt capita, tot essent sententiæ, & tot fides, ac Religiones, ut temporibus nostris

per annos vidimus in Regno Angliæ, ubi vidimus Protestantes Puritanos, Presbiteranos, Tremolantes, Reformatos, &c. quæ quidem religiones pervenerunt ad numerum, inexplicabile; & undè hoc? quia primus Legislator falsæ Doctrinæ Calvinianæ erravit ab utero, & locutus est falsa; dicendo, quòd unusquisque in sua religione salvari potest sequendo internum, & proprium Spiritum; at quia iste Religiones sunt contrariæ inter se, & Spiritus eorum contrarij sunt, non possunt stare simul, & in unum bonum fidei convenire, una namque est rura fides infallibilis, & una Ecclesia sola est, in qua salus reperitur, & salutis æternæ via, in qua est Caput Summus Pontifex Romanus Christi in Terris Vicarius, & Petri Apostoli Successor, ipse solus est ipsæ Doctor, cui inest potestas definiendi assistente ei Spiritu Sancto, a quo procedunt veræ definitiones, & decisiones in rebus fidei, sine periculo errandi; quia non proprio Spiritu in hoc operatur, sed Divino Spiritu afflante.

22 Ostenditur hoc melius, eamdem potestatem, quam Petrus Apostolus primus summus Pontifex habuit, habet etiam quilibet Romanus Pontifex eiusdem Petri Apostoli legiptimus succesſor, & in præsenti Innocentius XI. sed D. Petrus Apostolus habuit supremam potestatem, non solum in foro sacramentali, ut a peccatis absolveret, nec solum in foro externo spirituali, & Ecclesiastico, ut conderet leges, & dispensaret in illis, & de Thesauro Indulgeniarum: sed etiam prædicandi Verbum Dei, & ea, quæ fidei sunt, atque definiendi infallibiliter controversias indepenter a Concilio, ut alibi dixi; ergo, & illam habet quilibet Pontifex, & consequenter est viva, & animata fidei regula. Maior patet, quia D. Petus non habuit a Christo talem potestatem, ut persona privata, sed ut Ecclesiæ Caput, & universalis Pastor illius pro communi bono, & utilitate totius Ecclesiæ Christi; ergo illam habuit a Christo, ut continuandam in Successoribus. Minor probatur, quoad primam partem. Quia in Ecclesia necessarius est Iudex illius, ut dixi Superius; quis enim patiori iure quam S. Petrus, qui constitu-

tus

tus fuit a Christo Caput, & universalis Pastor totius Ecclesiæ suæ, quoad secundam partem, nempe quod habuerit D. Petrus potestatem definiendi independenter a generali Concilio. Probo quia Christus Dominus dedit D. Petro supremam potestatem in Ecclesia independenter ab omni alio; ergo sic illam habuit; antecedens constat: *Tibi dabo Claves Regni Cælorum, quodcumque ligaveris, erit ligatum, & quodcumque solveris; erit solutum, pasce oves meas, ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: per quæ verba contulit Christus Petro supremam potestatem in Ecclesia Dei, & circa res fidei, ut patet, sed in illa nulla continetur dependentia a Concilio ullo modo; ergo independenter ab illo, ut concessa Petro talis potestas, est similiter in successoribus, & præcipuè, quia hoc fuit maximum privilegium, quod non est restringendum sed ampliandum.

23 Suadet hanc veritatem, difficultas congregandi generalia Concilia, & necessitas, quæ sæpe instare potest damnandi hæreses emergentes, quare oportuit penes Summum Pontificem esse potestatem definiendi independenter a Concilio. Tanto magis, quod, prout ego dico in meo Commentario in primum librum Institutionis Canonicæ, Pontifex est supra Concilia, unde quæ sine eo, aut eius authoritate congregata sunt, aut etiam ab ipso confirmata, irrita sunt, nulliusque roboris. Propterea Summus Romanus Pontifex loquendo ex Cathedra extra generali Concilio non potest errare; ergo Summus Pontifex Romanus in Ecclesia Dei est regula viva, &c. prout in conclusione assertum est.

24 Conclusio 2. Scriptura Sacra est infallibilis regula fidei, hæc conclusio est de fide.

25 Probatur conclusio ista ex multis locis Sacræ Paginæ, & primo Ioannis 5, *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*, & infra, *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan, & mihi, de me enim ille scripsit*, & cap. 10. *Si illos dixit Deus, ad quos ser-*

... Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, hoc est non potest esse mendax, aut falli: ut omnes SS. PP. interpetrantur. Secunda ad Timoteum 3. *Ab infantia Sacras Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*: sic definitum fuit in Tridentino, loco supra citato in antecedenti subsectione; ubi etiam numerantur libri, qui veniunt nomine Scripturæ Sacræ, nempe quinque ex veteri Testamento, utpote, Moysis, Iosuæ, Iudicum, Rut, Regum, quatuor, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Thobiæ, Iudit, Ester, Iob, Psasterium Davidicum, Abias, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias, Baruc, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, primus, & secundus Machabeorum; ex Testamento novo, quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolæ D. Pauli, duo D. Petri, tres D. Ioannis, una D. Iacobi, una D. Iudæ, Apocalypsis D. Ioannis.

26 Probatur. Scriptura est Verbum Dei scriptum; ergo continet in se Dei authoritatem; ergo est regula certa, & infallibilis veritatis, atque inanimata regula fidei. Consequentia sequitur, quia sicut impossibile est Deum mentiri; ita impossibile est mendacium in Sacra Scriptura inveniri, cum Deus mentiri non possit, nec per se, nec per alium, idest, nec immediatè, nec mediatè. Probatur antecedens, tum ex definitione ipsius Scripturæ Sacræ, quæ dicitur Sctiptura instinctu Spiritus Sancti scripta, dictantis non tantum sensum, sed verba. Tum ex diversis eiusdem Scripturæ locis, nempe Petri primo, *Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirate locuti sunt Sancti Dei homines*, ad Hæbreos 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis*. Matth. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; & pluribus alijs in locis, in quibus clarè videtur, &c. Sermonem, quem nobis scriptum reliuquerunt illi Sancti homines, non fuisse nisi sermonem Domini. Sed;

27 Obijcies, regula fidei debet eſſe certa, & nota, unifor-
mis clara, ſemper eadem, & perſpicua, atqui Scriptura Sacra
non habet huiuſmodi conditiones; ergo Scriptura Sacra non eſt
regula fidei. Probo minorem; non eſt nota, & certa, quia plu-
res eius partes aliquando revocantur in dubium, & aliquæ non
admittuntur; non eſt uniformis, & ſemper eadem, quia origi-
nalia a primo ſcriptore condita non habentur, & per tranſlatio-
nem in varias linguas multum variatur, non eſt clara, & per-
ſpicua; imò potius eſt valde obſcura, & plures ſenſus admittit,
qui aliquando ſunt valde ambigui; ergo, &c.

28 Reſpondeo, dando maiorem, & minorem negando, de
prioribus partibus, ſcilicet, quod debeat eſſe nota, certa, uni-
formis, & ſemper eadem; eſt enim in primis nota, & certa,
cum iam conſtet, quinam ſint libri canonici, ut ſupra eos nume-
ravi n. 26. & Concilium Tridentinum loc. ſupra cit. ſtatuit: *quod
ſi quis libros integros* (quos iam enumeraverat) *cum omnibus ſuis
partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri
vulgata editione latina habentur, pro ſacris, & Canonicis non
ſuſceperit anathema ſit.* Neque facit contra concluſionem, quod
aliquis dubitaverit, nam potuit Eccleſia per ſuam definitionem
dubium explicare. Quoad ſecundam partem ſufficit idem Con-
cilium adducere, quod ſic eodem loco definit: *ſtatuit, & de-
clarat ſancta Synodus, ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ
longo, & tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, pro auten-
tico habeatur, ut nemo illam reijcere, quoquo prætextu audeat, vel
præſumat:* circa vero illud, quod dicebatur, nempe quod re-
gulæ fidei debent eſſe claræ, & perſpicuæ, non eſt abſolutè ve-
rum, cum potius debeant eſſe obſcuræ, itaut ſufficiat ſola fides
ad firmandum cor ſincerum: ad quid enim petijſſet auxilium
Dei David, dicens; *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem
tuam*, ſi deberet eſſe clara, & præſpicua. Multiplices enim ſunt
Sacræ Scripturæ ſenſus, qui vel ab alijs ſcripturæ locis, vel ab
unanimi Patruum interpetratione ſunt aſſumendi, ut dicam in-
fra, cum de ſenſibus Sacræ Scripturæ loquar.

 29 Obij-

29 Obijcies 2. Qui scripserunt enumeratos tractatus, posuerē aliqua, quæ videntur indigna, quod illa dictaverit Spiritus Sanctus; ergo saltem ea non sunt opus Spiritus Sancti; ergo ex illa parte non erunt regula fidei. Probo sic antecedens, quia in his ponuntur familiares salutationes amicorum, excusationes Auctorum, petitio veniæ, si quis minus dignè tractaverint negocia particularia ipsorum, & similia; ergo, &c.

30 Respondeo, illa omnia, quæ continentur in allegatis tractatibus, benè dicta fuisse a Spiritu Sancti scriptore, quiquidem Spiritus Sancti scriptor, suo modo, & proprio stylo exposuit, & more humano, ut se acceptum redderet lectoribus, & audientibus, illa omnia tamen a Spiritu Sancto dictata sunt; v. g. Psalmo 13. dicitur; *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: non est Spiritus Sanctus, qui dicit, non est Deus, sed est Spiritus sanctus, qui dicit: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; eodem modo, non est Spiritus sanctus, qui se excusat, sed est Spiritus sanctus, qui provocat Authorem ad se excusandum, & sic de cœteris.

31 Conclusio 3. traditiones divinæ, & Apostolicæ in Ecclesia Catholica perpetuò servatæ, & retentæ qnamquam scriptæ non sint, sunt tamen infallibiles regulæ fidei, est de fide.

32 Probatur: habetur enim apud D. Paulum scribentem ad Thessalonicenses 2. *Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sivè per Epistolam nostram, sivè per Sermonem*, 2. ad Timoteum 1. *formam habes sanorum verborum, qua à me aduisti in fide, & in dilectione in Christo Iesu*, 1. ad Corinthios 11. *Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, ex Sanctis Patribus. Ireneus ex professo docet, & inter alios dicit: *non oportet credere apud alios veritatem, quia facile est illum ab Ecclesia sumere, per Apostolos enim in eam, quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulere, quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea Patrum vita, hæc est enim vita introitus; omnes enim reliqui fures, & latrones sunt; propter quod oportet evitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa*

dili-

diligentia diligere ; & apprehendere veritatis traditiones .

33 Definita est hæc veritas in pluribus Concilijs, & postremo in Tridentino citato, ubi Sancta Sinodus prospiciens hanc veritatem, & disciplinam Evangelicam contineri in Libris Scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore, quæ ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictatæ, quasi permanus traditæ ad nos usque pervenerunt, anathematizavit eum, qui traditiones prædictas contempserit.

34 Probatur item. Ratio credendi Mysteria fidei, est divina revelatio; sed divina revelatio non minùs habetur per traditiones, quam per Scripturas; ergo ideò non est minus regula fidei traditio, qnàm Scriptura. Probo minorem, quia esse scriptum, vel non scriptum, non variat authoritatem Verbi Divini; Tum quia ante Moysem fuit vera fides divina, & tamen solum per traditionem illa habebantur Mysteria credenda: & in lege nova per aliquot annos solum per traditionem credebantur Mysteria à Cristo revelata; ergo, &c.

35 Obijcies 1. In aliquibus Scripturæ locis, & præcipuè Ioannis 20. dicitur, *hæc scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius:* ergo, quæ non sunt scripta ad vitam habendam, non inserviunt, atquè adeò esse non possunt regula fidei. Apocalipsis ultimò: *siquis opposuerit ad hac, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & siquis diminuerit de verbis libri prophetia huius, auferret partem eius Deus de libro vita:* & si aliquando aliquid non reperiatur scriptum, ut regula fidei, erit addere ad ea, quæ scripta sunt: ergo asserere traditiones esse regulam fidei, contrariatur Scripturæ.

36 Respondeo; quòd addere vel minuere, vel immutare aliquid de Scriptura proprio, & privato Spiritu, non inservit ad salutem, sed potius ad condemnationem. Verum recipere ea, quæ scripta non sunt, ab eodem Spiritu, a quo traditæ sunt Scripturæ, hoc est maximè conveniens, & ad salutem necessa-

rium; quando autem veniant ab illo Spiritu Divino, vel non ad Ecclesiam spectat iudicare, &c.

37 Obijcies 2. Traditio non scripta multis defectibus exposita est repugnantibus certitudini, & necessitati fidei; ergo traditio non est ponenda pro regula fidei. Probo antecedens 1. quia facilè traditur oblivioni ob hominum negligentiam, secundò quia facilè mutatur per varios mores, & varias opiniones. Tertiò quia facilè pervertitur propter malitiam, quibus periculis, ut occurretur iniuncta est Scriptura.

38 Respondeo, quod non solum traditio exposita est ijs defectibus, verum etiam Scriptura; & sicut Deus providit Ecclesiæ de modo conservandi Scripturam, quæ sit regula fidei, providit etiam de modo conservandi traditionem; in Ecclesia enim reperitur modo eodem Spiritus Sancti assistentia, quæ prius erat, & eadem semper erit, iuxta illud: *ero vobiscum, usque ad consumationem sæculi*.

39 Conclusio 4. Ecclesia universalis non potest deficere a fide, nec per hæresim, nec per ignorantiam invincibilem, unde ipsa est infallibilis in credendo, & est certa regula fidei, Conclusio est de fide.

40 Dicitur enim primæ ad Timoteum 3. *Ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*. Ioannis 36. *Cum venerit Paraclitus, docebit vos omnem veritatem*. Matthæi 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Matthæi ultimò: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem seculi*.

41 Definitum est etiam in Concilio Basiliensi, quod recepit orationem Ioannis de Ragusio in qua præpter alia sunt sequentia verba, *quamvis plures sint articuli fidei, tamen est unus in eis, qui est ianua, & principium aliorum, qui est simpliciter per se notus quoad nos, vel nullo modo variabilis in aliquod aliud, quod sit notius quoad nos in lumine fidei, per quod, aut probari, aut manifestari a priori quomodo possit in vita præsenti, & hoc est credere Sanctam Ecclesiam, & Catholicam, atque Apostolicam regi,*

& gu-

& gubernari à Spiritu Sancto, nec eam posse ullo modo errare in ijs, quæ fidei sunt, & necessarijs ad salutem, tangitur in Symbolo dum dicitur, *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Catholicam Ecclesiam*: quia per ipsum Spiritum Sanctum, Sancta, & Catholica est Ecclesia, gubernatur, atquè dirigitur per eundem, qui nec falli, nec fallere potest.

42 Probo hoc etiam ratione alia, quia si Ecclesia posset errare in rebus fidei, etiam per ignorantiam invincibilem, Ecclesia ipsa deficeret, & ipsa fides dubia redderetur; atqui neutrum est dicendum: ergo dicendum est, Ecclesiam Vniversalem Catholicam nullo modo posse errare in rebus fidei. Probo minorem, est enim contra Scripturas allatas id asserere; Tum quia non esent columna firma, & immobilis veritatis, nec posemus esse certi de ulla Scriptura; cum possemus etiam dubitare an errasset ipsa in recipiendo Scripturas.

43 Conclusio 5. Concilium Generale legiptimè congregatum, & confirmatum a Summo Pontifice Romano est infallibilis regula fidei.

44 Quid autem veniat nomine Concilij legiptimè congregati, iam dixi in meo Commentario in primum Librum Institutionis Canonicæ, nec non in hac materia de fide pluribus in locis, nempe Concilium Generale tunc dicitur legiptimè congregatum, quando convocatur authoritate Summi Pontificis Romani, cum assistentia eiusdem, vel sui legati specialis, vel plures legatos ad aliquam rem definiendam; & sic intellecta hæc quinta conclusio est de fide.

45 Habetur hoc in Epistola Sinodali Concilij Basiliensis, hijs verbis: *Istorum Conciliorum* (loquendo de generalibus) *& Ecclesiæ Catholicæ eadem videtur esse potestas*, definitum est in Concilio Constantiensi, quando Synodus Generalis in Spiritu Sancto legiptimè congregata; Catholicam represental Ecclesiam, & potestatem à Christo immediatè habet, verba autem Constantiensis Concilij, quæ habentur, ibi sess. 4. ni fallor, & quinta sunt ista: *Hæc Sancta Synodus Constantiensis præordinat,*

definit

definit, decernit, & declarat, ut sequitur; & primo, declarat, quòd in Spiritu Sancto legiptimè congregata Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat obedire tenetur in ijs, quæ pertinent ad fidem: ergo Concilium Generale legiptimè congregatum est regula fidei Catholicæ, prout in quinta posita Conclusione firmatum est.

46 Probo ratione, quæ habetur in Concilio Basilensi loco supra cit. ubi habetur: *Nec quisquam illud dicere præsumat, quod generale Concilium legiptimè congregatum invalidum sit, aut errare possit, quia si iste permissus error admitteretur, tota fides Catholica vacillaret, nec aliquid certi in Ecclesia haberemus*: quia si potest errare in uno, posset etiam in reliquis errare, nam, ut inquit D. Augustinus, si a Scriptura sancta admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis

47 Conclusio 6. Summus Pontifex definiens ex Cathedra, idest proponens aliquid universali Ecclesiæ, tamquam divina fide credendum est, & tamquam infallibilem regulam fidei tenendum, hoc videtur esse de fide, quatenus in Concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato, damnantur articuli Luteri, inter quos erat, quod certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere Articulos fidei. In Florentino etiam Græci confessi sunt Papam esse Summum Pontificem, & Procuratorem ac Vicesgerentem, & Vicarium Christi, Patronem, & Doctorem omnium Christianorum, regentem, & gubernantem Dei Ecclesiam, quæ omnia probant authoritatem definiendi aliquid de fide esse penes Pontificem, & hanc fuisse Conciliorum mentem, & deducunt talem authoritatem esse in Pontifice ex illo, quod Christus promisit Petro: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: quod non solum Petro, sed etiam Successoribus promisisse, dicunt Patres omnes antiqui, & moderni interpetres Evangeliorum.

48 Probo etiam alia ratione, non expedit Ecclesiæ, quod Summus Pontifex habeat authoritatem definiendi res fidei dependenter a Concilio generali, quando debeat illam ex se habere, probatur antecedens, quia difficillimum est congregare Concilium prædictum, & non absque magno dispendio, labore, atque periculo congregari potest. Tum quia potest quotidie instare necessitas damnandi novam hæresim insurgentem, vel aliquam veritatem necessariam declarandi, quæ quidem veritas revocatur in dubium. Addo, quod ipsamet Concilia generalia non existimantur communiter habere infallibilem veritatem. Contrarium tamen ego teneo, dum legiptimè sunt congregata; cum adsit authoritas Pontificis, quæ est necessaria, vel immediatè, vel mediatè, ut superius dixi, quia sine ipsa nullum est Concilium, quodcumque illud sit, vel confirmatio dicti Concilij facta a Summo Pontifice Romano.

49 Obijcies; una viva regula sufficit Ecclesiæ, sed hæc est Concilium generale; ergo Pontifex ex se non est regula fidei. Probatur maior, quia in re excellenti non oportet multiplicare authoritatem. Tum quia in negotio, tam gravi, quale est res fidei, non expedit Ecclesiæ, ut unus solus decretare possit, & præcipuè sine prævio examine, quale fit in Concilio generali; ergo solus Pontifex non est regula fidei Catholicæ.

50 Respondeo, in Ecclesia Dei sunt plures regulæ fidei, omnes tamen reducuntur in unam, quæ est Summus Pontifex Romanus canonicè electus, ut talis præsentatus a Cardinalibus, & a fidelibus veneratus, qui aliquando utitur Concilio ad definiendum, aliquando non, hoc enim stat in sua libertate, quia Concilia non sunt regula fidei, nisi, ut talia validentur a Papa, ut communiter docent Doctores Catholici.

51 Conclusio 7. Pontifex non potest errare in præceptis, quæ tradit pro Ecclesia universali, sicut nec errare potest in Canonizatione Sanctorum, nec in Religionum approbatione. Tenet Suarius disp. 5. sect. 5. qui fundatur in communi sententia Patruum, & Ecclesiæ.

52 Probatur; quia hæc omnia pertinent ad sanctitatem Ecclesiæ, & ad veritatem ipsius: nam doctrina moralis, quæ continetur in præceptis, est necessaria ad salutem, sicut, & Sanctorum adoratio, in quibus adorandis non licet fidelibus dubitare, posito, quod sint ab Ecclesia canonizati: quod esset falsum si Pontifex in illis canonizandis posset errare. Pro approbatione Religionum; facit Concilium Constantiensem, dum damnavit Ioannem Vviclefum; quia male sentiebat de Religionibus approbatis.

53 Conclusio ultima. Concilia parricularia Episcoporum; & si sint Doctorum, quamvis Sanctorum, non sunt regula fidei infallibilis; est communis apud omnes; ratio est, quia illis facta non est promissio assistentiæ Spiritus Sancti, & sic possunt errare.

SVBSECTIO III.

An licitum sit recedere a regula fidei.

54 ADvertendnm est pro intelligentia difficultatis, quod quis potest recedere a regula fidei, vel in totum, vel in parte, vel internè, vel externè; internè, vel eliciendo actum positivum dissensus circa res fidei propositos; aut non eliciendo actum positivum assensus, quando necesse est illum elicere, & tenere; externè, vel occultando fidem, vel simulando saltem Religionem per usum vestium, & aliarum propriarum infidelium; vel expressè abnegando fidem Christianam per nutum, vel per aliam causam, retinendo tamen interius veram fidem: in quibus casibus quis omittat fidem, vel eliciendo dissensum, vel non eliciendo assensum; ut plurimum iam in antecedentibus satis dictum est, reliqua hic modo decidentur.

55 Conclusio 1. Nullus adultus potest iustificari sine aliquo actu fidei. Tenet Cardinalis de Lugo disp. 12. sect. 1. dixi iustificari, non dixi salvari; quia si quis post Baptismum in infantia

susceptum fieret adultus, & nulla data occasione credendi, moreretur, salvaretur sine dubio cum solo habitu fidei receptæ in Baptismo. Videtur esse de fide, quatenus in scripturis habetur, *Quod iustus ex fide vivit*, & quod, *sine fide impossibile est placere Deo*, quod accedente ad Deum, oportet credere; quæ in adultis non possunt intelligi, nisi de actibus, sicut etiam Tridentinum supra cit. de libera motione in Deum, per quam disponuntur homines, ad iustitiam, perse de actu fidei locutus est Augustinus de natura, & gratia, nempe de gratia Christi, sine qua, nec infantes, neque adulti salvi fieri possunt, non ex meritis, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur, ut dixi, cum de gratia pluribus in locis. *Iustificati*, inquit D. Paulus, *per Sanguinem Christi*, unde hi, qui per illam non liberantur, sive quia audire non potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam cum per ætatem audire possent ad lavacrum regenerationis, dum accipere poterant, per quod salvi fierent, non acceperunt, iustè damnantur.

56 Probo etiam ratione deducta ex prædictis locis, adhoc ut quis iustificetur debet habere fidem, atqui non sufficit fides habitualis, sive fides in voto; ergo debet habere fidem actualem; ergo actum fidei habere debet. Probatur minor; non habitualis, quia hæc stat cum peccatis; ergo non sufficit ad iustificationem; non fides in voto, quia de hac re nihil habemus in scripturis: sicut habemus de Baptismo, & de Pœnitentia; ergo; tanto magis, quod fides in voto, non est fides nisi virtualiter, sed solum est voluntas habendi fidem, scripturæ autem requirunt fidem, non vero requirunt voluntatem fidei.

57 Conclusio 2. Ante fidem nulla dantur opera meritoria. Est sententia de Lugo loco supra citato sectione 2. & videtur esse de fide.

58 Probo conclusionem sic; S. Paulus Apostolus ad Ephesios scribendo 5. *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur:* habetur apud Ambrosium lib. 6. in Lucam cap. 7. *Mise-*

ricordiæ fidem pretulit, quæ tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur : habetur expresè apud Augustinum in præfatione super Psalmum 31. ubi concilians Paulum dicentem, Abraham iustificatum ex operibus, & non ex fide tantum, ait : Paulum locutum fuisse de operibus fidem præcedentibus, quæ nullius sunt meriti, Iacobum vero de operibus subsequentibus, quæ a fide meritum sumpserunt, & concludit Augustinus : *Si debemus nulla opera præponere fidei, idest, ut ante fidem quisquam dicatur bene operatus, ea enim opera, quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur ab hominibus laudabilia, non sunt tamen talia, sed mortua sunt, ita mihi videntur esse ut magna vires, & cursus celerius per viam, nemo ergo causare potest opera bona antequam habeat fidem, ubi enim fides non erat, bonum opus non erat, bonum enim opus intentio facit, intentione fides dirigitur.* Ecce quomodo Sanctus Doctor dicit apertè, nullius esse meriti opera nostra sine fide.

59 Probo secundo conclusionem hanc secundam alia via sic. Id quod est meritorium, pertinet ad salutem, sed ante fidem nulla datur salus; ergo ante fidem nullum datur meritum. Probo minorem, fides est initium salutis, fundamentum, & radix iustificationis, principium meritorum, ex Patribus, & Concilijs; atqui hæc omnia essent falsa, si ante fidem daretur salus; ergo ante fidem nulla datur salus; probatur maior, tum ex locis pluries citatis, tum ex Concilio Arausicano 2. cap. ultimo dicente: *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, sed ipse nullis nostris præcedentibus meritis, prius fidem inspirat*. Nihilominus his non obstantibus.

60 Obijcies 1. Contra prædictas positas conclusiones, quæ satis connectuntur. Ante assensum fidei præcedit voluntas credendi, atqui voluntas illa est meritoria; imò est ratio cur assensus fidei meritorius si; ergo ante fidem datur meritum; ergo a fide non consurgit meritum, atque adeo sine fide homo potest iustificari.

61 Re-

61 Respondeo, ipsam voluntatem credendi non distingui ab ipsa fide, si enim est ratio cur assensus sit meritorius, est quod informans dictum assensum, cum actus fidei formatæ comprobetur, ut alibi dixi, a perfectione utriusque potentiæ, videlicet intellectus, & voluntatis.

62 Obijcies 2. Quando quis orat Deum, & ab eo petit habitum fidei, certè talis orans nondum est conversus ad fidem, & quidem non est dicendum orationem illam non esse meritoriam, quia ante fidem datur aliquod meritum, ergo meretur, aliàs frustrà hortarentur homines infideles ad orandum, &c.

63 Respondeo, quod ille homo, qui ardenter orat, ut Deus det illi lumen fidei, iam ab ipsa fide movetur, & sic meritum suæ orationis ortum habet a fide, cui meritum imputari debet, quomodo enim quis potest velle credere Deo super omnia, nisi sit illi proposita fides? pertinet igitur illud meritum ad fidem ipsam, sicut ad ipsam pertinet voluntas credendi.

64 Obijcies 3. ex multis exemplis aliquorum, qui antequam fideles essent, & haberent habitum fidei, multa opera bona operati sunt, ex quorum merito, vel salutem, vel donum fidei impetraverunt. Primo Danielis 4. habetur Danielem ipsum consuluisse Nabucudonosor Regi, ut eleemosynis redimeret peccata sua; ergo signum est, quod eleemosynæ, etiam factæ ab infidelibus, meritoriæ sunt; in Martyrologio Romano die 20. Iunij, nisallor, habetur de Sancto Basilide, qui cum Sancta Patamiena Virgine, quam ad supplicium ducebat, ab impiorum hominum petulantia tatatus esset, religiosi officij mercedem ab ea recepit, nam ipsa post triduum illi apparens, & eius capiti coronam imponens, non solum eum convertit ad Christum, sed etiam brevi agone certante, suis precibus Martyrem gloriosum effecit. Apud Baronium tom. 7. anno Christi 537, legitur de Puella Alessandrina, quæ nondum Christiana dedit omnia bona sua, ut quendam liberaret a laqueo sibi met parato, & postea meretricio se dedit, & in articulo mortis meruit, propter hoc opus, ab eodem miraculosè, ut Baptismum susciperet; ergo bona opera etiam

ante

ante fidem sunt meritoria; apud Deum optimum, maximum:

65 Respondeo, & dico, quod omnia opera facta in infidelitate sine ullo merito sunt in ordine ad æternam salutem loquendo, nisi fiant ad ipsam fidem impetrandam; in quo casu meritum oritur ab ipsa fide. Ad exempla allata Danielis de Rege Babiloniæ imperans ei eleemosynas, ut peccata sua redimeret, & ad evitandas pœnas temporales, quæ ei imminebant, dictum fuit, *Peccata tua eleemosynis redime*, vel si ad pœnas æternas evitandos illi hoc dictum fuit, hoc faciebat Daniel ei proponendo fidem erga Deum retributorem bonorum operum, & ultorem scelerum. Ad illud de Sancto Basilide, non per se meruit suam fidem, sed Beata Patamiena, illud donum ipsi a Deo impetravit. Puella, de qua Baronius, &c. quæ nondum erat baptizata, sed iam cathecumena erat, & fidelis, & sic potuit mereri largiendo bona sua, ut damnum temporalem, & æternum evitaret illius hominis.

66 Obijcies 4. Si opera moralia naturalia nullo modo essent meritoria, sequeretur, quod ille, qui scit evidenter per naturalem demonstrationem Deum existere, non posset iustificari, sicut nec eum, qui invincibiliter ignoraret fidem, nam primum posset salvari, quia de obiecto evidenter scito non datur fides; non secundus, quia quantumcumque legem naturæ observaret, nihil apud Deum mereretur, nec alias haberet medium supernum, ut supponimus ipsum ignorare; ergo nullo modo possent isti homines salvari. Quod autem detur homo pænitus ignarus fidei, non est impossibile, ut inveniatur, potest enim quis, vel in silvis enutriri, vel inter Barbaros, itaut nullam cognitionem fidei habeat; ergo, &c.

67 Respondeo, negando sequelas ambas, & de primo, iam per me potest circa idem obiectum stare fidem scientiam. Circa secundum, nullus est adeo Barbarus, quem Deus eum non illuminet efficaciter, prout ex se est, cum Deus sit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illuminationem huiusmodi potest facere Deus, vel per seipsum im-

mediatè, vel per Angelos, aut per homines Verbum Dei prædicantes, vel alio modo, quod parum intereſt, certum eſt, quod non eſt pars mundi, ubi ſonus fidei Chriſti non perveniat.

68 Obijcies 5. Ad iuſtificationem ſufficit dilectio Dei; atqui ad Dei dilectionem ſufficit ſummi boni cognitio; ergo ad iuſtificationem hominis cognitio ſummi boni ſufficit, atqui talis cognitio poteſt haberi lumine naturæ; ergo aliquod merè naturale ad iuſtificationem ſufficere poteſt.

69 Reſpondeo, & nego ſubſumptum, etenim Dei dilectio ſuper omnia, quæ ſufficiens eſt ad iuſtificationem, eſt ſupernaturalis, & cognitio ſummi boni prærequiſita ad dictam dilectionem etiam ſuperna eſt, quæ non poteſt lumine naturæ haberi, ſed ad hanc habendam requiritur lumen fidei; homo enim per primum peccatum Patris Adami ita eſt ad amorem creaturarum inclinatus, ut debiliſſimus reddatur ad amandum Deum; ſumendo motivum ab ipſis creaturis. Apparet quidem bonus, & amabilis, ſed non movet ad elliciendum erga ipſum actum amoris ſuper omnia, qui quidem amor ſolus ad iuſtificationem ſufficiat; ergo, &c.

70 Inſtabis; quamvis homo ex primi hominis peccato factus ſit debilis, & omnis cognitio naturalis ex ratione humana deducta non poſſit naturaliter excitare intellectum ad amorem Dei ſuper omnia, vel ad deteſtationem peccati, poteſt tamen dari cognitio aliqua ſupernaturalis ante habitum fidei, quę poſſit naturam humanam corroborare, ut poſſit elicere actum amoris, ſuper omnia, vel deteſtationem peccati; atqui in eo caſu daretur iuſtificatio; ergo ante fidem iuſtificatio hominis dari poteſt. Probo antecedens, ante fidem poteſt dari cognitio ſupernaturalis. Nam prima affectio voluntatis imperans actum fidei, præſupponit cognitionem ſupernaturalem obiecti; ergo, &c.

71 Reſpondeo. Primam affectionem voluntatis ad credendum non præcedere cognitionem ſupernaturalem, ſed ſolum apprehenſiones præcedere, quam ego dico non eſſe ſupernam, ſed dato, quod ſecluſa fide daretur aliqua cognitio ſuperna, non eſſet talis

cognitio sufficiens ad eliciendum actum amoris super omnia erga Deum; quia tenderet in Deum eodem omnino modo, quo tendit in ipsum cognitio naturalis, quapropter tenendum est, quod ad iustificationem omnino necessaria, est cognitio fidei, & opera, adhoc ut sint meritoria, debent in Deum ferri, & propter Deum fieri.

72 Obijcies 6. Sunt plura loca Sacræ Scripturæ, ex quibus deducitur, cognitionem naturalem de Deo sufficere ad iustificationem, vel saltem ante fidem, dari posse cognitionem supernaturalem. Primum habetur ex D. Paulo ad Romanos primo; *Revelatur enim ira Dei de Cœlo, super omnem impietatem, & in iustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitiam detinent, quia quod natum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & divinitas; itaut sint inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum; non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* & eiusdem D. Pauli Epistola 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cur enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quibus in locis D. Paulus videtur docere duo, unum quòd phylosophi sunt inexcusabiles, non solum, quia ductu rationis naturalis potuerunt cognoscere Deum, sed etiam, quia illas rationes habuerunt infusas a Deo: ergo ante fidem habuerunt cognitionem sufficientem ad iustificationem, aliàs inexcusabiles non essent. Alterum est, quod Deus scripsit in cordibus hominum legem suam, quam qui observant, salvi fiunt, & hoc potest verificari de notitia solo lumine naturæ habita: ergo concludendum est, quod per opera naturalia solum, potest homo adipisci suam iustificationem.

73 Respondeo, & dico, ut supra dixi, nempe, quod verba D. Pauli Apostoli solum dicunt, & probant, nullum dari hominem, adeò barbarum, vel scitam, qui non habeat talem, ac tantam Dei cognitionem, quæ reddat illum inexcusabilem. Ita ut dicere possit, nullam habui de Deo cognitionem; sed non probant, dictam notitiam esse sufficientem ad iustificationem, sine fidei cognitione: unde ad primum locum Apostoli, dico: quod homines ex natnrali cognitione, quam habent de Deo redduntur inexcusabiles, si iuxta illam cognitionem non operantur erga Deum: eo enim ipso, quod cognoscunt Deum authorem suum, debent illi gratias agere, & ad ipsum suas actiones referre, & si id non faciunt, iam peccant, nec coram Deo excusari possunt, nec conquæri, si puniantur; ad secundum, probat ibi Apostolus, neminem excusari, si puniatur a Deo, quamquam legem scriptam non habeat; cum quilibet habeat saltem legem naturæ; unde iustè punitur a Deo, si delinquere habeat, in quacumque lege sit.

74 Et sic interpetrantur SS. PP. nempe Anselmus, Heronymus, Fulgentius, Clemens Alexandrinus, & alij multi, qui contra me afferri possunt; quia credere Deo, est de iure naturæ antecedenter ad omnem positivam legem ipsius Dei.

75 Conclusio 3. licitum est Christianis uti vexillis hostium infidelium ad decipiendos illos, ne fugam capiant, etiam si vexilla huiusmodi in se haberent depictam Mahumeti immaginem, vel alicuius falsi Dei.

76 Ratio probativa huius conclusionis est, quia huiusmodi vexilla delatio nullo modo arguit negationem fidei, nec exhibitionem cultus falsis Dijs, nisi essent exposita, & ad cultum determinata; non autem ad inimicorum deceptionem, ut in ipsa expositione significaretur huiusmodi cultus; quia tunc nullo modo licitum esset, talia vexilla exponere, nam tunc esset Dei veri fidem negare, & ab ea apostatare.

77 Conclusio 4. dato quod Rex aliquis infidelis faciat præceptum omnibus Christianis in suo Regno existentibus, ad hoc ut

tali veste utantur, quia vult, ut a cæteris coguoscantur, Christiani non possunt, ad se occultandum, obedire tali præcepto.

78 Ratio est, quia, vel illa lex fit ad finem politicum, vel in odium Religionis, si ad finem politicum, non obligat ex virtute fidei, si in odium Religionis Catholicæ, obligat. Quia unusquisque fidelium, etiam cum periculo vitæ, tenetur fateri veram fidem, iuxta illud Christi Domini, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.* Marc. 8. & Luc. 12. atque Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*, & ad hoc ipsum Christus Dominus Sacramentum Confirmationis, seu Chrismatis instituit; ad confirmandos scilicet suos fideles, ne erubescant Evangelium. At si Edictum esset, ut fideles deferrent aliquid ad cultum, &c. non tenentur deferre etiam cum pari vitæ periculo, si verò præceptum tale fieret solum infidelibus, ut cognoscantur a rege infideli, quinam sunt eius sectæ, tunc nullo modo licitum est Christianis talem vestem gestare, etiam cum periculo vitæ, nam per talem usum profiteretur falsam Religionem.

79 Conclusio 5. licet Christianis commedere idolotyta remoto scandalo, & remota ratione immolationis, dummodo non comedantur tamquam immolata.

80 Probatur conclusio ex D. Paulo 1. Corinth. 10. ubi ipse Apostolus habet hæc formalia verba; *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam; conscientiam autem dico non tuam, sed alterius*: hæc Apostolus Paulus loco cit. ratio est, quia tales cibi de se indifferentes sunt, nec per immolationem depravati sunt. Nec faciunt in contrarium variæ auctoritates SS. PP. dicentium, potius fame pereundum esse, quàm cibos immolatos comedere: nam PP. SS. loquuntur in casu ab Ecclesia excepto,

nimirum,

nimirum, quando commestio talium ciborum falsi cultus exhibitionem, argueret; tunc enim nullo modo licet idolatytorum commestio, & potius fame fidelis perire debet, quàm cibos illos commedere: unde manet probata conclusio.

81 Circa alios cibos, sive esum aliorum ciborum, qui non sunt prohibiti, nec iure naturali, nec divino, aut Ecclesiastico positivo iure prohibiti sunt, qualis est v. g. esus carnium tempore Quadragesimæ, licet non sit huius loci quæstionem hanc facere, tamen ego circa hoc ultimum dico, quia hoc fieri potest, aut præcipi in comtenptum Religionis Christianæ, mihi dicendum videtur, quod Catholicus transiens per loca Hæreticorum, vel Infidelium in diebus, in quibus ab Ecclesia Catholica prohibitum est carnibus vesci, potest aliquando excusari, si comedat carnes propter necessitatem; sed quia multiplex est necessitas proveniens, tàm ab intrinseco, quàm ab extrinseco, provocatus, aut requisitus, potest excusari.

82 Voco necessitatem intrinsecam, quando non possunt haberi alij cibi, & propter famem perire posset, nisi carnes ille homo comederet, vel alios cibos ob aliquam infirmitatem, qua laborat, sunt illi valde nocivi, & talem necessitatem intrinsecam voco: extrinseca necessitas est illa, videlicet, quando non comedenti magnum aliquod periculum imminet, vel a circumstantibus, vel a Principe, vel in casu in quo Catholicus nullum cibum invenire potest, præter carnes, tunc potest Catholicus licitè comedere in diebus prohibitis ab Ecclesia in locis Hæreticorum. Ratio est, quia Lex Ecclesiastica non obligat cum tanto detrimento, in casibus prædictis; Si vero Tirannus cogeret infirmum Catholicum carnes comedere in die veneris in contemptum Catholicæ fidei, potest etiam comedere protestando se, quod hoc facit pro necessitate ægritudinis, non autem in contemptum Catholicæ fidei, & si alios cibos haberet, potiùs debet mortem subire, quàm carnes comedere, quia debet servare potiùs integritatem fidei Catholicæ, quàm mortem timere.

 83 Con-

83 Conclusio 6. Ritus, & Ceremoniæ institutæ ad falsum cultum licitè non possunt a fidelibus, nec verè, nec simulatè usurpari: habetur in opere imperfecto D. Ioannis Crisostomi homil. 25. in Matthæum, ubi dictus Sanctus totum uno suo exemplo ibi adducto Conclusionem probat.

84 Inquit enim sic. *Siquis tibi dicat, non manduces idolomatum, sed aspice tantum idola, quomodo speciosa sunt; si aspexeris provocatus, oculis tuis negasti Christum; si autem non aspexeris, oculis tuis confessus est Christum. Ideò scriptum est, avertè oculos meos, ne videant vanitatem. Si verò quis dixerit tibi, volo ut aspicias idola, sed tantum ascultas, quomodo ille gentilis blasphemat Christum, ut glorificet Deos suos; si ascultaveris, auribus tuis Christum negasti. Si dixerit tibi, volo ut audias blasphemias Christi, sed ecce quomodo Incensum Dijs affertur, tantum ita, & accipe odorem incensi illius; si odoratus fueris, odoratu tuo Christum offensus es. Item si discurrit tibi, non manduca carnem dentibus tuis, tantum fingete de immolato manducare: si simulaveris sic, gustu tuo Christum negasti; si autem nolueris fingere, Christum confessus es: sicut Eleazarus in libro Machabeorum, qui carnes cervescas sub specie porcina noluit commedere: si dixerit nolo, ut fingas te, de immolato manducare, sed tantùm tange idolum manu tua, aut tene turribulum, si tetigeris, aut tenueris, tactu tuo Christum negasti.* Ratio a priori est, quia huiusmodi ritus, & ceremoniæ sunt determinatæ ad significandum cultum falsæ Religionis, & continent in se negationem veræ fidei, & sunt propriè negatio externa fidei, quæ essentialiter, cum sit intrinsecè mala, non potest ulla ratione cohonestari à fidelibus.

85 Vnde Paulus Apostolus 2. ad Corinthios 6. inquit fidelibus Christi: *nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ participatio lucis ad tenebras? aut Christi ad Beliam?* & eo magis patet, non esse licitum ad ritus infidelium accedere, exemplo D. Marcellini Pontificis, quem gravissimè peccasse, omnes fatentur scriptores;

ratio

ratio quare ipse graviter peccavit est, quia non est licitum dicere mendacium in re gravi, aut erubescere Christum, sicut ipse fecit, simulatè enim adoravit idola, & eis Thus præbuit; ergo hoc facere numquam licitum est fidelibus Christi.

86 Obijcies 1. Iehu Rex, ut in libro quarto Regum legitur, simulando obtulit Sacrificium Baal, & hoc, ut haberet occasionem occidendi omnes Sacerdotes idolatrorum, & tamen hoc factum fuit approbatum à Deo, cui Iehu dixit Deus: *studiosè egisti, quod rectum erat in oculis meis*, & de Naaman Syro legitur, quod ut satisfaceret Gentilibus, & precipuè Regi, finxit adorare in templo Remon, & tamen tale factum approbavit Eliseus Propheta: ergo, &c.

87 Respondeo, & dico: Iehu non evasisse ex tali actione sine peccato gravissimo, & si Deus eum laudavit, solum de nece Sacerdotum laudavit, non autem de fictione illa; est responsio Angelici Magistri. Naaman autem Syrus, non adoravit unquam Remon in Templo, sed solum politicè se gessit inserviendo ibi Regi, sic firmat Abulensis, lib. 4. Regum explicando cap. 5. quęst. 25. quod confirmat Azorius lib. 8. instit. moral. cap. 27. q. 5.

88 Instant adversarij. Licitum est fingere in alijs rebus, v.g. quis iuridicè non constitutus, nec interrogatus iuridicè, fingere potest mendacium dicere, saltem æquivocando; ergo etiam in rebus fidei licebit fingere.

89 Respondeo; nego consequentiam propter rei disparitatem; nam simulatio in verbis sensum æquivocum habere potest, & præcipuè in casu de non iuridicè constituto, nec taliter, nempè iuridicè interrogato: at adoratio Idolorum nullum sensum æquivocum habere potest, saltem externum, unde talem adorationem facere, vel cum infidelibus convenire, extrinsecè est Christum erubescere, & illum despicere, atquè negare, quod numquam fidelibus Catholicis licitum esse videtur.

90 Obijcies 2. Apostoli etiam post acceptum Spiritum Sanctum, ceremonias legales exercuerè, & se aliquando simulaverunt

verunt Iudæos; ergo licita est simulatio infidelitatis. Patet consequentia, quia illam non simulassent Apostoli, si non cognovissent esse licitam. Antecedens probatur sic: Actorum 16. habetur, sicut, & cap. 2. Discipuli suaserunt Paulo Apostolo, ut legalia observaret, quibus Paulus acquievit; intravit enim ipse Apostolus in templo purificatus, expletionem dierum annunciando purificationis, donec offeretur pro uno quoque eorum oblatio; & cap. 24. ipsemet Paulus dixit ad Præsidem, quod venerat in Ierusalem elemosynas facturus; ex quibus locis apertè constat, Apostolos, & inter alios Paulum in Doctorem gentium assumptum, multas ceremonias legis servasse, ne scandalum Iudæis præberet; ergo hoc erit etiam licitum Christianis in partibus infidelium facere, ad evitandam mortem, vel confusionem.

91 Respondeo, & dico: quòd legis opera fuere mortua, ex quo Christus mortuus fuit, & sua morte consumavit legem Moysis; sed non statim fuerè mortua opera legis, cum per aliquod tempus licita fuerint, non tamen ullo modo necessaria; & sic a principio Apostoli licitè faciebant aliqua opera legalia, quæ postea per decreta Conciliorum sunt abrogata, & ideò pro illo tempore Apostolorum erant aliqua permissa. Ratio autem huius permissionis habetur in Libro Conciliorum, ubi dicitur; quòd in principio primitivæ Ecclesiæ in Synodo 4. declaratum fuit, licitum esse conversis Iudæis, uti cum fide, & Sacramentis novi Testamenti, etiam Circumcisione, & ceremonijs, & sacrificijs veteris Testamenti, quamdiu templum, & sacrificia legis in Ierusalem stabant, non quia lex Evangelica non sufficeret, sed ut mater Synagoga paulatim cum honore seppelliretur, & non statim, ut impia, & mortifera, instar idolorum cultum, damnaretur, cum fuisset antiqua lex à Deo fundata, & tempore suo in remedium, & salutem Iudæorum data. Cum ergo Paulus ab Æmulis suis, velut destructor, & damnator legis esset vehementer, & falsè apud Ierosolymam infamatus, in uno Concilio Iacobus, & Paulus, atquè Seniores statuerunt, ex

Iu-

Iudaismo Conversos Legis ceremonias pro tempore illo non damnare, sed licitè conservari posse, dummodo spem salutis suæ in illas non collocarent, & sic manet solutum argumentum circa omnes suas partes.

92 Conclusio 7. Illa opera, quæ præscindendo a Lege Mosaica, vel a cultu Idolorum, habent alias utilitates, licitè fieri possunt a Christianis fidelibus Catholicis; dummodo non faciant ea, ut legalia, vel ut conducentia ad cultum Idolorum.

93 Ratio probativa huius conclusionis septimæ est; quia nec de iure humano, nec divino sunt illicita, immò quandoque virtuosa: e. g. vetitum est Iudæis in Lege antiqua comedere carnes porcinas; licitè modo potest Christianus se abstinere a commestione talis carnis porcinæ, vel causa suæ sanitatis, vel studio mortificationis, quando alias gula ad talem commestionem eum incitaret, nullo tamen habitu respectu ad antiquam Legem, sic se potest Christianus Catholicus abstinere a vino, quod Mahumetanis vetitum est; Si vero dentur aliqua opera, quæ nullam aliam utilitatem habeant, nisi præscriptam a lege, atque conducentia ad cultum institutum in ea Lege, cum iam cessaverit illa Lex, cessare debet; unde nunc sunt omnino illicita. Eiusmodi sunt sacrificia victimarum, & evenata antiqua; e. g. esus Agni Paschalis, Circumcisio, &c.

94 Conclusio 8. Potest fidelis Catholicus Romanus communicare cum infideli, sive subdito, sive non subdito Ecclesiæ in ijs ceremonijs, quæ purum finem politicum respiciunt v. g. in locis. in quibus Catholici possunt contrahere cum Hæreticis, potest fidelis matrimonium contrahere coram magistratu, vel quocumque ministro Hæretico, si magistratu non utitur ritibus, & minister se habeat solum, ut persona civilis, ut constet quinam sint veri coniuges. Debent tamen fideles, in hoc casu ante, vel postea contrhaere ritu Catholico.

95 Potest etiam fidelis honoris causa interesse convivijs Hæreticorum, & aliorum Infidelium, quæ fiunt ratione nuptiarum, dummodo se habeat, ut spectator tantum; immò potest esse

nuptia-

nuptiarum Patrinus, quem vocant pronubium, seù paraninphum, cum talis actio sit merè civilis, nisi aliàs suaderet minister, ut eos coniungeret; nam tunc participaret in ritu.

96 Potest etiam fidelis Catholicus comitari funus Hæretici, honoris causa, dummodo non participet in precibus, & ceremonijs. Non potest tamen esse Patrinus pueri baptizandi Hæreticorum more, vel ab Hæretico ministro, nec petere pro Puero Baptismum a Ministro hæret. quia hoc esset cooperare, & participare cum ritibus Hereticorum, cum Patrinus offerat Puerum baptizandum, & petat Baptismum ab ipso, & certum est, non posse peti Baptismum ab Hæretico, nisi in casu necessitatis extremæ.

97 Conclusio ultima. Si Rex Hæreticus præcipiat subditis suis, sive omnibus existentibus in suo Regno, ut pergant ad templa Hæreticorum, ibique precibus, & concionibus sint præsentes omnes sub pœna vitæ, aut bonorum confiscatione, non licet Catholicis hoc præceptum adimplere, nec obedire Regi, ut evadant mortis pœnam, aut bonorum suorum confiscationem.

98 Probatur ex constitutione Pauli V. quæ affertur a Suario, in proemio libri 6. de defensione fidei; ubi inter alia habetur: *Nihilominus zelo Pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna sollicitudine, qua de salute animarum vestrarum assiduè laboramus, cogimur monere vos, &c. ut nullo pacto ad Hæreticorum Templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum eis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis; non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis.*

99 Ratio est; quia licet ingressio templi Hæreticorum de se indifferens sit, in hijs tamen circumstantijs, propter præceptum, fit illicita eo modo, quo dictum est de Idolatris. Essent hic multa alia examinanda, sed quia Doctores de hac materia infinitas ferè quæstiones facere habent, idcirco relinquo hanc materiam de fide, ut ad alia promissa, Lectori benevolo, meipsum applicem.

SECTIO QVARTA.

De Scriptura Sacra, & eius sensibus.

TEtigi in antecedenti sectione pluries, quod Sacra Pagina habet plures sensus, & quia Articuli nostræ fidei Catholicæ partim ex Sacra Scriptura proveniunt, igitur in præsenti sectione, de Sacra Scriptura, & sensibus eiusdem breviter sermonem faciam. In qua quidem sectione plura a me considerabuntur. Primò versio, seù translatio. Secundò, sensus Scripturæ. Tertiò, an quilibet Scripturæ locus admittat sensum literalem. Quartò, an idem locus Scripturæ plures sensus admittat literales, quia de alijs non est dubium, & multa alia, Deo dante, dilucidabuntur, quare eius auxilium invoco, sit igitur.

SVBSECTIO I.

Sensus Sacræ Scripturæ traduntur.

1 ESset hic agendum, & examinandum, quinam libri Scripturæ Sacræ ponantur in Catalogo librorum Sacræ Scripturæ, qui verè partes Scripturæ Sacræ sunt, & verè libri canonici dicuntur, & non Apocriphi, at quia in sectione tertia antecedenti illos enumeravi, & a Concilio Tridentino sess. 4 approbati; illi tantum approbati fuere, prout etiam PP. illius Concilij firmarunt, per traditionem datam ab Eugenio Papa IV. in Concilio Florentino, ut legendum est apud Bartholomeum Caranzam in summa Conciliorum, qui quidem Pontifex Eugenius per traditionem accepit a Gelasio in Concilio Romano, ut habetur tom. 2. Conciliorum, in Decretis Gelasij circa finem, Gelasius accepit ab Augustino, Augustinus a Concilio Cartaginensi tertio. Patres illius Cartaginensis Concilij acceperunt ab Innocentio I. & cum tunc esset Ecclesia Catholica fere adhuc in infantia, ab illo tempore usque modo semper idem assertum est

ab Ecclesia. Libros autem Canonicos, & ut tales receptos, ut dixi, iam enumeravi in sect. 3. antecedenti, & claritatis maioris gratia hic iterum catalogum illorum referam.

2 In veteri Testamento est. *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Iudicum*. *Rut*, quatuor Libri *Regum*, duo *Paralipomenon*, duo *Esdra*, *Tobias*, *Iudith*, *Ester*, *Iob*, *Psalterium*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Cantica*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Quatuor* maiores *Propheta*, *Duodecim* minores, duo Libri *Machabaeorum*.

3 In novo vero Testamento, *quatuor Evangelia*, nempe *Ioannis*, *Marci*, *Luca*, *& Matthaei*, *Actus Apostolorum*, quatuordecim *Epistola D. Pauli*, tres *Epistola Ioannis*, duae *Petri*, una *Iacobi*, una *Iuda*, *& Apocalypsis Ioannis*, sed;

4 Dices, Tobias, Iudith, & Sapientia, Ecclesiasticus, & Machabaei non fuerunt in Iudęorum canone: ergo etiam a nostro debent excludi.

5 Respondeo, nego consequentiam, ratio enim quare apud nos isti Libri Canonici sunt, non est, quia apud Iudaeos, canonici habiti sunt, sed aliunde; Canon enim Iudaeorum consignatum fuit ab Esdra, vel illo saltem tempore, in quo quidem tempore Machabaeorum Libri scripti non erant; unde non mirum si in Canone Iudaeorum scripti non sint.

6 Quod si subdant, quod dicti Machabaeorum Libri etiam a Christianis a canone Christiano exclusi sunt. Respondeo, & dico, quod canon quomodo Christiani Catholici utuntur, non dum tempore illo consignatus erat, unde quinam essent canonici, vel non canonici ex libris Sacrae scripturae, nondum erat determinatum, res enim adhuc sub examine erat.

7 Quaenam autem sit legiptima versio Sacrae scripturae. Catholici communiter dicunt, esse vulgatam, qua fideles Romanae Ecclesiae a multis, & multis annis utuntur. Lutherani vero, & Calvinistae fere infinitas versiones habent, & sic quot sunt homines, tot inter ipsos sunt Religiones, sive, ut melius dicam, confusiones. Verum est, quod ipse Calvinus Phyala irae Dei

proiecta super aquas sapientiæ Christianæ, qua factæ sunt pro multis amaræ, sicut, & Lutherus, de novissimis verbis docendis in præfatione, inter tot versiones laudant vulgatam nostram, sive usitatam, quia aliæ confusionem mentis generant, & de hoc non miror, quia veritas Ecclesiæ Catholicæ, tamquam lucerna ardens abscondi non potest; ita ut non videatur etiam ab hominibus impijs, & pro vera ab eis fateatur, quoniam non potest abscondi civitas supra montem posita.

8 His positis, ad sensus Sacræ scripturæ devenio. D. Thomas Advocatus meus, & Protector 1. par. quæst. 1. artic. 10. duplicem sensum dat Sacræ scripturæ; litteralem, sive hystoricum, alium spirituale, sive Mysticum. Litteralis est ille; qui significatur immediatè per ipsa verba; sive sint propria verba, sive metaphorica. Mysticus econtra se habet, quia non significatur per verba, sed per significatum verborum; etenim verbum significat aliquid secundum litteram, & res significata per litteram, iterum aliquid, aliud significat, utpotè Mysterium.

9 Patet hoc ex verbis D. Pauli 1. ad Corinth. 10. dum de Isdraelitico Populo loquens Apostolus inquit, *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt, &c.* in his etenim verbis, uterque sensus, nempe litteralis, & Mysticus manet. Litteralis est, quod filij Isdrael de Ægipti captivitate omnes exierunt, mare rubrum transierunt, ambulaverunt sub nube, & mannam sibi de Cœlo datam comederunt in Deserto, & Aquam de petra biberunt extractam.

10 Mysticus vero est ille conceptus, qui non significatur per verba, sed per res ipsas verbis significatas; nam exitus filiorum Isdrael per Moysen de Ægypto, tamquam per eorum Ducem, significat exitum nostrum, sive generis humani ex servitute Diaboli, mediante Christo Duce nostro, tamquam per mediatorem, per mare rubrum transeundo, nempe per Baptismum, & eius San-

Sanguinem effusum. Per mannam Corpus Christi in Eucharistia; per aquam de petra, Sanguis Christi, quem nos potamus significatum venit; Christus namque vera Petra Ecclesiæ est, iuxta illud: *Petra autem erat Christus, &c.*

11 Sensus autem mysticus, dividitur a Theologis, & scripturalibus, in allegoricum, & anagogicum, & moralem, seu trapologicum, iuxta multiplicitatem virtutum theologicarum, nempe, fidei, spei, & charitatis. Allegoricus enim fidei correspondet, anagogicus spei; moralis, seù trapologicus charitati; nam allegoricus sensus est, quando v. g. ultra rem significatam per verbi, aliquid pertinens ad fidem significat, vel pertinens ad Ecclesiam militantem, ut patet in Abramo; qui secundum litteram, *duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de Libera*, nihil aliud significat preter sensum litteralem; at allegoricè Christum Dominum, qui duos Populos habuit; Iudaicum, & Gentilem, videlicet, primus natus ex synagoga, sencundus ex Ecclesia, iste sub Christi libertate, ille sub iugo Mosaicæ legis, ad Galatas 4. 22.

12 Anagogicus sensus vocatur illæ, quando videlicet verba scripturæ, præter sensum litteralem, significant aliquid pertinens ad æternam vitam, seu ad Ecclesiam triumphantem, quam speramus consequturos esse. Exemplum sit v. g. illud: David in psalmum 94. *quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam:* secundum literam certum est, quod intelligitur de terra promissionis in Palestina, respectu Populi Hebræi; at Anagogicè, de vita æterna sermo est, ubi vera, & perfecta felicitas, & requies iustus est habiturus. Sic D. Paulus ad Hebræos 4.

13 Sensus moralis; sive Trapologicus est, quando verba scripturæ ultra sensum Historicum, aliquid significant ad morum directionem pertinens, vel ad officia Charitatis; quare 25. Deuteronomij habetur, *non ligabis os Bovis triturantis in area fruges tuas*. Secundum literam, hæc scriptura intelligenda est de vero Bove materiali terente, aut trititante; at moraliter lo-

quendo

quendo, intelligenda est de Concionatoribus, qui non debent impediri, quo minus petant substentationem à Populo, nec deneganda est illis elemosyna consueta, quæ a Populo, vel a Particulari persona, &c. est mos dandi illis, aut est intelligendum de Pauperibus, qui à diviribus debent auxiliari: vel det filijs, & iuvenibus, qui debent toto conatu à Patribus, & Superioribus enutriri: ut habetur 1. ad Corinthios 9.

14 Quare ex quadruplici sensu Scripturæ Sacræ clarè apparet, quod omnes isti sensu, nempè literalis, Allegoricus, Anagogicus, & Moralis in ista verba *Ierusalem*, omnes continentur. Nam illa vox significat literaliter Vrbem Palestinæ, Allegoricæ, Ecclesiam militantem; Anagogicè Ecclesiam Triumphantem, moraliter hominis Animam rationalem in hac vita existentem, prout clarius habetur apud Apostolum ad Galatæ cap. 4. Vnde scripturales notant, quod iuxta numerum horum sensuum Scripturæ Sacræ, quatuor determinati sunt Ecclesiæ Doctores, utpotè, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, & *Gregorius*; quia isti in singulis sensibus Sacræ Literæ melius omnium aliorum expositorum explicarunt Scripturam Sacram; utpotè Hieronymus literaliter; Ambrosius, Allegoricè; Augustinus, Anagogicè; Gregorius moraliter, his explicatis fit.

SVBSECTIO II.

An quilibet locus Scripturæ habeat semper sensum literalem.

15 NEgativam sententiam tenet Lyranus prolog. 3. Postillator Bibliæ putat, quòd sint plura loca Scripturæ, quæ non habent sensum literale, nempè quando occurrit Parabola, sive Metaphora, v. g. ut patet Iudicum 9. n. 8. *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem*, & Matth. 5. n. 30. ubi habemus Metaphoram, *si manus tua scandalizat te, abscinde eam*, inquit enim Doctor, quod si ista loca sensum literalem acciperent, vel talis sensus esset falsus, vel absurdus; nam secundum

dum literalem sensum falsum est, quod ligna aliquando voluerint super se ungere regem; & absurdum esset, quòd oporteret sibi abscindere manum, quando manus esset causa peccandi; nam Deus non dedit nobis manus, sive membra ad peccandum, neque nobis licet mutilare nos ipsos, ut dicam infra, cum de Iustitia, & iure loquar; undè dicit Auctor, quòd sensus harum scripturarum debet esse mysticus, sivè spiritualis; undè, pro lignis viri Sichem intelliguntur, qui ad regem sibi eligendum convenerunt, &c. & per manum, intelligitur amicus, sivè proximus, ut alibi dictum est, qui scandali prebet occasionem, his tamen non obstantibus.

16 Dico; quod in omni loco Scripturæ reperitur sensus literalis. Ratio est, quia sensus literalis, ut supra dixi, ille est, qui verbis ipsis proximè significatur, sivè propriè, sivè Metaphoricè. Tanto magis, quando verba non sumuntur propriè, sed translativè, quia proximè significatur per verba metaphorica, ut si dicam: *Lupus habitabit cum Agno*: ubi hic Lupus, & Agnus non sumantur propriè, nempè, pro vero Lupo, & Agno; sed translativè, nempè, pro homine feroce, & mansueto; undè hic debet esse sensus literalis; hoc est, quando veniet Christus, tunc feroces homines habitabunt cum homine mansueto, nempè eamdem fidem, & Religionem Christianam habebunt. Quod idem dicendum est de sequentibus verbis, *si manus tua*, nam hic manus sumitur translativæ ad proximum, vel amicum significandum; undè idem est dicere, ac si amicus, vel proximus tuus, *scandalizat te, erue eum, abscinde eum abs te*, videlicet, relinque conversationem illius, &c.

17 Item advertendum est: quòd in parabolis, duæ sunt partes, una continet rem, quæ affertur in similitudine, altera continet applicationem, & tàm una, quàm alia continent in se sensum literalem; v. g. habemus Matthæi 13. & 33. *simile est Regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*, hic una pars factum mulieris continet, quod affertur in similitudine, & dicta verba

habent

habent sensum literalem, quem illa verba proximè significant; est autem hic sensus, mulier ex fermento, & farina massam præparat, ut panem conficiat. Altera pars continet applicationem, & secundum sensum literalem intelligi debet, de Regno Cœlorum, utpotè de Evangelio, & eius efficacia. Est autem hic sensus: quemadmodum fermentum illam vim habet, & virtutem, ut positum in farina, illam totam penetret, & maiorem faciat: sic Christi Evangelium tantam vim habet, & habuit, ut publicatum in Palestina, totum Orbem statim persuaserit, & Ecclesiam Catholicam ampliorem, quàm prius erat, reddiderit: Qui quidem sensus si ad verba, quibus proximè significantur literalis vocatur, si autem ad rem significatam in principio parabolæ, mysticus est; nam fermentum mysticè Evangelium significat, massa est Ecclesia, vel Mundus totus, in quo dictum Evangelium prædicatur; & id quod dico de ista Parabola, de omnibus alij parabolis dico. Hinc oriuntur plures quæstiones, quæ breviter dilucidandæ, ac definiendæ sunt, quare.

18 Quæres 1. An idem locus Sacræ Scripturæ possit habere plures sensus literales?

19 Affirmant multi cum D. Augustino lib. 12. confess. c. 30. & 31. & cum D. Thoma par. 1. quæst. 1. art. 10. & ratio est, quia Deus unico verbo mentali ob sui fæcunditatem exprimit infinita: igitur etiam verbo scripto potest plura significare, quando verba scripta, aut ore prolata sint nota eorum, quæ in interno conceptu reperiuntur; unde habemus, quod hoc nomen, *manna*, non tantum Eucharistiam significat, verum etiam, *nomen Dei*, ut habetur 1. Corinth. 10. & Sapientiæ 16. fit exemplum in Psalm. 2. & 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te:* & Isaiæ cap. 53. *generationem eius quis enarrabit?* In loco Psalmi citati sensus litteralis illorum verborum est de externa generatione Christi, & de resurrectione; locus vero Isaiæ similiter duplicem sensum facit litteralem; nempe unum de generatione æterna Christi, alterum de generatione temporali eiusdem

dem, ut videre est apud Sanctos Patres, unde S. Leo Papa sermone 3. in Nativ. Dom. cap. 2. idem affirmat.

20 Quæres 2. Quando loca veteris Testamenti, sive scriptura vetus, ab Apostolis, & a Christo in Evangelio citantur, nempe testimonia Moysis, & Prophetarum, citantur ne in sensu litterali, aut in sensu mystico.

21 Respondeo quæsiti, & dico, quod aliquæ scripturæ citantur in sensu litterali, & aliquæ in sensu mystico; de primis habemus exemplum apud Evangelistam Matthæum 19. citans illud Genes. 1. num 27. *masculum, & fæminam fecit eos*, & Actor. 3. num. 25. citatur illud aliud Genes. 12. 3. *in semine tuo benedicentur omnes gentes*, hæc in sensu litterali significant id, & non aliud, quam quod verba illa proxime significare habent, nempe rem ipsam per illa verba significatam; de sensu vero mystico habemus exemplum Genesis 21. citato a D. Paulo ad Galatas 4. num. 30. *Ejce Ancillam, & filium eius. Non enim erit hæres filius Ancillæ, cum filio Liberæ.* Hoc secundum litteram de Agar intelligitur, quæ Ancilla Abrahæ erat, & de filio eius Ismaele, quare Apostolus loco citato in sensu mystico, de synagoga intelligit, nam quod in veteri Testamento, secundum litteram scriptum est, Abraham habuisse Ancillam unam, quæ Agar vocabatur, & unam liberam, quæ erat Sarra; in hoc significatum est Christum habuisse synagogam tamquam ancillam, & suam Ecclesiam tamquam liberam, quare sicuti habetur, quod in veteri Testamento Agar cum filio suo fuit eiecta, & repudiata: Sarra vero mansisit cum filio suo cum Abramo; mistice hoc significat synagogam Iudæorum repudiatam, & non amplius vigere, nec a Deo dilectam esse. Ecclesiam autem Christi permanere una cum filijs suis cum Abramo, nempe cum Christo, sunt infinita exempla in scripturis, & apud expositores elucidata manet.

22 Ad maiorem claritatem, alicuius quæstionis, quæ solet fieri in Theologia, an, & quare Christus Salvator dicatur respectu totius mundi; ego scio certè, quod non omnes homines

nes

nes huius Mundi salvantur; immo, secundum multos Doctores, est maior numerus eorum, qui descendunt ad tenebras, quàm eorum, qui ad eternam lucem ascendunt. Verum tamen est, quod vocatur Salvator mundi, quia venit omnes salvos facere, quantum in se erat, ut dixi in meis quæstionibus selectis ex prima parte D. Thomæ, cum de prædestinatione, nec non in materia de gratia, quia Deus Christus, quantum in se est, semper efficaciter pro hominibus operatus est, contra id, quod dicit S. Vincentius Ferrerius sermone 1. Verum est, quòd D. Paulus ad Thim. 11. inquit: *Vnus est mediator Dei, & hominum, Christus Iesus, qui dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus*; & sic Christus venit efficaciter dare animam suam pro omnibus. Quod si postea talis efficacia meritorum Christi in omnibus effectum non habuit; non fuit defectu Passionis Christi, sed hominum voluntatis aliquorum. Do exemplum, sit v. g. Ioannes, qui pietate motus solvit pæcuniam pro iusto pretio Redemptionis omnium Captivorum existentium Tuneti, ad hoc ut omnes a tali captivitate liberentur, & tamen non obstante dicta solutione facta a Ioanne, sunt aliqui qui nolunt liberari a tali schiavitudine, sed ibi voluntariè volunt in illa permanere; ergo Ioanne efficaciter pro omnibus non operatus est? Absit hoc a mente hominum, quia pro omnibus indifferenter pretium iustum solutum est, ergo efficaciter pro omnibus: si aliqui noluerè liberari, sua culpa est, non defectus Ioannis.

23 Ita a pari, Christus pro omnibus efficaciter mortuus est, quantum ex parte sua erat, quod si postea efficacia mortis Christi non cecidit super omnes homines, non Christi culpa fuit, aliàs fuisset acceptor hominum, sed hominum illorum damnatorum, & eorum, qui damnantur, & damnabuntur culpa fuit, est, & erit, quia tanto beneficio noluerunt uti, quod idem dicendum est de efficacia Sacramentorum contra Calvinistas, & Lutheranos. Et considera etiam, Lector amice, in cap. 10. Ioannis, Celebrabatur templi renovatio facta à Iuda Machabæo, eo quod ab Anthioco prophanatum fuisset, unde

dicitur loco citato; *facta sunt Encænia, & venit Ierosolymam Iesus*, & iste est sensus Historicus, seu literalis: at mysticus est, si consideremus Iesu Christi gaudium, videndo renovationem, sive purgationem templi sui iam per peccatum prophanati; undè caveant Reges, qui non corrigunt mores in regnis suis, & libertatem vivendi permittunt, ac sine correctione vitiorum permictunt Animas de saltu in saltum ad precipitium currere; econtra verò, felices vocari possunt Principes, aut Reges illi, qui Ecclesiam Dei honorant, & mysticum Dei templum, nempè Animam subditorum suorum bono exemplo, & iustitia petunt, & laborant, ut illum à vitijs purgent, & de virtute in virtute illas currere faciant, tunc Deus ad Animas illas accedit, ut Encænias videat, & gaudeat de ove deperdita, reacquisita.

24 Vide quæso, benevole Lector, & bene considera Matrem Filiorum Zebedei, & Filios suos allegoricè loquentes ad Christum, *dic, ut hij duo filij mei sedeant unus ad dexteram, & alius ad sinistram in Regno tuo*, adorant Christum inquam, tunc petendo talia, in omnibus se subijciunt, ut eam adipiscantur, & quærunt sedere à destris exultando in prosperis, & nolunt sedere a sinistris, persecutiones, & adversitates patienter tolerando; undè a Domino Iesu Christo redarguuntur, quod nesciunt quid petant, quia in gloria sæculi non est vera salus, & ipsam quærentes, ut plurimum quærunt ruinam Corporis, & ferè semper Animæ, sed veram gloriam quærentes, bibant, Calicem tribulationum, Christum immitantes; quando, decem qui in numero sunt perfecto, indignantur de duobus, &c. Tropologicè verò in isto loco instruimur ex Sacro Evangelio, ambitionem, & iactantiam fugere, & patienter Calicem acerbitatum bibere, & non indignari fratribus inferioribus, sed charitativè eos admonere, & pro eis, quatenus expediat, Animam ponere Christi exemplo. Si verò Anagogicè sumamus Evangelij huius factum, elevamur in contemplationem Cœlestis patriæ, in qua electi regnabunt cum Christo, sedentes super Tronos,

& di-

& dispositum Regnum à Christo, & patre possidebunt, edentes, & bibentes, super mensam suam, ut qui bibendo Calicem eius Passionis eidem conformati sunt in vita, post mortem participes efficiantur Calicis gloriæ eius, fugatis omnibus indignationibus, quia omnes sua beatitudine contenti, ac satij erunt, omnes inter se fratres erunt, & omnes Filij Dei vocabuntur, qui est benedictus in secula.

25 Verum est, quod sensus literalis de quo iam locutus sum, semper est obscurus, & hoc ex duplici capite provenit; primò ex ijs quæ in scriptura tractantur, secundò ex modo, quo illæ res tractantur, de quibus rebus esset componendum volumen integrum, quia multa comprehendunt fidei Mysteria, atquè adeò cum nostram copacitatem superent, hac de re hic punctum facio.

SECTIO QVINTA.

De Vitijs oppositis fidei virtuti.

1 NOlebam hanc materiam tangere, quia satis notum est infidelitatis vitium in mundum, & præcipuè in sæculo præsenti, at rogatus à quodam fideli Catholico, & amico meo ex corde, nolui totaliter absque examine hanc materiam relinquere. Tractat Angelicus Doctor hanc materiam hic q.10.art.3. ego autem hic brevitate, qua potero, per duas subsectiones totum negotium absolvam, itaque sit.

SVBSECTIO I.

De infidelitate, quæ reperitur in non baptizatis.

2 INfidelitas in non baptizatis dividitur in Paganismum, & Iudaismum. Paganismus comprehendit omnes infideles, qui nec baptizati sunt, nec ritibus Mosaicis utuntur; undè no-

mine Paganorum veniunt, non solum Idolatræ, sed etiam Mahumetani. Dicuntur enim Pagani ex antiquorum usu, non eo quia solum isti in Pagis denegant, aut incolę sint Pagorum, quia etiam de istis militiæ inserviunt, sed, ut dixi, ex usu hominum hoc nomen sortiti sunt, quarè etiam Gentiles Pagani vocantur à Iudæis, eo quod sui cultus non sunt. Vocantur Pagani etiam *Ethæi*, sive *Ethaici* à nomine Greco *Ethæos*, quod gentes significat, sed modò usu receptum est, quòd hæc tria nomina *Paganus*, *Ethnicus*, *Gentilis*, denotent esse extraneos à Moysis, & Christi Lege. Iudaismus solum continet illos, qui utuntur ritibus à Moyse traditis. Quare circa omnes istas occurrunt aliqua dubia, pro quibus solvendis diversas Conclusiones ponam.

3 Conclusio 1. Infidelitas purè negativa potest esse sine peccato mortali. Tenet Angelicus Magister par. 1. quæst. 10. articulo 1.

4 Probat S. Magister ex illo Ioannis 19. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*: sed peccatum infidelitatis, ut interpetratur Augustinus tract. 89. in Ioannem dicens: *Numquid sine peccato erant Iudæi, antequam Christus ad eos in carne veniret? quis hoc vel stultissimus dixerit, sed magnum quoddam peccatum, non esse peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi; hoc est, non peccatum, quo sensu? quo cuncta peccata? quod unusquisque si non habet, diminuuntur ei cuncta peccata, hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, ut credatur in eum.*

5 Probo modo ratione: ignorantia invincibilis excusat a peccato: atqui in infidelibus potest dari ignorantia invincibilis; ergo infideles possunt per infidelitatem negativam excusari a peccato. Probo minorem; nam potest quis infidelis ignorare divinas revelationes, numquam audisse doctrinam fidei, neque de illa cogitasse: sed in tali casu haberet ignorantiam invincibilem; ergo, &c. Probo maiorem experientia, sunt multæ mundi partes, in quibus numquam fuit prædicatum Evangelium, ut sup-

pono, & esto, quod ibi aliquando prædicatum fuerit, ita ivit in oblivionem, quod sit, ac si numquam ibi disseminatum esset: ergo, &c,

6 Obijcies ex D. Paulo ad Romanos 10. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; ergo ubique prædicatum est Evangelium, atque adeo non datur ignorantia invincibilis in infidelibus.

7 Respondeo, quod ly, *In omnem terram, &c.* intelligit partes principales orbis, non tamen totum orbem terrarum, comprehendendo singulas partes illius, & sic intelligendus est Apostolus, sicuti etiam habetur apud Lucam Evangelistam 2. *Exiij edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*: esto quod Apostoli fuerint in omnes partes orbis terrarum: tamen hodie potest esse, ut in aliquibus partibus Evangelium Dei ita sit in oblivionem redactum, ut de illo non sit amplius memoria, atque adeo ibi dabitur ignorantia invincibilis fidei Christi, & per consequens infidelitas negativa sine peccato.

8 Obijcies 2. S. Augustinus de gratia, & libero arbitrio cap. 30. D. Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 5. & 6. apud Hugo disputat. 19. sect. 1. cap. 16. &c. dicunt ubique Spiritum Sanctum lumine fidei pervenisse, & tale lumen nulli negatum fuisse: ergo, &c.

9 Respondeo, quod dicti Patres, nempe Augustinus, & Prosper intelligunt, quod etiam ignorantia invincibilis Mysteriorum fidei non excusat eos a peccatis alijs, quæ solent committi: nam naturali dictamine homo multa lumine naturæ cognoscit, contra quæ agere malum est, & ex se merentur pœnam; quare dixit Augustinus, quod infidelis propter scelera perperata torquebitur igne sempiterno; nec excusabitur illum non habuisse fidem, nec audivisse Evangelium, nec Concionatores Evangelij Christi Domini: unde nec Sanctus Augustinus, neque Sanctus Prosper faciunt contra meam conclusionem, & sic nego totum argumentum meorum adversariorum, atque ita respondendum est ad cœtera argumenta, quæ in hac materia contra me fieri possunt.

10 Conclusio 2. Ecclesia Catholica habet ius predicandi Evangelium omnibus infidelibus, itaut eius Concionatores non possint impediri a quocumque, prout constat ex ipsomet Evangelio Christi, *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, &c.* & alijs pluribus in locis.

11 Probo ratione exemplari, Princeps, aut Rex mittens Legatum suum ad aliquod munus obeundum, eo ipso constituit eum independentem ab omni alio, cum auctoritate etiam coercendi volentes eum impedire ab illo munere obeundo: atqui Christus est Princeps supremus, habens omnimodam potestatem in omnes homines; ergo mittens Apostolos, & eorum successores, quales sunt Prædicatores Evangelici in mundum universum, ad prædicandum Evangelium, dedit eis potestatem independentem ab omni alio, & authoritatem coercendi volentes eos impedire abhoc munere; ergo Ecclesia Catholica habet ius prædicandi Evangelium in omnibus partibus mundi terreni, tàm fidelibus, quàm infidelibus, itaut eius Concionatores impediri non possunt; Maior patet, aliâs frustratoria esset illa legatio: minor est certissima, & habetur Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; quæ verba intelligenda sunt de Christo Domino nostro, prout sentire habent omnes interpetres, & ita illa intellexere Apostoli, Act. 4. & D. Hieronymus apud Lerinum in argumento eiusdem Psalmi. Consequentia sequitur: ergo, &c. & verè necessaria erat huiusmodi potestas in Ecclesia Catholica, cum fides necessaria sit omnibus ad salutem, debebat in eadem Ecclesia residere ius instruendi omnes circa fidem, ut omnibus aperiretur via ad hunc finem obtinendum.

12 Conclusio 3. datur triplex ius in Ecclesia Catholica Romana, utpote ius prædicandi Evangelium Iesu Christi; ius mittendi Concionatores, ius coercendi volentes impedire prædictam prædicationem. Ius prædicandi ex officio competit solis

Pastoribus, & ab ipsis delegatis, non debet enim quisque indifferenter officium prædicandi sibi usurpare, ut habetur ex cap. ex inverso de Hæreticis, privatè tamen potest quilibet fidelis eruditus, data sibi commoda occasione, infideles instruere in rebus fidei, & ad veram noticiam illius illos adducere. Ius mittendi Prædicatores in universum ad summum Pontificem spectat, cui commissa est a Christo cura Ecclesiæ Catholicæ universalis, Episcopi, & viri prelatis intra terminos propriæ iurisdictionis; hoc tamen quando non potest haberi recursum ad Sanctam sedem, quoniam si tempus adest, debet ad illam Episcopus, &c. recursum facere, & ab ipso authoritatem debitam obtinere, quia suum ius altum est, & illi est a Christo commissum, tamquam omnium Capiti.

13 Conclusio 4. Princeps sæcularis potest cogere suos subditos infideles ad audiendam doctrinam fidei, non tamen potest cogere infideles non subditos suos. Tenent multi ex modernis.

14 Probo conclusionem, quoad primam partem, cum duas partes habeat. Præceptum subditis impositum de fide audienda non excedit potestatem Principis loci; ergo potest Princeps illud imponere. Probo antecedens, quia hoc præceptum non includit aliquod superuaturale, sed solum aliquod supernaturale honestum, & ordinatum ad laicalem politicam, & charitatem, ut videlicet nemo conquæri possit ex suis subditis, quod cognitionem veræ fidei non potuit clarè habere; nam legem ignorare, nemini licet l. regul. cum princip. de iur. & facti ignorantia, & l. leges C. de legib., & ubi habetur casus legis nulla relinquitur dubitatio de eius observantia l. ancillæ C. de furt. &c. quanto magis de divina lege dicendum est, quod omnibus debeat fieri nota; tanto magis, quod hoc non excedit authoritatem Principis, immò dicerem, quod debitum principis sit, hoc facere, cum ipsi rationem Deo reddere debeant de Animabus subditorum suorum, hoc est enim talentum a Deo sibi datum, ut ponant ad mensam salutis, si enim ad ipsos aliorum Principum legatos

gatos recipere spectat, quanto magis legatas Christi, & Dei spectabit recipere, illos favere, & protegere, & facere, ut suas missiones, & causam suæ missionis ab omnibus suis subditis, ut subditi etiam Dei audiantur, & ex parte Dei illis annuncientur; ergo, &c.

15 Probatur secunda pars conclusionis: coactio quomodocumque sumatur, & a quocumque proveniat, ordinariè loquendo, secundum modernos scriptores, debet provenire ab habente authoritatem in coortante, atqui Princeps nullam habet auctoritatem in suum non subditum; ergo illum non potest coortare, ut pergat ad audiendas conciones, & instructiones in fide Catholica factas, sive faciendas a Prædicatoribus Catholicis, & a Magistris Catholicæ fidei. Probo maiorem, omnis coactio inferre habet aliquod incommodum illi, cui infertur coactio; ergo ad hoc ut sit licita coactio, debet aliquo extrinseco cohonestari, sed non potest dari in casu proposito alius titulus, nisi superioritas; ergo coactio petit necessariò in cogentem dominium in eum, cui fit coactio, atqui in non suum subditum Princeps nullam habet iurisdictionem; ergo, &c. non potest Princeps cogere suum non subditum, pergere ad conciones, sive ad Magistros fidei, ut ea, quæ fidei Catholicæ sunt ab eo adiscantur.

16 Obijcies contra primam partem conclusionis. Christus dedit Ecclesiæ suæ ius prædicandi Evangelium omnibus hominibus, verum est; at Princeps Christianus Catholicus non potest cogere infideles sibi subditos ad fidem recipiendam; ergo neque ad illam audiendam. Probo consequentiam: auditio fidei non est amabilis, nisi ut medium conducens ad ipsam fidem recipiendam; ergo si non potest Princeps suos subditos ad fidem recipiendam cogere; ergo neque cogere potest ad illam audiendam. Probant antecedens adversarij, auditio fidei est amabilis propter aliquam honestatem, atqui in auditione fidei non est alia honestas, nisi ipsius fidei honestas, quæ per ipsam auditionem recipitur; ergo auditio fidei non est amabilis, nisi ut medium conducens ad ipsam fidem.

17 Respondeo, negando consequentiam, & antecedens probationis, ad cuius probationem antecedentis, nego maiorem, honestum est legatos Principis, sive Regis audire, quamvis non velimus facere, quod ipse petit, immò quando illorum petitio non esset honesta; cum aliud sit facere, & aliud audire quid faciendum audienda esset. Deus quidem quando mittit legatos ad Evangelium suum pubblicandum, non habet alium finem, nisi ipsam fidei cognitionem, cum per hoc etiam præcipiat eiusdem fidei auditionem: sed Principes, sive Rex sæcularis potest habere alium finem in ipsa auditione, præter fidei receptionem, quamvis non hic, & nuuc auditio fidei non esset medium ad fidem percipiendam, adhuc si præciperetur a Principe, propter peculiarem honestatem, ut a simili videmus in ieiunio, quod præcipitur, tàm a Lege divina, quàm humana, ut medium ad observandam castitatem præceptam, & tamen licet nunc præcipiatur ab Ecclesia, licet hic, & nunc non sint superandæ tentationes contra præceptum castitatis, habet enim ieiunium peculiarem honestatem, quæ est virtus temperantiæ.

18 Obijcies contra secundam partem. Christus dedit Ecclesiæ ius prædicandi Evangelium omnibus hominibus; ergo etiam dedit potestatem ipsos cogendi ad fidem Catholicam Romanam audiendam per cauctionem factam infidelibus non subditis Principis cogentis illos. Probo consequentiam, quia antecedens est plusquam verum, ut patet ex dictis, & etiam ex verbis Christi prout in Evangelio, quia sine auditoribus non potest fieri prædicatio, etenim fideles iam instructi non indigent instructione; ergo instruendi infideles ad sanctam scolam vocandi sunt. Tanto magis, quod concesso uno correlativo, conceditur necessario alterum, aliàs non essent correlativa. Tum quia concessa iurisdictione, videtur concedi totum id, quod est necessarium ad talem iurisdictionem exercendam; sed concionatores fidei in non subditos Principis, aut Regis, non possunt suam iurisdictionem exercere, nisi ipsi ab ipsomet Principe cogantur ad conciones fidei audiendas, etiam si illius subditi non sint; ergo illos

cogere potest, quia cum sint filij Ecclesiæ in iure Ecclesię locum habent, quæ est difficultas non tacta ab adversarijs; contra me, sed a meipso contra meam conclusionem.

19 Respondeo, nego consequentiam, non enim ex eo, quod missi sunt Apostoli ad prædicandum, sequitur datam fuisse illi facultatem cogendi auditores, sed satisfaciunt suo muneri prædinando, vel se offerendo ad prædicandum, si alij velint audire eos, quod est correlativum, & id sine quo non potest exerceri munus prædicandi, seù prædicationis, at hæc responsio, cùm non sit mea, sed alicuius mei carissimi olim amici, modo demortui.

20 Respondeo ego, & dico totum verum esse, quod Apostoli habuerunt ius, & successores illorum ab Ecclesia, nempe a Christo, *Ite in universum mundum, &c.* & consequenter habuere præceptum prædicandi, & cogendi infideles, ut prædicationem fidei audirent, nam *erant Principes super omnem terram*; sed difficultas est de Principe sæculari, an suos non subditos possit ad auditionem prædicationis fidei cum ipsi data non sit talis authoritas a Deo; sed puto, quod si Pontifex cui respectu fidei omnia subiecta sunt, talem auctoritatem illi daret, posset, & tunc illa coactio esset cohonestata, ab obedientia iuxta præstita ab ipso Principe, aut Rege Summo Pontifici Romano, cui dictum fuit, nempe Petro, & suis successoribus: *Constitui te Principem super omnem terram:* do exemplum de Rege illo Evangelico, *qui fecit cœnam magnam, & vocavit multos*, & cum noluissent venire invitati, *misit servos suos, per vias, &c. civitatis*, ut alias ducerent, & compellerent intrare ad cœnam illam; cœna est verbum Dei, Rex est Christus, Principes sunt eius servi, Christus invitat omnes, multi noluerunt venire; ergo debent compelli, &c. unde, ego cum hoc fundamento,

21 Dico, quod sententia probabilis est, quod Princeps etiam non suos subditos infideles, dum sunt in suo dominio, possit eos cogere, ut pergant ad auditiones prædicationis fidei, neque meo videri res est sine fundamento stante exemplo allato, quia

in rebus salutis Animæ omnes tenemur ex iustitiam salutem proximi quærere, iuxta illud, *quod tibi vis, alteri facias, & quod tibi non vis, alteri ne facias*, tanto magis Princeps, qui tenetur reddere rationem de animabus sibi quocumque modo concreditis.

22 Conclusio 5. Nullo iure infideles, sive sint subditi Principis; sive non, cogi possunt ad fidem Catholicam recipiendam. Defendit Angelicus Doctor q. 10. art. 8.

23 Probo conclusionem; ius permittens huiusmodi coactionem, vel est ius positivum humanum, vel positivum divinum, aut ius naturale; atqui omnia ista iura potius huiusmodi coactionem prohibent, quàm permittant; ergo nullo iure Principi, Reipublicæ, aut Regi licitum est cogere infideles ad fidem Catholicam recipiendam; maior est certa, minorem probo; ius canonicum prohibet huiusmodi coactionem in c. qui sincera dist. 45. his verbis. *Qui sincera intentione extraneos a Christiana Religione ad fidem rectam cupiunt inducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere; ne quorum mente reddita ad planum, ratio poterat revocare, pellat procul asperitas, nam quicumque aliter agit, & eos sub hoc velamine a consueta ritus sui velint cultura suspendere, suos illi magis, quàm sui causas probantur attendere.* Idem proibuit Concilium Toletanum ut habetur in c. de Iudæis, eadem distinctione, & ego firmavi in meo Commentario in secundum librum Institutionis canonicæ, cum de Baptismo locutus sum, an liceat videlicet filios infidelium invitis parentibus baptizare, ius civile idem proibet l. Christianis c. de Paganis. Ius divinum etiam hoc prohibere habet, ut apparet Corinth. 2. ubi Apostolus inquit, *quid de his, qui foris sunt? nam eos Deus iudicabit:* ubi apertè significatur, Deum sibi reservasse iudicium de illis, & non dedisse hanc authoritatem Ecclesiæ; ius autem naturale non admittit vim coactivam, nisi in superiore erga subditum, in quem habet iurisdictionem; atqui Princeps non habet iurisdictionem in infideles, neque Ecclesia, & multo minus Princeps laicus, quantum ad fidem; ergo nullo modo cogendi

funt, vel cogi pofsunt infideles ad fidem Catholicam Dei capiendam.

24 Hinc mirandum tamen non eſt, quod aliqui Principes coactè reduxerint, vi armorum, multos in ſuis dominijs ad abiurandum hæreſim, & tamen in ſuo dominio habent viros litteratiſſimos in utroque iure, & theologia; unde aliquo fundamento rationabili, puto, quod multi ſint, propterea dixi ſupra in hac ſubſectione num. 21. quod contraria ſententia probabilis eſt, tenentur enim Principes, & Reges Zizaniam de medio tritici evellere, & morbidam pecus de ovile extraere, ne totum ovile corrumpat, Lex enim Moſaicam proibebat in ſabato curare, & Chriſtus Princeps ſupremus curabat, quia ita charitas die ſabati erat enim ipſe charitas ipſa, unde, non eſt mirandum, ſi ad fugandum maius malum, nempe corruptionem totius gregis, poſſint Principes minus malum eligere; ut habetur c. duo 13. diſt. l. quoties. De regulis iuris, quoniam minus malum comparatum ad maius habet rationem boni c. iuravit 22. diſtinct. quæſt. 4. l. abſentem, de pœnis, & tenet etiam Ariſtoteles in 2. niſallor Ethic. nam tunc minus malum non habet rationem amplius mali, ſed boni, quare ſi hoc faciunt aliqui principes laudandi ſunt non cenſurandi.

25 Obijcies; exempla principum, qui coegerunt infideles ſibi ſubditos ad fidem recipiendam, & punierunt illos, qui noluerunt illam recipere, ut fuit factum aliquando in Hyſpania erga Iudæos, cogendo illos ad Baptiſmum, & ſimiliter Ferdiandus V. expellens Iudæos e regno ſuo, nolentes Baptiſmum ſuſcipere, & Phylippus III. expellendo ex Hyſpaniano Regno Saracenos, qui noluere fidem Chriſtianam ſuſcipere. Credo exemplo ipſius Chriſti, qui coegit Saulum, debrent ſufficere, & modo noſtris in his temporibus Rex Galliæ, qui coegit Vgonotos, ſive Lutheranos, & Calviniſtas abiurare hæreſim; ergo, &c. alij etiam Principes infideles cogere poſſunt ad fidem Catholicam Chriſti ſuſcipendam.

26 Respondeo, primum factum sequutum in Hispania fuisse improbatum a Concilio Toletano in c. de Iudæis dist. 45. cum ibi statutum fuerit, quod in posterum non cogerentur, statutum tamen fuit etiam, quod qui baptizati fuerant, cogerentur manere in fide Christiana suscepta, quia iam facti erant subditi Ecclesiæ, & in eos Ecclesia Catholica habebat iurisdictionem. Ferdinandus Hispaniarum Rex directè non coegit infideles ad fidem, sed noluit infideles in suo Regno, sicuti etiam Phylippus III. ad exemplum Christi dico, quod est dispar ratio, quia Christus habet potestatem, non solum in corpora, sed etiam in animas, & potest cogere homines ad fidem suscipiendam, ut fuit quando dixit Matheæo sedenti in telonio, *sequere me*, nihilominus non coegit Saulum ad fidem recipiendam, sed suasit gratia sua, mittens illum ad Ananiam, a quo instruendus erat: verum est, quod non est sermo hic de quacunque coactione, sed solum de illa, quæ fit per vim pœnarum; nam illa coactio, quæ fit persuasionibus, & miraculis Dei gratia, aut concionibus non solum est licita, sed necessaria, ad hoc ut intellectus convincatur, & voluntas removeatur.

27 Obijcies 2. adsunt leges latæ ab Imperatoribus contra Paganos, & Idolatras, ut sunt l. nequis, nemo ea, nemo venerandi, & aliæ multæ c. de Paganis in quibus multæ pœnæ etiam mortis comminantur attentantibus instaurare sacrificia idolorum, vel continuare in eorum cultu; ergo Principes potuerunt cogere infideles ad fidem recipiendam, cum huiusmudi leges postea laudatæ fuerint a Concilijs; & de facto Concilium Cartaginense V. petijt ab Imperatoribus, Arcadio, & Honorio, ut reliquiæ idolatriæ delerentur, sicuti fecerunt dicti Imperatores, anno 399. item leges latæ contra Hæreticos, illos cogentes ad fidem Catholicam servandæ sunt; ergo principes possunt cogere infideles ad fidem Catholicam recipiendam.

28 Respondeo, & dico, quod arguens est extra viam, nam non abducit leges secundum factum, de quo agitatur quæstio, sed in casu diverso, non enim faciunt ad rem. Aliud est enim

cultum

cultum falsum prohibere, & falsam religionem; & aliud est inducere coactè ad cultum Catholicum infideles, sine ullo dubio Princeps Catholicus potest facere primum, immò tenetur facere, ne exemplo malorum, alij mali fiant, nam qui tangit picem, sæpe inquinatur ab ea, non tamen potest iuridicè facere secundum, nam colere Dæmonia, & alias creaturas est contra legem naturalem, & rectæ rationis dictamen, & in hoc habent Principes sæculares directam iurisdictionem in suos subditos infideles; immò in suos non subditos, dum moram trahunt in suo dominio; undè bene potuerunt Imperatores contra idolatras leges pœnales etiam mortis, &c. non tamen ulla illarum legum coegit illos infideles, & idolatras ad Catholicam fidem recipiendam. De Hæreticis est alia ratio, cum enim satis sint per Baptismum subditi Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, potest Ecclesia, vel per se, vel per alium, nempe per Principes laicos illos cogere, non solum ad conservandam fidem, quàm susceperunt, sed ad perfectè servandam, & ab hæresi recedendam; unde non sine fundamento Rex Galliæ contra Vgonotos bellum, ut ita dicam, Paternum, fecit, Hæreticorum templa destruendo, & eos ad sanctam fidem Catholicam reducendo, eo modo, quo fecit, tamquam primogenitus filius Ecclesiæ Romanæ, etenim filius per legem naturæ, & ex lege charitatis iura matris tenetur defendere.

29 Obijcies 3. potest Princeps sæcularis cogere subditos suos ad præstandam obedientiam suis superioribus, quibus sunt de iure obligati, v. g. filios ad præstandam obedientiam parentibus suis, servos domino suo, religiosos suis superioribus, presbiteros suo prelato, quia Principes sunt manutensores legum, sed omnes proposita sibi fide tenentur præbere assensum, & illam recipere obediendo Deo; ergo Princeps sæcularis tenetur, vel saltem cogere potest infideles ad fidem suscipiendam.

30 Respondeo, negando consequentiam: nam est multa disparitas de coactione circa obedientiam filiorum erga parentes, sive genitores, & de obedientia debita ab hominibus Deo ra-

tione

tione fidei; cum hæc sit omnino supernaturalis, & extra sphæram potestatis sæcularis, illa vero merè naturalis, spectans ad gubernium civilem reipublicæ humanæ, in ordine ad quam, potest Princeps sæcularis suos subditos infideles cogere ad relinquendos errores, qui sunt contra legem naturæ, & ad observantiam omnium legum civilium, & ad quarum observantiam tenentur sui subditi fideles.

31 Sed hæc responsio, etiam si sit gravissimorum doctorum, non mihi arridet: obedientiam parentibus exhibere, & illos honorare, non solum est de lege naturali, sed divina, atque adeo supernaturalis, non minus, ac præceptum, *Vnum cole Deum, & illi crede*, sed potest Princeps sæcularis cogere subditos suos ad præstandam obedientiam parentibus; quia a Deo hoc præcipitur; ergo ad accipiendam fidem Catholicam infidelibus suis subditis præcipere potest, vel saltem, ut pergant ad conciones fidei, ut inde illuminentur, & fideles fiant; respondent ipsi, & ego, meum sensum dicam.

32 Verum est, quod cum fides debeat voluntariè recipi, non possunt Principes sæculares cogere suos subditos infideles, aliàs essent fideles involontarij, quod idem est, ac dicere, fideles externi, & interni infideles. Vigilare tamen debent superiores Ecclesiastici, ut in suo dominio sint semper docti concionatores, non verbis pulitis trahentes populum, sed ubi sunt infideles, doctrina, exemplo, & labore, confutando publicè id, quod tuetur a Turcis, & Hæbreis, atque Hæreticis, quia tunc Deus adiuvabit illos, nec hoc civili statui erit damnum, sed maior utilitas; tunc enim erit Dei illuminatio, non coactio.

33 Conclusio 6. infideles habent verum dominium rerum suarum, & etiam servorum, quamvis isti sint fideles, unde non possunt servi fideles solo hoc titulo fugere, & a servitute se liberare. Tenet de Lugo disp. 19. sect. 3.

34 Probatur Scriptura Sacra; & præcipuè ex D. Paulo ad Ephes. 6. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum ser-*

vientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, & cum bona voluntate servientes sicut domino, & cum hominibus; scientes, quod unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a domino, sive servus, sive liber, & rationem dat S. Augustinus in Psalmum 144. dicens, *Christus non fecit de servis liberos, sed de malis servis liberos servos*.

35 Probo modo ratione. Potestas iurisdictionis non fundatur in gratia sanctificante, nec in fide, sed in iure naturæ, at hoc ius competit etiam infidelibus; ergo infideles habent verum dominium in rebus, & servis suis, atque adeo servi fideles non poterunt se a servitute liberari solo titulo fidei, sive quod sint fideles Dei. Maior propositio patet, quoniam potestas, & iurisdictio est quid cadens sub sensu, & quid merè naturale; ergo non potest fundari in aliquo supernaturali, quomodo est fides, & gratia sanctificans, quæ alienæ sunt omnino a sensibus. Probo etiam minorem, quia infidelis, ex eo quod sit infidelis, non desinit esse homo additus conversationibus aliorum hominum, cum eisdem honoribus, & oneribus humanis, quibus addictus est homo fidelis, quia, ut homo, quamvis infidelis, est capax potestatis, & iurisdictionis, & ad gubernationem aliorum, dummodo iustus titulus interveniat, vel iure belli, vel præscriptione, vel alia via debita acquisitis; cum gratia, & fides non destruant naturam, nec tollant id, quod ius naturale cuique tribuit; ergo, &c.

36 Obijcies, Multa adsunt loca Scripturæ, in quibus videtur per Christum dari libertatem fidelibus; ergo, &c. videtur, quod hoc solo titulo Christianis sit licitum se eximere a servitute infidelium, quicumque illi sint. Respondeo, dato antecedente, nempe quod sint aliquæ scripturæ, quæ videantur apparenter esse ad favorem servorum fidelium, revera tamen scripturæ loquuntur de libertate spiritus, in quem nullum ius acquiritur a domino infideli, erga servum fidelem, etiam si dictus servus mancipius sit, & emptus, & hic est sensus verus, & germanus scripturarum, quæ ad favorem dominorum infidelium contra

servos

servos fideles: nam solum in illos habent ius naturalem, non vero spiritualem, cum aliquomodo supernum sit.

SECTIO SEXTA

De infidelitate Baptizatorum.

37 INfidelitas illa, quæ in baptizatis reperitur, vel est hæresis, vel secta vocatur, vel apostasia. Hæresis est idem, ac voluntaria electio; & quia ipsi sibi sapientes suum potius iudicium, quam scripturæ dogmata, & Sanctorum Patrunm instructiones sequi voluerunt, Hæretici dicuntur, quia in hæresim voluntariè inciderunt, sicut, & eorum propositiones hæreses sunt. Secta vero non venit a sectando, sed a secando; & dicitur de illis, qui secant Evangelium, ipsum secantes in his, quæ sibi accomodant, vel suo captui, non curantes unionem Ecclesiæ. Apostasia est recessus a fide, quod quidem nomen, quamvis conveniat propriè omnibus Hæreticis, usu tamen receptum est, ut significet totalem recessum a fide, unde apostata communiter dicitur ille, qui in totum negat Evangelium, quod iam receperat, nec dici solet Hæreticus, sed Atheista, si nullam sectam sequatur, vel Paganus, vel Mahumetanus, vel Iudæus, si aliquam ex ipsis vivendi formam amplectatur. In his habet ius Ecclesia Catholica, & infligit easdem pœnas, quæ Hęreticis infligi solent. Circa infidelitatem iam multa dicta sunt in antecedentibus, quare hic pauca manent elucidanda, supponendo prius infidelitatem, quæ est in baptizatis, dividi in formalem, & obiectivam. Formalis est peccatum illud actuale, sive actus ille internus, a quo quis formaliter denominatur Hęreticus. Obiectiva est obiectum, quod falso creditur, vel asseritur, quare de hac per diversas conclusiones meum sensum proferam.

38 Conclusio 1. non omnes hæreses sunt æquales in falsitate, est certa hæc conclusio, quæ est fere communis.

39 Probatur 1. nam non omnes errores sunt æquales in falsitate, ut dictum est in conclusione, etenim falsitas consistit in deformitate actus ab obiecto; at quia actus potest esse magis, vel minus deformis ab obiecto; ergo potest habere maiorem, vel minorem deformitatem, atque adeo, maiorem, vel minorem falsitatem. Minorem sic probo; nam de facto, si quis diceret in hac aula nullum esse hominem, magis distaret a vero, & per consequens minus conformaretur obiecto, quam ille, qui diceret in dicta aula esse tantum decem viros, posito quod in ista aula essent homines viginti; sic magis distat a vero, qui dicit in Eucharistiam esse solum panem, quam, qui dicit in eadem Eucharistia esse tantum Corpus Christi sine sanguine.

40 Quod si quis dicat, quod æque est hæreticus, qui negat canem Tobiæ habuisse caudam, ac ille, qui negat Verbum fuisse incarnatum, nam bene quidem possunt duo Hæretici esse æquales, & tamen ab uno una propositio potest esse prolata minus conformis obiecto, vel magis distans a vero, quam alia propositio prolata ab alio, quoniam æquè deviat, qui non credit Deo in minimo, ac qui non credit Deo in maximo, licet remaneant in se minimum, & maximum. Respondeo, quod ex argumento nihil contra me colligitur, sed solum, quod non propter hoc æquè duo non sint hæresi deducitur, quæstio est, an una hæresis sit minus, vel magis falsa.

41 Conclusio 2. qui credit, & docet tamquam de fide id, quod non est de fide, est Hæreticus; in his casibus quando Ecclesia definivit id non esse de fide, quando est animus non credendi, etiam si contrarium Ecclesia definiat.

42 Ratio est: quia iam negatur, & contemnitur authoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ sola definire potest, quæ sint, vel non sint de fide. Non tamen est Hæreticus, qui etiam scienter (saltem in rebus ad dogmata fidei non spectantibus) v. g. diceret, Adamum uno anno vixisse, plusquam dicit scriptura, non ut auferat authoritatem scripturæ, sed quia magis congruit suę concioni, peccaret quidem, sed non esset hæreticus.

43 Conclusio 3. non solum reijciendę sunt a Catholicis propositiones hæreticæ, verum etiam erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandolosæ; piorum aurium offensivæ.

44 Probatur ex Concilio Constantiensi sect. 8. ubi determinantur Articuli Ioannis Vvicleſi quorum aliqui non carent hæresi, ut ibi videri potest, non puto tamen inutilem esse ponere hic breviter, quid intelligatur nomine harum propositionum.

45 Hæresis est voluntarius, & pertinax error in materia fidei Catholicæ, contrarium habens, qui se profitetur Christianum, sic illa propositio erit hæretica, quæ huiusmodi errorem continebit.

46 Erronea propositio est illa, in qua negatur aliquid, quod non est immediatè revelatum, sed solum deductum ex aliquo revelato, simul, & ex alio non revelato, v. g. qui negat aliquid deductum ex una de fide, & altera propositione naturali, dicitur errare in rebus fidei; non quia propriè neget aliquid revelatum, sed quia ex revelatis convinci potest, & qui in hoc pertinax esset, posset puniri, non ut hæreticus, sed leviori censura.

47 Proxima errori, vel hæresi est illa propositio, quæ est opposita alteri propositioni, quæ probabiliter, & apud plerosque censetur esse de fide, quamvis id non sit certum omnino.

48 Suspecta de hęresi, vel sapiens hęresim est illa propositio, quę dat ansam timendi, ne lateat hęresis, licet enim non det fundamentum sufficiens iudicandi absolutè esse hęresim clarè, dat tamen fundamentum sufficiens ad suspicandum, vel timendum, ne auctor illius propositionis habeat intra se hęresim aliquam; quę quidem suspicio potest oriri, vel ex verbis ipsis, vel ex materia, vel ex loco, tempore, persona, & alijs circumstantijs.

49 Malè sonans propositio est illa, quę est æquivoca, & habet sensum etiam Catholicum proprium: sed frequentius voces illæ usurpantur in sensu hæretico. Dicitur etiam malè sonans illa propositio, quæ sensum habet congruentem fidei, sed verba

sunt incongrua, quia non solent in ea significatione usurpari.

50 Piarum aurium offensiva est illa propositio, in qua profertur aliquid indecens, vel indignum in materia Religionis, vel in qua asseritur aliquid de Deo, vel de Sanctis in derisum, licet verum, ut est aliqua actio necessaria hominis, per verba obscena exposita de Christo. Item quando de statu Ecclesiastico, de ceremonijs sacris, de sanctis viris dicuntur aliqua ridicula, quibus modesti auditores erubescunt.

51 Propositio temeraria est illa, in qua sine sufficienti fundamento aliquid asseritur contra communem sensum Theologorum, aut Sanctorum Patrum, licet non sit definitum ab Ecclesia, vel deductum ab aliquo definito fundamento sufficiente, ad vitiandam temeritatem, esse magni ponderis rationem, vel gravis doctoris authoritatem,

52 Scandalosa propositio est illa, quę præstat occasionem spiritualibus inclinando auditores ad peccatum, vel eos amovendo ab exercitio virtutum; ut sunt propositiones detrahentes Religioso statui, & aliæ, quæ licet non sint contra fidem, generant nihilominus scandalum, & removent homines ab exercitijs spiritualibus, pietatis, &c.

53 Seditiosa propositio est illa, quæ ad seditionem contra Prælatum, vel Principem proprium vel Populum, aut alias movere ꝗ test Populum, vel Comunitatem, ad tumultum in Rempublicam, &c. & hæc non spectat ad Doctrinam fidei, debet tamen ab Ecclesia prohiberi, etiam si non sit in materia Theologica.

54 Blasphema propositio est illa, quæ continet iniuriam, & irreventiam contra Deum, vel sanctos, & aliquando est hæreticalis, aliquando non.

55 Propositio impia est illa, qua evertitur, vel minuitur verus Dei, & Sanctorum Cultus, & qua impediuntur opera misericordiæ.

56 Schismatica propositio est illa, quæ promovere habet Schisma, vel illud generat, vel ad illud inducit, & aliquando est coniuncta cum hæresi, & aliquando non.

57 Su-

57 Supreſtitioſa propoſitio eſt illa, quæ ſi non docet errorem, nihilhominus inducit ſupreſtitionem, &c. Sunt aliæ pro- Propoſitiones, quæ damnari ſolent ab Eccleſia; non quia ſint contra fidem; ſed quia ſunt contra bonos mores; vel contra bonum publicum Animarum, quarum cura eidem Eccleſiæ demandata eſt. Huiuſmodi Propoſitiones ſunt illæ, quæ vocantur Iniurioſæ, Arrogantes, Vanæ, Stultæ, Ironeæ, Ampullares, Improbabiles, &c.

58 Concluſio 4. Ad hoc, ut quis poſſit ab Eccleſia puniri, tamquam Hæreticus, requiritur, quòd Baptiſmum receperit, quod errorem contra fidem retineat cum pertinacia; vide ea, quæ dicuntur, Lector benignè in meo Opuſcolo de Iudice Sanctæ Inquiſitionis, cum de hæreſi, & hæreticis.

59 Probo, quia ex Tridentino ſeſſ. 14. (ni fallor) habetur, quòd Eccleſia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipſa per Baptiſmi Ianuam fuerit ingreſſus, & ratio huius rei eſt, quia aliter nullo ſigno viſibili ſunt arrolati in ſubditos Eccleſiæ viſibilis, & ſic non poteſt in eos Eccleſia viſibilis, vel habere, vel exercere iuriſdictionem, & poteſtatem; Hæc quoad primam partem aſſumpti. Quoad ſecundam partem etiam probatur ex ſupradicto Concilio, & Auguſtino relato in C. qui in Eccleſia 24. q. 3. In Eccleſia Dei, inquit, morbidum aliqui, pravunque ſapiunt, ſi corrigantur, ut rectè ſapiant, & reſiſtunt contumaciter in ſua peſtifera, ac mortifera dagmata, & ſe emendare nolunt, ſed ſuas opiniones defendere; hæretici ſunt.

60 Plura eſsent hic dicenda de hac materia, ſed quia iam ex dictis quidquid neceſſarium eſt, deſumi poteſt: hinc eſt, quod ad alia dubia ſolvenda tranſeo.

61 Quæres 1. An infidelitas ſit ſolum in intellectu, an verò poſſit eſſe in ſola voluntate.

62 Agitare habent hanc quæſtionem Aragonius 2. 2. q. 10. ad ſecundum Angelici Doctoris, Gabriel à S. Vincentio, nec non Sylvius hic q. 10. art. 2. ad 1. qui omnes firmant infidelitatem etiam quoad malitiam ſiſtere in intellectu. E contra vero

Suarez disput. 16. sect. 3. num. 2. Hurtadus, & Lugo, asserunt falsitatem quidem esse in intellectu, sicut, & malitiam fundamentalem, formalem verò malitiam in Voluntate existere, & ex voluntate, tamquam per vehiculum, derivare in intellectu, & in actu externo, unde ante dubij decisionem.

63 Prænotandum est. Quod infidelitas duo dicit; nempè, & rationem malitiæ, aversionemque à Deo, nec non rationem falsitatis, quoad hanc ultimam rationem residet in intellectu, quoad priores rationes, in voluntate stat, hij ego paucis positis, sit.

64 Conclusio 1. resolutiva dubij. Infidelitas, prout includit malitiam, cum aversione à Deo, est in voluntate, prout dicit falsitatem manet in intellectu. Tenet Alexander Madernus in tractu 9. de fide q. 5. art. 3. pag. mihi 594. n. 2.

65 Probatur Conclusio, contrariorum eandem est disciplina, & ratio, atqui veritas, & falsitas sunt contraria, ergo sicuti veritas est intellectu, sic, & falsitas in intellectu erit, cum fides, ut suo loco dixi, dicat ordinem advoluntatem imperantem, per piam affectionem, sic falsitas Infidelitatis ad voluntatem imperantem ordinem dicit. Quod verò ratio malitie sit involuntate, & ex illa, tamquam per vehiculum pergat in intellectu falsitas, patebit Deo dante, ex dicendis, cum de actibus humanis sermonem faciemus.

66 Conclusio 2. evacuativa totius difficultatis est, Peccatum infidelitatis non potest commicti sola voluntate, sed semper petit errorem in intellectu. Contrarium tenet Valentia, Hurtadus, & Lugo; firmat meam propositionem Suarius, Amicus; Malderus, & Sylvius cum multis alijs.

67 Probatur assumptum; Ad consumatam infidelitatem non est sufficiens voluntatis malitia, sive aversio a Deo; sed insuper est necessaria falsitas intellectus; atqui implicat, quod detur falsitas intellectus sine actu dicti intellectus, ut perse patet: ergo implicat etiam dari infidelitatem consumatam sine actu ipsius intellectus.

68 Obij.

68 Obijcies 1. contra secundam Conclusionem. Cætera peccata sola voluntate committuntur: ergo, & peccatum infidelitatis similiter per solam committitur voluntatem. Respondeo, distinguo antecedens, cætera peccata per solam voluntatem contrahuntur affectivè; concedo, effectivè; nego antecedens, & consequens distinguo, ergo peccatum infidelitatis per solam voluntatem committitur affectivè, & imperativè; concedo, effectivè, & falsitativè; nego, quod idem dicendum est de alijs peccatis, prout respiciunt voluntatem.

69 Instant: saltem odium Dei, & desperatio sola voluntate consumantur, ergo etiam infidelitas, quæ odium Dei includit. Respondeo concedo antecedens, & nego consequentiam: est enim magna disparitas inter odium Dei, desperationem, & ipsam infidelitatem, primi duo possunt sola voluntate committi, nec est necessaria alia potentia ad eorum effectuationem; at ad hoc ut infidelitas consumetur, cum de natura sua includat falsitatem, quæ consistit in actu intellectus, requirit ad sui effectuationem, & consumationem potentiam intellectivam.

70 Obijcies 2. ponamus, quod hodie non urgeat præceptum credendi, & Bertus dicat, nunc volo suspendere assensum, cras quando urgebit præceptum credendi, dissentiam revelationi, etiamsi putem ad assensum revelationis teneri, & obligatum esse ad non dissentiendum; ergo tunc peccatum infidelitatis tantum in voluntate erit; ergo, &c.

71 Respondeo, quod etiam in casu posito, distinguendum est antecedens; nempe quoad effectum esset quidem tantum in voluntate, non autem quoad consumationem, & effectum, quia, ut dixi, infidelitas cum includat falsitatem, quę pertinet ad intellectum, effectivè necessario actus infidelilatis est ab illo, & in illo, imperativè, & affectivè solum in voluntate, & sic dico ad id, quod ex antecedente deducebat adversarius.

72 Obijcies 3. potest quis habere demonstrationem de Animę immortalitate, cum proposito voluntatis, si id non demonstraretur, non credendi immortalitatem ipsius Animæ; ergo talis homo

mo peccaret tunc infidelitate, quamvis nullum errorem haberet in intellectu.

73 Respondeo dato supposito, non propterea sequitur consequentia inde deducta; etenim talis homo haberet errorem in intellectu, quia quamvis non haberet errorem de immortalitate Animæ, erraret tamen, quia teneret divinam revelationem non esse sufficientem motivum credendi talem immortalitatem Animæ, si non adesset naturalis demonstratio, quod in se revera hæreticum est,

75 Obijcies 4. data in Petro v. g. voluntate discredendi, potest Deus non velle concurrere ad dissensum intellectus ipsius Petri. Sic tunc argumentantur adversarij, tunc tota malitia esset in voluntate; & nullo modo in intellectu, ergo infidelitas consumata in sola voluntate consistit.

75 Respondeo, concedo quod malitia esset in voluntate, & sic talis, nempè Petrus, esset tantum infidelis affectu, non autem per effectum, ut supra dicebam. Quapropter posset retorqueri argumentum contra impugnantes; & sic arguere: sicut enim dicunt ipsi, quod voluntas mentiendi, & voluntas occidendi non est peccatum consumatum, sed solum in affectu, nisi ad sit actuale mendacium, & actuale homicidium, ità in casu non erit actualis, & in effectu actus infidelitatis, sed solum in affectum: respondeant adversarij, & ego non tacebo.

76 Quæres 2. An dubitans in fide sit infidelis?

77 Respondeo 1. dubitans positivè in fide, nempè cum advertentia, dicitur infidelis, est communis inter Theologos hæc responsio.

78 Probatur ex cap. 1. de Hæreticis, ubi habetur: *dubius in fide est hæreticus*, *sive infidelis*, patet etiam ratione: Qui iudicat propositionem de fide esse dubiam, & incertam, sine dubio Articulum fidei negat, quæ docet res fidei certas esse; ità, & taliter, ut non possit aliter se habere; quia revelatæ sunt à prima veritate infallibili in suo dicto; itaut nec fallere, nec falli possit; atqui negat Articulum fidei, est infidelis: ergo dubius in fide infidelis erit.

73 Quæ-

79 Quæres 3. an opinari probabiliter de rebus fidei, sit contra fidem?

89 Respondeo distinctione utendo, vel Franciscus, v. g. ita tenet opinionem de Mysterio Resurrectionis Christi post triduum propter rationem probabilem adductam, ut simul etiam affirmet talem Resurrectionis Mysterium non esse credendum firmiori assensu, & sic talis opinio est contra fidem, vel dictus Franciscus ita habet opinionem de eodem Mysterio, ut præscindat ab hoc, quod debeat credi firmiori assensu, ut non tamen firmiorem assensum excludat, & in tali casu firmo nihil esse contra fidem, immò hoc est secundum usum communem Theologorum, quando aliquam veritatem de fide rationibus probabilibus confirmare coguntur.

81 Obijcies. Opinio secundum se, essentialiter, & ex natura sua includit formidinem, atqui formidare de rebus fidei, est dubitare de illis, & illos non certos, sed dubios facere, est hæreticum; ergo etiam de illis opinari hæreticum est.

82 Respondeo, distinguo maiorem, opinio in suis motivis, includit formidinem, concedo, in subiectis in quibus manet, semper nego, & dando minorem, nego consequentiam, etenim assensus probabilis in catholico non est cum formidine, quia cum certissimus sit ex fide, est incapax formidinis ex motivo probabili, sed solum motivum probabile corroborat extensivè id, quod per fidem credebat.

QVÆSTIO II.

De virtute Spei.



EA quæ ab Angelico Magistro, & a cœteris Doctoribus de spei virtute tractantur, ab eisdem ad quatuor principaliores quæstiones reducuntur, nempe primò, *Quid sit spes*, secundò, *quod nam sit eius obiectum*; Tertiò, *quomodo se habeat ille in ordine ad fidem, & charitatem:* quartò,

quartò, *in quibus hæc spei virtus reperiatur*, cum ergo ego ponere debeam in Deum spem meam. Iuxta Psalmograph. Ps. 72. & cum melius sit sperare in Deo, quàm in Principibus, nam spes fundata in rebus creatis, ut plurimum vacua est, & tamquam umbra evanescit, nullus igitur in rebus huius sæculi spem ponere debet. Relinquam igitur vana vanis, & mundanas res mundanis hominibus, solum in Deum sperabo, iuxta propheticum dictum, *sperate in Deo omnis congregatio populi:* ut ergo nos fideles Christi sciamus, quomodo in Deum sperare debeamus. Hæc secundam quæstionem de spe instituo, quam per sectiones, & subsectiones diversas secabo, iuxta diversitatem difficultatum mihi occurrentium: sit itaque.

SECTIO PRIMA.

Eaque ad spem pertinent, exponuntur.

QVomodo nomina consona sint rebus, patet omnibus, hinc est, quod ad cognitionem rei habendam, prius de eius nomine quærendum est, hac de causa quid veniat nomine spei, prout spes virtus thæologica est, deinde de eius essentia, postea de his, quæ sunt illi connexa, tertiò de his, quæ spei opposita sunt, & demum de alij his, prout auxilium Dei mihi erit, tractabo.

SVBSECTIO I.

Quid veniat nomine spei.

NOmen hoc (*spes*) pluribus modis sumitur a scribentibus in materia de virtutibus thæologalibus, & primo accipitur pro quacumqoe expectatione, sive expectatio sit boni, sive mali, quapropter Cicero lib. 1. ad Atticum, *spem malorum dixit*, & Didonus apud Virgilium ait: *hunc ego si potui tantum sperare dolorem?* verum est, quod ista significata impropria vocantur

cantur ab Augustino *in* Enchiridion cap. 8. ubi dicit, quod ibi pro spe accipitur *timor*.

1 Secundo accipitur propriè, pro expectatione futuri boni, sic eam idem Cicero describere habet, nempe pro expectatione futuri boni, quarta ex suis quæstionibus, unde D. Augustinus dixit: *licet sperare timenti*: quare conclusit, *spem non esse nisi futurorum bonorum*, sed nec in ista acceptione accipimus tàm latè spem thæologicam, sed solum, proùt est, *virtus quædam thæologalis spectans ad fideles*, qua isti sperant bona supernaturalia aliqua futura, & inter alias principalius beatitudinem æternam, & spes ista est illa, de qua loquitur S. Augustinus, & ego hic investigare habeo, nempe, quid veniat in præsenti nomine spei.

2 Definitur a D. Thoma hic 2. 2. quæst. 17. art. 1. sic, *spes est virtus*, & credo, quod ipse Angelicus Magister desumpserit talem definitionem, ex sacra litera, & præcipuè ex Ecclesiastico 24. ubi divina sapientia de seipsa loquendo dixit: *Ego mater pulcræ dilectionis, agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis vitæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis*, neque dubium est, quod spes proveniat a sancta illa Matre, quæ est sapientia æterna: Paulus Apostolus etiam dicit, quod *spes non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, nec est ponendum in dubium, quod actus formatus a charitate virtus sit.

3 Sed meo videri, Sanctus Thomas non tangit punctum: etenim dicendo, quod spes est, *virtus*, explicat solum materiale spei, non autem formale, multæ enim sunt virtutes, unde secundum ipsum est virtus, cuiusmodi est etiam fides, & charitas, in quo igitur differt ab illis spes? Ad definitionem igitur deveniendum est aliquam, per quam spes a cœteris virtutibus distinguatur.

4 Definitur itaque sic: *spes est virtus thæologica, qua voluntas fertur in Deum, ut est beatitudo nostra, difficilis ad consequendam, sed obtineri tamen potest divino auxilio ad talem finem ordinato*: sic illam describere habent gravissimi thæologi, inter quos

est Gregorius de Valentia disput. 2. quæst. 1. punct. 1. de spe litera B. explicare hanc definitionem, sive descriptionem superfluum est, nam ex modo tendendi uniuscuisque in Deum satis apparet harum virtutum thæologalium differentia, nam fides tendit in Deum, tamquam in primam veritatem, spes in eumdem tendit, ut exinde aliquid accipiat: charitas tendit in Deum, quia Deus summè bonus est, atque summè amabilis, quapropter his relictis; solum de obiecto spei quæstionem pro nunc faciam.

5 Quid veniat nomine spei, prout spes est una ex thæologalibus virtutibus, & quid sit spes secunda virtus thæologalis usque modo visum est breviter, videndum est modo, an sit vera virtus, ut deinde videre possimus in sequenti subsectione, quod nam sit eius obiectum; sit igitur.

6 Conclusio 1. spes thæologalis est vera virtus; tenet S. Thomas loco supra cit. in hac subsect. n. 2.

7 Probo conclusionem. Principium boni actus humani est virtus, sed spes est principium boni actus humani; ergo spes est virtus. Maior non stat in dubium, quia ab omnibus thæologis recipitur, tanto magis, quod bonitas desumitur a conformitate actus, vel potentiæ cum sua regula, sic vestis bona dicitur, quæ nec excedit, nec deficit ad mensuram corporis cuius est vestis. Minorem etiam probo; propria mensura humani actus, vel est ratio, vel Deus: ergo ille actus hominis, qui attingit, vel rationem, vel Deum, attingit propriam mensuram; atqui spes est principium actus humani attingentis Deum; ergo spes est principium actus humani attingentis propriam mensuram.

8 Obijcies 1. Virtute nullus malè utitur, sed spe multi malè utuntur; ergo spes Theologica non est virtus; in spe datur medium, & dantur extrema, sed multi possunt deviare, immò deviare habent à medio, & extrema sequuntur spei, ergo malè utuntur spe; quid est enim malè uti virtute, nisi à medio virtutis deviare?

9 Respondeo, negando minorem, & ad maioris probationem dico, quòd in spe sicut, & in omnibus alijs virtutibus datur

ſolum medium, & in medio ſtat virtus: & ſi declinetur ad extrema, iam ceſſat virtus, & vitium ſuccedit. Medium autem virtutum moralium eſt ratio, quam rationem, qui attingit, eſt virtuoſus, ſicut, qui ab illa ratione declinare habet, vitioſus vocatur. Medium autem virtutum Theologicarum eſt Deus. Qui verò Deum attingit eſt virtuoſus, ſicuti, qui a Deo declinat vitioſus eſt; numquam autem declinat homo a Deo, per virtutem ſpei Theologicæ, & ſic numquam homo ſpe virtute Theologica malè utitur, ſicuti numquam homo per ſpem Theologicam declinat a ratione, nec per alias virtutes morales, & ſic numquam malè utitur virtutibus; declinare autem a medio virtutis, non eſt malè uti virtutè, ſed eſt, non virtute uti.

10 Obijcies 2. Nulla virtus procedit ex meritis, ſed ſpes provenit ex meritis: ergo ſpes non eſt virtus. Maior eſt D. Auguſtini in Pſal. 118. dicentis, quod Deus operatur virtutem in nobis, ſine nobis; Minor eſt Magiſtri ſententiarum in 3. diſt.26. ubi habet, quod ſpes provenit ex gratia Dei, & meritis præcedentibus vel ipſam ſpem, vel rem ſperatam, & quod ſperare ſine, &c. meritis, non eſt ſpes, ſed præſumptio.

11 Reſpondeo; negando minorem, neque illam probat Magiſter ſententiarum, qui iam dixerat, ſpem eſſe virtutem: dicit igitur Magiſter, quod ſpes provenit ex gratia Dei, ſed concurrunt etiam merita, in quantum ad rem ſperatam, etenim beatitudo, quæ ſperatur, danda etiam eſt ex meritis, & ſperare beatitudinem ſine meritis, præſumere eſt, propterea dixit ex meritis præcedentibus, vel ipſam ſpem, vel rem ſperatam, poſſum enim habere ſpem ſine meritis præcedentibus, ſed non poſſum ſine ipſis ſperata obtinere.

SVBSECTIO II.

Quodnam ſit obiectum ſpei, prout ſpes eſt virtus Theologalis.

12 IAm dictum eſt quid veniat nomine ſpei Theologicæ, & quod virtus vere ſit; modò videndum eſt, quodnam ſit eius

eius obiectum, ut ex illo possimus differentiare spem a cæteris virtutibus Theologicis; sit: ergo.

13 Conclusio 1. Deus, ut summum bonum amabile, amore concupiscentiæ supernaturali, & quasi in commodum amantis, est obiectum formale spei. Defendit hanc conclusionem Divus Thomas q. 17. art. 8. est tamen contra D. Bonaventuram in 3. dist. 26. q. 4. & 5. qui dicit: Beatitudinem non sub ratione ardui, & excedentis hominis facultatem, esse obiectum formale spei Theologalis virtutis, est etiam contra Vasquesium, dicentem, obiectum formale spei esse auxilium omnipotentiæ Dei.

14 Probo assumptum firmatum sic; Deus sub ratione boni summi amabilis, amore concupiscentiæ supernaturali, & quasi in commodum amantis, est obiectum formale alicuius actus honesti supernaturalis. Nam cum Deus sit Summum bonum nostrum supernaturale, si diligatur ut sic, non erit indecens: ergo ille actus dilectionis alicuius virtutis erit; non Charitatis; quia Charitas respicit ipsusmet Deum, propter ipsummet Deum, seu quia Deus est, & non quia habenti Charitatem bonus sit; nec etiam est ille actus fidei, ut patet; nam fides, ut suo loco diximus, respicit Deum, ut est prima veritas formalis: ergo solum erit actus spei, prout spes est Theologica virtus, cum ergo, nulla alia detur virtus Theologalis a tribus enumeratis distincta, actus ille sine dubio erit spei.

15 Conclusio 2. Deus modo explicato in antecedenti conclusione, est obiectum formale adæquatum habitus spei Theologalis virtutis, nempe Deus, prout concupiscitur ab homine, sibi bonum, sive secundum seipsum, sive secundum bona creata, & participantia ipsius bonitatem, est ratio formalis obiectiva adæquata, propter quam habitus spei Theologalis.

16 Probatur Conclusio. Sicuti bonitas divina, propter se, est ratio formalis obiectiva Charitatis; quia sicut ratio bonitatis divinæ propter se, est ratio diligendi Deum, & alia propter Deum, quia participant illam, & sic faciunt obiectum adæquatum Charitatis. Sic similiter eadem bonitas Dei, prout est bona

homini

homini speranti in seipsa, sive in alijs rebus, aut illis applicata, erit adæquata ratio virtutis Theologalis, nempe spei. Nam sicut amare Deum, & cætera a Deo, ut bonitas Dei participata sunt, in se bonus Deus, cætera propter Deum amore complacentiæ, est obiectum formale adæquatum Charitatis, ita spes speranti, ut summum bonum supernaturale, & sperare salutem a Deo, prout conducit ad beatitudinem æternam, & supernaturalem pertinet ad eandem spei virtutem; ergo, ut unico verbo omnia dicam; Deus prout est bonus in se, amabilis, atquè in Creaturis suis, est obiectum formale adæquatum spei.

17 Verum est, quod quando amamus Deum, quia bonus est nobis, est amor concupiscentiæ, non autem benevolentiæ; & aliquando idem actus amoris potest esse, & concupiscentiæ, & benevolentiæ. Concupiscentiæ, quatenus amo Deum mihi proficuum, benevolentiæ quatenus amo illum in se, seu ad illum, prout in se, amor terminatur.

18 Ex hoc infertur, quod idem obiectum materiale est Spei, & Charitatis (loquar de obiecto materiali remoto in meo sensu, prout in prima parte mei sertus) quamquam penes obiectum formale distinguantur, nam eadem bonitas diversimodè considerata, illas tres virtutes Theologales; nempè, Fidem, Spem, & Charitatem, specie distinguit. Vnde nullum ordinem ad Charitatem dicit, nisi quod prius fides est, nam prius res est credenda, deinde speranda, demum amanda; quare ordine naturæ, spes est media inter Fidem, & Charitatem. Hinc posset oriri quæstio, an videlicet detur ordo inter spem, & alias duas virtutes Theologales, nempè Fidem, & Charitatem, & sit igitur

SVBSECTIO III.

An Spes dicat ordinem ad Fidem, & Charitatem.

19 Videtur quod spes possit habere ordinem, ad Fidem, & Charitatem, nempè vel in originis prioritate, aut in prio-

prioritate temporis, aut in prioritate dignitatis, undè dum quæ-ritur, an spes habeat ordinem ad Fidem, & Charitatem, est idem ac quærere: an spes aliquomodo trahat originem ab alijs duabus virtutibus Theologalibus, vel an sit posterior ipsis, vel an sit illis dignior, vel illis inferior, undè ad hoc, ut quæstioni satisfaciam, plures conclusiones in hac subsectione ponam, illas probando, & obiectionibus contra eas ponendis respondebo pro viribus.

20 Conclusio 1. Spes est Virtus distincta, a Virtute Fidei, & Charitatis. Tenet hanc conclusionem Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 2. q. 1. n. 2. est etiam communis inter Theologos.

21 Probatur Conclusio; quia, quantùm ad Fidem, & Spem, habetur ex D. Augustino in Enchiridion cap. 8. ubi expresse his verbis conclusionem meam probat; *Fides*, inquiens, *est malarum rerum, & bonarum, itemque præteritarum, præsentium, & futurarum; Credimus enim mortuum Christum, quod iam præteriÿt; Credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est; Credimus venturum esse ad iudicandum, quod futurum est; ergo fides etiam, & suarum rerum, & alienarum; nam etsi quisque credit aliquando esse cepisse, nec fuisse numquam sempiternum, & alia, atque alia, nec solum alÿs hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, sed etiam de Angelis credimus. Spes enim non nisi bonorum suorum est, nec nisi rerum futurarum, & ad eum pertinentium, qui ea spem genere perhibetur.*

22 Probatur etiam ratione, habitus, qui habent eandem rem pro obiecto, sunt habitus distincti, quando illam rem considerant sub diversa ratione formali; Sed Spes licet habeat eandem rem pro obiecto, nempe Deum, cum Fide, & Charitate, illam tamen considerat sub diversa ratione formali: ergo, Spes est habitus diversus a Fide, & Charitate, atquè adeò virtus ab illis distincta est. Maior patet, quia specificatio habituum desumitur ab obiecto formali, & a modo tendendi in eundem, non vero a materiali. Minor suadetur, quia fides innititur Deo, quatenus in nobis est principium cognoscendi veritates superna-

naturales. Charitas tendit in Deum, quatenus est summè bonus in se, cui unimur per affectum; spes tendit in Deum, quatenus Deus est bonus nobis, & a nobis est consequendus: atqui istæ sunt rationes formales diversæ omnino; ergo spes est virtus thæologalis formaliter, & specificè diversa a fide; & Charitate, sicuti, etiam illæ inter se, & a spe virtutes diversæ specie sunt.

23 Conclusio 2. spes, non est prior fide prioritate originis, sed posterior ipsa fide; tenet idem de Valentia loco supra cit. cum multis alijs, quod etiam tuetur a D. Augustino loco citato ubi inquit: *Quomodo enim sperari potest, quod non creditur.*

24 Probatur hæc secunda conclusio; virtus, per quam nobis proponitur obiectum alterius virtutis, est prior virtute cuius obiectum proponit; atqui fides est illa, quæ nobis proponit obiectum spei; ergo fides est prior spe, atque adeo spes est posterior fide in origine. Probo minorem ex D. Augustino: *prius enim*, inquit, *debemus credere dari Beatitudinem, quàm speremus posse illam obtinere:* & hoc confirmat D. Paulus ad Hæbreos 11. *Accedentem ad Deum per spiritum oportet credere* (scilicet per fidem) *quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit*; ergo prius origine, sive natura est fidei habitus, quàm sit spes ipsa.

25 Conclusio 3. generationis ordine, spes est prior charitate. Defendit D. Thomas hic q. 17. art. 8. verum est, quod intelligitur de actu spei, non vero de habitu, quia istæ infunditur simul cum gratia, prout ait Trident. sess. 6. cap. 6. ubi Concilium loquens de modo, quo movetur homo ad Deum per Fidem, Spem, & Charitatem, modo sequenti loquitur.

26 *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati a divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium, per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes a divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei Misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi per Christum propitium fore, illum-*

 que

que tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: sic Tridentinum Concilium loquitur.

27 Probatur modo ratione. Motus animi pertinens ad imperfectum amorem est prior generatione, quàm motus animi pertinens ad amorem perfectum; sed spes est motus animi pertinens ad amorem imperfectum, & Charitas pertinet ad perfectum amorem; ergo spes est prior charitate. Maior patet, quando hoc sit commune omnibus rebus, utpotè ab imperfectioribus incipiendum esse, successivè vero perficiuntur. Probo modo minorem: amor perfectus dicitur ille, quo quis amat aliquem secundum se, qui quidem amor, amor amicitiæ vocatur. Amor vero imperfectus est ille, quo quis amat aliquem, ut ipsi amanti ab amata re aliquid utilis proveniat; & talis amor vocatur amor concupiscentiæ: at, qui amat Deum, ipsi Deo inhæret, secundum se, & qui sperat in Deo, inhæret Deo, ut ab ipso aliquid obtineat; ergo spes pertinet ad amorem imperfectum, Charitas vero ad amorem perfectum; ergo generationis ordine spes est prior Charitate.

28 Conclusio 4. Spes ordine perfectionis est posterior Charitate, & prior fide. Tenet Suarius hic disput. 4. sect. 6. & cum hæc conclusio duas partes habeat, quoad utramque partem probanda est.

29 Quoad primam partem, probo ex D. Paulo Apostolo 1. ad Corinth. 12. loquendo enim ipse de gratijs Apostolatus. Prophetiæ, &c. subiungit; *Et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro*, & sequitur loquendo de Charitate, & in fine cap. 13. enumeratis omnibus thæologalibus virtutibus, addit: *maior autem horum est charitas*. Et eo magis crescit ratio probativa mea ex D. Paulo desumpta, quia Christus Dominus Redemptor noster, loquendo de præcepto Charitatis, apud Evangelistam Matthęum cap. 22. *hoc est*, inquit, *maximum, & primum mandatum*; ergo prout positum est in conclusione, in ratione perfectionis spes est posterior Charitate.

30 Pro-

30 Probo modo ratione eamdem primam conclusionis partem. Illa virtus thæologica est posterior, quæ perfectiori modo tendit in Deum; atqui Charitas perfectiori modo tendit in Deum, quàm virtus spei; ergo Charitas est perfectior spe: ergo in ordine perfectionis spes est posterior Charitate. Probo minorem, ex precedentibus spes tendit in Deum per amorem concupiscentiæ, qui quidem amor, ut dictum fuit, est imperfectior amore amicitiæ, quo virtus Charitatis tendit in Deum.

31 Probo modo conclusionem hanc quartam, quoad secundam partem nondum probatam, & sic illam ostendo, Spes tendit in Deum, & illum attingit sub ratione summi boni sperantis: unde cum perfectio virtutum sumenda sit a bonitate divina participata, illa virtus apparet perfectior, quæ magis participat de summa bonitate, & magis cum illa coniungitur, ac coniungit cum ea illum, qui talem virtutem habet in se. Cum ergo spes habeat pro obiecto summum bonum, licet non sit in se simpliter, est tamen prior fide, ut dictum est.

32 Conclusio 5. Spes, prout est una ex tribus thæologalibus virtutibus, est ita connexa cum virtute fidei, ut quamvis fides possit esse sine virtute spei, non tamen potest esse spes virtus thęologalis sine fide; quæmadmodum etiam spes prędicta potest esse sine Charitate, non tamen Charitas potest esse sine spe, quod intelligi potest, tàm de actu, quàm de habitu. In ordine generationis enim, tàm habitus spei, quàm aliarum virtutum, ex tribus enumeratis simul cum gratia a Deo infundantur; & sic spes non potest esse sine Charitate; in conservari vero spei habitus esse sine Charitate potest, non tamen sine habitu fidei.

33 Ratio huius conclusionis est: quia fides est fundamentum vitæ Christianæ, quo ablato ruit tota fabrica Christianitatis; quod autem maneat habitus spei sine habitu Charitatis, licet apud omnes certum non sit, tamen sic probatur, nam probabilissimum est, habitum spei non corrumpi nisi per peccatum infidelitatis, aut desperationis, non autem per alia peccata mortalia. De actu autem Charitatis, habetur per definitionem Concilij

Tridentini sess. 14. cap. 4. *Contrictionem imperfectam, quæ attritio communiter dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ, & pœnarum metu communiter concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ declarat non solum, non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pænitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat.* Notum est etiam ex illo Ecclesiast. 21. *fili peccasti? non adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur*: stultum autem esset deprecari, si non speraretur venia.

34 Obijcies 1. contra primam conclusionem: Expectatio futuræ Beatitudinis, pertinet ad spem, ex iam dictis, sed etiam hæc ad fidem pertinet; ergo spes non est virtus distincta à fidei virtute. Probant minorem adversarij. Etenim in symbolo fidei habetur: *Expecto resurrectionem mortuorum*: ergo expectatio pertinet ad fidem.

35 Respondeo, dicendo: quod expectatio futuræ gloriæ non ponitur in symbolo, tamquam actus fidei, sed tamquam actus, quo manifestatur fides, quam habemus de futura gloria.

36 Obijcies 2. contra secundam conclusionem. Quod ponitur in definitione fidei, est prius fide, sed spes ponitur in definitione fidei; ergo spes est prior fide; Minor patet ex Apostolo, dicente: *Fides est substantia rerum sperandarum &c.* Maior etiam probatur ab opponente sic. Quod ponitur in definitione alterius, debet esse prius illo in cuius definitione ponitur: ergo, quod ponitur in definitione fidei, est prior ipsa fide, atquè adeò spes est prior fide.

37 Respondeo, maiorem esse veram, sicut & probatio eiusdem maioris, loquendo de eo quod ponitur in definitione, tanquam quid essentiale, & perse; non verò est verum de eo, quod ponitur in alterius definitione, tamquam circumscriptivum essentiæ. Spes verò non ponitur in definitione fidei, tamquam quid essentiale, & per se primo; sed tanquam quid circumscriptivum, & per accidens, ut videatur connexio inter id quod credimus, & id quod credentes consecuturi sumus.

38 Obij-

38 Obijcies 3. contra eandem secundam conclusionem. Quod præcedit actum meritorium, præcedit fidem, sed spes præcedit actum meritorium: ergo spes precedit fidem. Maior propositio est vera, & manifesta, ut ex dictis cum de fide, ubi dixi ante actum fidei nullum dari opus meritorium, & omnem actum fidei meritorium esse: Minor probatur sic ab adversarijs, 1. Cor. c. 9. *debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.*

39 Respondeo; actum spei præcedere aliquem actum meritorium, sed non omnem, quod est probandum ab adversarijs, ad hoc, ut valeant inferre spem esse priorem fide, ut ipsi asserunt in sua obiectione. Si enim datur unus actus fidei meritorius, qui præcedat spem iam apparet, quod falsa sit minor argumenti contrarij. Ad dictum Apostoli, dico verum esse, quod sicut qui arat debet arare in spe fructus percipiendi, sic homo ex fide operans, operatur cum spe beatitudinis consequendæ, quare argumentum nihil facit contra conclusionem positam, immò est contra adversarios, & sic negatur eorum consequentia.

40 Obijcies 4. contra tertiam conclusionem. Illud ex quo est spes, est prius spe ipsa, atqui spes est ex Charitate: ergo, Charitas est prior spe. Probatur minor; boni animi motus ex amore, & sancta Charitate veniunt; atqui motus spei sunt boni animi motus: ergo motus spei veniunt ex charitate. Propositio maior huius argumenti est Sancti Augustini de Civitate Dei lib. 14. cap. 9. Minor patet ex iam dictis, ubi probavimus spem verè esse virtutem.

41 Respondeo; distinguo minorem; spes est ex Charitate, idest per Charitatem formatur, & perficitur, concedo minorem; est ex Charitate, hoc est, elicitur ab habitu Charitatis, nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem, boni animi motus à suo respectivè habitu eliciuntur, verum est, sed omnes perficiuntur à Charitate. Quando enim Divus Paulus hoc innuere volens dixit, se sine Charitate nihil esse, etiam si plures virtutes haberet, quia virtutes omnes à Charitate perficiuntur.

42 Obij-

42 Obijcies 5. contra quartam Conclusionem; Fides est perfectior spe ex multis Capitibus; ergo spes non est prior fide ordine perfectionis. Probatur antecedens: ex Sacra Pagina magis laudatur fides, quàm spes; actus fidei est difficilior, quàm sit actus spei. Spes habet firmitatem a fide; fides est in intellectu, qui est posterior voluntate, in qua est spes: ergo, &c.

43 Respondeo, nego antecedens, ad probationem eius dico, quod fides laudatur, quia frequentior occasio se se offert loquendi de fide, quæ est principium salutis, quàm de spe; at hoc non arguit maiorem perfectionem. Ad id, quod dicunt actum fidei esse perfectiorem, eo quia inducit maiorem difficultatem, atquè adeò perfectiorem esse, dico, falsum esse: non enim ex sola difficultate desumenda est perfectio actuum, nam ex isto argumento sequeretur, quod spes esset perfectior fide, nam ad sperandam beatitudinem supernam, & illam consequendam, & fiducialiter omnia dirigere est maxima difficultas, & sine dubio longè maior, quàm solum credere. Ad aliam rationem, nempè spem supponere firmitatem fidei, dico, verum esse, sed etiam ipsa spes habet peculiarem firmitatem, qua inhærere habet bonitati Dei, & hanc non habet a fide, nisi eo modo, quo ab ipsamet fide firmitatem Charitas habet; quæ quidem Charitas, sine controversia, est fide perfectior. Quod verò perfectio virtutis desumatur ab honestate actus (quæ quidem honestas tribuitur actibus a voluntate, non ab intellectu) & ex hoc capite magis confirmatur perfectio spei supra fidem; undè firmatæ, remanent positæ conclusiones, & solutæ difficultates, prout promisseram.

44 Esset hic quærendum, quod nam sit obiectum materiale spei. Sed quia iam ex hactenus dictis satis constat, quòd id, quod speramus per actus spei infusæ est nostra beatitudo, quòd est etiam de fide, ut colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. *Gloriamur in spe gloriæ, secundum spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus:* ideò hanc quæstionem relinquo, ut ad alias me transferam, quæ maioris momenti sunt, & maioris difficultatis.

SVB-

SVBSECTIO IV.

Quodnam sit subiectum spei, & in quo consistat beatitudo nostra.

45 QVæstionem hanc ex duplici difficultate compactam, & &si necessarium non sit circa eius investigationem immorari, cum totum ex dictis colligi possit; attamen ut meæ curiositati satisfaciam, quoad utramquem partem illam examinabo, ac per plures, & claras conclusiones resolvam.

46 In præcedentibus iam dixi, spem corrumpi per peccatum desperationis, & per peccatum infidelitatis, hoc enim est proprium virtutum infusarum; Siquis tamen præsumeret consequi beatitudinem viribus proprijs, & sine Dei auxilium, amitteret spem sine dubio; nam in tali actu præsumptionis includitur Pelagianorum hæresis: sicut etiam amitteret virtutem spei Theologicæ, qui præsumeret per totam suam vitam vivere in peccato letali, & in fine suæ vitæ salvari sine meritis, quia talis præsumptionis actus dicit errorem in intellectu, præsumentis talia.

47 Conclusio 1. Subiectum spei virtutis Theologalis est voluntas. Tenent communiter fere omnes Theologi.

48 Probo conclusionem, nam habitus in ea potentia ponendus est, quæ debet actum illius habitus elicere; atqui habitus spei actus eliciuntur à voluntate; ergo habitus spei Theologalis virtutis in voluntate est, sicut & ipsæ spei habitus in voluntate, tamquam in subiecto proximo, subiectatur; verum est, quòd subiectum denominationis, non autem subiectionis, est totus homo, prout viator est (dixi prout viator est) nam ex istis duabus verbis deduco.

49 Conclusionem secundã, videlicet, quòd non sit spes, neque quoad actum, neque quoad habitum in damnatis.

50 Probo conclusionem, ubi est desperatio, cessat spes, ut in antecedenti subsectione dixi, atqui in actu, sive in instanti damnationis damnati desperant: ergo amittunt habitum, & actum spei; desperatio enim est, non sperare, sperare, & non sperare dicunt

re dicunt contradictionem; ergo non possunt stare simul, desperatio damnatorum, cum spe illorum, vel in illis.

51 Conclusio 3. Neque in Christo, neque in Beatis ponenda est spes, nec quoad actum, neque quoad habitum. Firmat Angelicus Magister hic quæst. 18. art. 2. & 3. & 1. 2 q. 67. art. 4. & 5. tenent communiter omnes Thomistæ: firmat Malderus, Sylvius, Scotus in 3. dist. 31. q. 1. verum est, quod Vasq. ponit spem in Beatis, quoad actum.

52 Probat hanc conlusionem Doctor gentium ad Romanos cap. 8, dum inquit: *spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis quid sperat*; & eum secutus est Sanctus Ambrosius dicens: *manifestum est non esse spem, qua videtur*, atqui Beati in Patria obiectum beatitudinis vident, & eo fruuntur in totum, tàm quoad bonitatem, quàm quoad veritatem; ergo non potest in illis esse spes, neque quoad actum, neque quoad habitum.

53 Neque valet dicere; quod si conclusio est vera de animabus beatis, non est vera tamen de eorum corporibus, quemadmodum, nec de Corpore Christi dum vivebat in hoc vita, quamquam Anima eius semper fuisset beata, undè Corpus Christi, sicut & corpora beatorum possunt sperare gloriam suam, & Christi Corpus exaltationem nominis sui.

54 Non valet, inqam, hoc dictum; nam hic non est sermo de spe, ut sic, sed de virtute thæologali, quæ debet habere pro obiecto, quod sperat, nempe Deum iam a Beatis possessum, sperare autem gloriam corporis, & exaltationem nominis a Beatis, & Christo Domino, non est sperare Deum, neque alia, quæ sperari possunt, non autem spe thæologica: quia ista sunt quid morale positivum, spectans potius ad hominum existimationem.

55 Et si subdant, quod quamquam ista non sint Deus, sunt tamen participatio Dei; ergo a Beatis sperari possunt. Malè hoc subdunt, quia obiectum virtutis Theologalis, ut est spes, debet esse immediatè Deus, undè Religio etiamsi virtus sit, non est tamen virtus Theologica, quia etsi versetur circa cultum Dei,

naturales. Charitas tendit in Deum, quatenus est summè bonus in se, cui unimur per affectum; spes tendit in Deum, quatenus Deus est bonus nobis, & a nobis est consequendus: atqui istæ sunt rationes formales diversæ omnino; ergo spes est virtus thæologalis formaliter, & specificè diversa a fide; & Charitate, sicuti, etiam illæ inter se, & a spe virtutes diversæ specie sunt.

23 Conclusio 2. spes, non est prior fide prioritate originis, sed posterior ipsa fide; tenet idem de Valentia loco supra cit. cum multis alijs, quod etiam tuetur a D. Augustino loco citato ubi inquit: *Quomodo enim sperari potest, quod non creditur.*

24 Probatur hæc secunda conclusio; virtus, per quam nobis proponitur obiectum alterius virtutis, est prior virtute cuius obiectum proponit; atqui fides est illa, quæ nobis proponit obiectum spei; ergo fides est prior spe, atque adeo spes est posterior fide in origine. Probo minorem ex D. Augustino: *prius enim*, inquit, *debemus credere dari Beatitudinem, quàm speremus posse illam obtinere*: & hoc confirmat D. Paulus ad Habreos 11. *Accedentem ad Deum per spiritum oportet credere* (scilicet per fidem) *quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit*; ergo prius origine, sive natura est fidei habitus, quàm sit spes ipsa.

25 Conclusio3. generationis ordine, spes est prior charitate. Defendit D. Thomas hic q. 17. art. 8. verum est, quod intelligitur de actu spei, non vero de habitu, quia istæ infunditur simul cum gratia, prout ait Trident. sess. 6. cap. 6. ubi Concilium loquens de modo, quo movetur homo ad Deum per Fidem, Spem, & Charitatem, modo sequenti loquitur.

26 *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati a divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium, per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & cum peccatores se esse intelligentes, a divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei Misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi per Christum propitium fore, illum-*

 que

que tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: sic Tridentinum Concilium loquitur.

27 Probatur modo ratione. Motus animi pertinens ad imperfectum amorem est prior generatione, quàm motus animi pertinens ad amorem perfectum; sed spes est motus animi pertinens ad amorem imperfectum, & Charitas pertinet ad perfectum amorem; ergo spes est prior charitate. Maior patet, quando hoc sit commune omnibus rebus, utpotè ab imperfectioribus incipiendum esse, successivè vero perficiuntur. Probo modo minorem: amor perfectus dicitur ille, quo quis amat aliquem secundum se, qui quidem amor, amor amicitiæ vocatur. Amor vero imperfectus est ille, quo quis amat aliquem, ut ipsi amanti ab amata re aliquid utilis proveniat; & talis amor vocatur amor concupiscentiæ: at, qui amat Deum, ipsi Deo inhæret, secundum se, & qui sperat in Deo, inhæret Deo, ut ab ipso aliquid obtineat; ergo spes pertinet ad amorem imperfectum, Charitas vero ad amorem perfectum; ergo generationis ordine spes est prior Charitate.

28 Conclusio 4. Spes ordine perfectionis est posterior Charitate, & prior fide. Tenet Suarius hic disput. 4. sect. 6. & cum hæc conclusio duas partes habeat, quoad utramque partem probanda est.

29 Quoad primam partem, probo ex D. Paulo Apostolo 1. ad Corinth. 12. loquendo enim ipse de gratijs Apostolatus. Prophetiæ, &c. subiungit; *Et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro*, & sequitur loquendo de Charitate, & in fine cap. 13. enumeratis omnibus thæologalibus virtutibus, addit: *maior autem horum est charitas*. Et eo magis crescit ratio probativa mea ex D. Paulo desumpta, quia Christus Dominus Redemptor noster, loquendo de præcepto Charitatis, apud Evangelistam Mattheum cap. 22. *hoc est*, inquit, *maximum, & primum mandatum*; ergo prout positum est in conclusione, in ratione perfectionis spes est posterior Charitate.

30 Probo modo ratione eamdem primam conclusionis partem. Illa virtus thæologica est posterior, quæ perfectiori modo tendit in Deum; atqui Charitas perfectiori modo tendit in Deum, quàm virtus spei; ergo Charitas est perfectior spe: ergo in ordine perfectionis spes est posterior Charitate. Probo minorem, ex precedentibus spes tendit in Deum per amorem concupiscentiæ, qui quidem amor, ut dictum fuit, est imperfectior amore amicitiæ, quo virtus Charitatis tendit in Deum.

31 Probo modo conclusionem hanc quartam, quoad secundam partem nondum probatam, & sic illam ostendo, Spes tendit in Deum, & illum attingit sub ratione summi boni sperantis: unde cum perfectio virtutum sumenda sit a bonitate divina participata, illa virtus apparet perfectior, quæ magis participat de summa bonitate, & magis cum illa coniungitur, ac coniungit cum ea illum, qui talem virtutem habet in se. Cum ergo spes habeat pro obiecto summum bonum, licet non sit in se simpliter, est tamen prior fide, ut dictum est.

32 Conclusio 5. Spes, prout est una ex tribus thæologalibus virtutibus, est ita connexa cum virtute fidei, ut quamvis fides possit esse sine virtute spei, non tamen potest esse spes virtus thęologalis sine fide; quæmadmodum etiam spes prędicta potest esse sine Charitate, non tamen Charitas potest esse sine spe, quod intelligi potest, tàm de actu, quàm de habitu. In ordine generationis enim, tàm habitus spei, quàm aliarum virtutum, ex tribus enumeratis simul cum gratia a Deo infundantur; & sic spes non potest esse sine Charitate; in conservari vero spei habitus esse sine Charitate potest, non tamen sine habitu fidei.

33 Ratio huius conclusionis est: quia fides est fundamentum vitæ Christianæ, quo ablato ruit tota fabrica Christianitatis; quod autem maneat habitus spei sine habitu Charitatis, licet apud omnes certum non sit, tamen sic probatur, nam probabilissimum est, habitum spei non corrumpi nisi per peccatum infidelitatis, aut desperationis, non autem per alia peccata mortalia. De actu autem Charitatis, habetur per definitionem Concilij

 Triden-

Tridentini sess. 14. cap. 4. *Contrictionem imperfectam, quæ attri-ctio communiter dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consi-deratione, vel ex Gehennæ, & pœnarum metu communiter concipia-tur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ declarat non solum, non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei es-se, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pænitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat.* Notum est etiam ex illo Ecclesiast. 21. *fili peccasti? non adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur:* stultum autem esset deprecari, si non speraretur venia.

34 Obijcies 1. contra primam conclusionem: Expectatio fu-turæ Beatitudinis, pertinet ad spem, ex iam dictis, sed etiam hæc ad fidem pertinet; ergo spes non est virtus distincta à fidei virtute. Probant minorem adversarij. Etenim in symbolo fidei habetur: *Expecto resurrectionem mortuorum*: ergo expectatio pertinet ad fidem.

35 Respondeo, dicendo: quod expectatio futuræ gloriæ non ponitur in symbolo, tamquam actus fidei, sed tamquam actus, quo manifestatur fides, quam habemus de futura gloria.

36 Obijcies 2. contra secundam conclusionem. Quod poni-tur in definitione fidei, est prius fide, sed spes ponitur in defi-nitione fidei; ergo spes est prior fide; Minor patet ex Apostolo, dicente: *Fides est substantia rerum sperandarum &c.* Maior etiam probatur ab opponente sic. Quod ponitur in definitione alterius, debet esse prius illo in cuius definitione ponitur: ergo, quod ponitur in definitione fidei, est prior ipsa fide, atquè adeò spes est prior fide.

37 Respondeo, maiorem esse veram, sicut & probatio eius-dem maioris, loquendo de eo quod ponitur in definitione, tan-quam quid essentiale, & perse; non verò est verum de eo, quod ponitur in alterius definitione, tamquam circumscriptivum essentiæ. Spes verò non ponitur in definitione fidei, tamquam quid essentiale, & per se primo; sed tanquam quid circum-scriptivum, & per accidens, ut videatur connexio inter id quod credimus, & id quod credentes consecuturi sumus. 38 Obij-

38 Obijcies 3. contra eandem secundam conclusionem. Quod præcedit actum meritorium, præcedit fidem, sed spes præcedit actum meritorium: ergo spes precedit fidem. Maior propositio est vera, & manifesta, ut ex dictis cum de fide, ubi dixi ante actum fidei nullum dari opus meritorium, & omnem actum fidei meritorium esse. Minor probatur sic ab adversarijs. 1. Cor. c. 9. *debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.*

39 Respondeo; actum spei præcedere aliquem actum meritorium, sed non omnem, quod est probandum ab adversarijs, ad hoc, ut valeant inferre spem esse priorem fide, ut ipsi asserunt in sua obiectione. Si enim datur unus actus fidei meritorius, qui præcedat spem iam apparet, quod falsa sit minor argumenti contrarij. Ad dictum Apostoli, dico verum esse, quod sicut qui arat debet arare in spe fructus percipiendi, sic homo ex fide operans, operatur cum spe beatitudinis consequendæ, quare argumentum nihil facit contra conclusionem positam, immò est contra adversarios, & sic negatur eorum consequentia.

40 Obijcies 4. contra tertiam conclusionem. Illud ex quo est spes, est prius spe ipsa, atqui spes est ex Charitate: ergo, Charitas est prior spe. Probatur minor; boni animi motus ex amore, & sancta Charitate veniunt; atqui motus spei sunt boni animi motus: ergo motus spei veniunt ex charitate. Propositio maior huius argumenti est Sancti Augustini de Civitate Dei lib. 14. cap. 9. Minor patet ex iam dictis, ubi probavimus spem verè esse virtutem.

41 Respondeo; distinguo minorem; spes est ex Charitate, idest per Charitatem formatur, & perficitur, concedo minorem; est ex Charitate, hoc est, elicitur ab habitu Charitatis, nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem, boni animi motus à suo respectivè habitu eliciuntur, verum est, sed omnes perficiuntur à Charitate. Quando enim Divus Paulus hoc innuere volens dixit, se sine Charitate nihil esse, etiam si plures virtutes haberet, quia virtutes omnes à Charitate perficiuntur.

42 Obij-

42 Obijcies 5. contra quartam Conclusionem; Fides est perfectior spe ex multis Capitibus; ergo spes non est prior fide ordine perfectionis. Probatur antecedens: ex Sacra Pagina magis laudatur fides, quàm spes; actus fidei est difficilior, quàm sit actus spei. Spes habet firmitatem a fide; fides est in intellectu, qui est posterior voluntate, in qua est spes: ergo, &c.

43 Respondeo, nego antecedens, ad probationem eius dico, quod fides laudatur, quia frequentior occasio se se offert loquendi de fide, quæ est principium salutis, quàm de spe; at hoc non arguit maiorem perfectionem. Ad id, quod dicunt actum fidei esse perfectiorem, eo quia inducit maiorem difficultatem, atquè adeò perfectiorem esse, dico, falsum esse: non enim ex sola difficultate desumenda est perfectio actuum, nam ex isto argumento sequeretur, quod spes esset perfectior fide, nam ad sperandam beatitudinem supernam, & illam consequendam, & fiducialiter omnia dirigere est maxima difficultas, & sine dubio longè maior, quàm solum credere. Ad aliam rationem, nempè spem supponere firmitatem fidei, dico, verum esse, sed etiam ipsa spes habet peculiarem firmitatem, qua inhærere habet bonitati Dei, & hanc non habet a fide, nisi eo modo, quo ab ipsamet fide firmitatem Charitas habet; quæ quidem Charitas, sine controversia, est fide perfectior. Quod verò perfectio virtutis desumatur ab honestate actus (quæ quidem honestas tribuitur actibus a voluntate, non ab intellectu) & ex hoc capite magis confirmatur perfectio spei supra fidem; undè firmatæ, remanent positæ conclusiones, & solutæ difficultates, prout promiseram.

44 Esset hic quærendum, quod nam sit obiectum materiale spei. Sed quia iam ex hactenus dictis satis constat, quòd id, quod speramus per actus spei infusæ est nostra beatitudo, quòd est etiam de fide, ut colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. *Gloriamur in spe gloriæ, secundum spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus:* ideò hanc quæstionem relinquo, ut ad aliàs me transferam, quæ maioris momenti sunt, & maioris difficultatis.

SVBSECTIO IV.

Quodnam sit subiectum spei, & in quo consistat beatitudo nostra.

45 QVæstionem hanc ex duplici difficultate compactam, & & si necessarium non sit circa eius investigationem immorari, cum totum ex dictis colligi possit; actamen ut meæ curiositati satisfaciam, quoad utramquem partem illam examinabo, ac per plures, & claras conclusiones resolvam.

46 In præcedentibus iam dixi, spem corrumpi per peccatum desperationis, & per peccatum infidelitatis, hoc enim est proprium virtutum infusarum; Siquis tamen præsumeret consequi beatitudinem viribus proprijs, & sine Dei auxilium, amicteret spem sine dubio; nam in tali actu præsumptionis includitur Pelagianorum hæresis: sicut etiam amicteret virtutem spei Theologicæ, qui præsumeret per totam suam vitam vivere in peccato letali, & in fine suæ vitæ salvari sine meritis, quia talis præsumptionis actus dicit errorem in intellectu, præsumentis talia.

47 Conclusio 1. Subiectum spei virtutis Theologalis est voluntas. Tenent communiter fere omnes Theologi.

48 Probo conclusionem, nam habitus in ea potentia ponendus est, quæ debet actum illius habitus elicere; atqui habitus spei actus eliciuntur à voluntate; ergo habitus spei Theologalis virtutis in voluntate est, sicut & ipsæ spei habitus in voluntate, tamquam in subiecto proximo, subiectatur; verum est, quòd subiectum denominationis, non autem subiectionis, est totus homo, prout viator est (dixi prout viator est) nam ex istis duabus verbis deduco.

49 Conclusionem secundã, videlicet, quòd non sit spes, neque quoad actum, neque quoad habitum in damnatis.

50 Probo conclusionem, ubi est desperatio, cessat spes, ut in antecedenti subsectione dixi, atqui in actu, sive in instanti damnationis damnati desperant: ergo amittunt habitum, & actum spei; desperatio enim est, non sperare, sperare, & non sperare dicunt

re dicunt contradictionem;' ergo non possunt stare simul, desperatio damnatorum, cum spe illorum, vel in illis.

51 Conclusio 3. Neque in Christo, neque in Beatis ponenda est spes, nec quoad actum, neque quoad habitum. Firmat Angelicus Magister hic quæst. 18. art. 2. & 3. & 1. 2 q. 67. art. 4. & 5. tenent communiter omnes Thomistæ: firmat Malderus, Sylvius, Scotus in 3. dist. 31. q. 1. verum est, quod Vasq. ponit spem in Beatis, quoad actum.

52 Probat hanc conlusionem Doctor gentium ad Romanos cap. 8, dum inquit: *spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis quid sperat*; & eum secutus est Sanctus Ambrosius dicens: *manifestum est non esse spem, quæ videtur*, atqui Beati in Patria obiectum beatitudinis vident, & eo fruuntur in totum, tàm quoad bonitatem, quàm quoad veritatem; ergo non potest in illis esse spes, neque quoad actum, neque quoad habitum.

53 Neque valet dicere; quod si conclusio est vera de animabus beatis, non est vera tamen de eorum corporibus, quemadmodum, nec de Corpore Christi dum vivebat in hoc vita, quamquam Anima eius semper fuisset beata, undè Corpus Christi, sicut & corpora beatorum possunt sperare gloriam suam, & Christi Corpus exaltationem nominis sui.

54 Non valet, inqam, hoc dictum; nam hic non est sermo de spe, ut sic, sed de virtute thæologali, quæ debet habere pro obiecto, quod sperat, nempe Deum iam a Beatis possessum, sperare autem gloriam corporis, & exaltationem nominis a Beatis, & Christo Domino, non est sperare Deum, neque alia, quæ sperari possunt, non autem spe thæologica: quia ista sunt quid morale positivum, spectans potius ad hominum existimationem.

55 Et si subdant, quod quamquam ista non sint Deus, sunt tamen participatio Dei; ergo a Beatis sperari possunt. Malè hoc subdunt, quia obiectum virtutis Theologalis, ut est spes, debet esse immediatè Deus, undè Religio etiamsi virtus sit, non est tamen virtus Theologica, quia etsi versetur circa cultum Dei;

non

non verſatur tamen circa Deum immediatè, ut virtus Theologica facit.

56 Quare advertendum eſt, quod Beati in Patria deſiderant, ſicut & Chriſtus, quando erat in via deſiderabat, beatitudinem ſui corporis, ex voluntate ſe conformandi voluntati divinæ in omnibus, non verò ob commodum proprium, & hoc non per habitum ſpei Theologicæ, ſed per habitum Charitatis: quia iſte modus operandi per Charitatem, eſt perfectior modus operandi, quàm operandi modus per ſpem, quia modus operandi per ſpem eſt operari amore concupiſcentiæ. Modus operandi per Charitatem eſt operari, amoræ amicitiæ, tanto magis, quod mediante viſione beata in illis Charitas dicitur, Charitas conſumata.

57 Obijcies: in Beatis manent cæteræ virtutes, ut eſt temperantia, patientia, pænitentia, &c. ergo poteſt manere etiam ſpes. Reſpondeo, dicendo: tranſeat, quia obiecta formalia harum virtutum benè poſſunt ſtare cum beatifico ſtatu, & hoc ſecundum ſuum ſtatum formale, non verò ſecundum ſtatum, ſivè eſſe materiale; at obiectum formale ſpei repugnat cum ſtatu beatifico, quia obiectum formale ſpei Thęologalis eſt beatitudo poſſibilis, poſſibiliter acquirenda per auxilia divina; dum ergo illam actu poſſident, reſpectu illorum non eſt amplius poſſibilis poſſidenda, & conſequenter ceſſat ſpes; non ſolum reſpectu ſui, ſed etiam reſpectu aliorum, quia per beatitudinem poſſeſſam, eſt in eis deſtructum obiectum primarium ſpei Thęologicæ, & per conſequens ſpes Thęologica ipſa deſtructa eſt in eis; undè ſi alijs fortaſſis beatitudinem deſiderant, hoc faciunt per Charitatem conſumatam, quia obiectum ſpei Theologicæ eſt beatitudo poſſibilis, ut bonum ſperanti, non ut bonum alijs, & ſic totaliter manet ſoluta omnis difficultas propoſita, & quæcumque alia proponenda.

58 Concluſio 4. Noſtra beatitudo ſupernaturalis obiectiva non poteſt conſiſtere in aliquo bono externo; immò, nequè beatitudo noſtra naturalis.

59 Quarè

59 Quare pro explicatione conclusionis, advertendum est, quòd pro beatitudine obiectiva intelligo beatitudinis obiectum, nempè id, quod debemus appetere, & attingere, ut simus beati, quod est dicere, summum bonum non posse consistere in aliquo bono externo. Per bona autem externa intelliguntur bona fortunæ, ut v. g. divitiæ, honores, gloria, fama, potestas, sivè dominium, quibus, ut plurimum, ignorantes Deum existimantur esse beatos, quia ista nullum hominum quietum, & beatum faciunt, nequè illas sperare debemus per actus supernos, nequè naturæ.

60 Probo modò conclusionem, & quia duas partes habet, primò illam quoad primam partem ostendo, nempè quod felicitates naturales actibus supernaturalibus non sint concupiscendæ, ut beatitudo nostra; hoc est de fide, nempè quoad divitias in Psalmo 61. habetur: *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, & Matthæi 19. Christus iubet divitias relinquere; *Si vis perfectus esse*, inquit, *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*; quoad honores tantum habest quod sint obiectum beatitudinis, ut potius dicatur Matthæi 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecutivos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos*; quoad gloriam, & famam, reprehenduntur homines Matthæi 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, & videamini ab eis*; D. autem Paulus Apostolus ad Thessalon. 1. c. 5. loquendo de hac re sic ait: *Loquor non quasi hominibus placentes*, & infra: *nec quærentes ab hominibus gloriam, nequè a vobis, nequè ab alijs*, circa potestatem habetur Sapientiæ 7. *datus est mihi Spiritus sapientiæ, & præposui illam, regis, & sedibus*, & clarè S. Petrus Apostolus Epistola 1. cap. 2. præcipit subiectionem hijs verbis: *subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, sivè Regi, quasi præcellenti, sivè Ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia sic est voluntas Dei*: Omnibus in universum probatur; quia supernaturales actus tendere

debent

debent in aliquod obiectum supernaturale, ista autem enumerata omnia naturalia sunt; ergo, &c.

61 Probo modò secundam partem: nempè quoad actus naturales, de divitijs, istæ quæruntur ad substentandam vitam humanam; ergo factæ sunt propter homines, non homines propter ipsas, itaque in ipsis non est nostra beatitudo, etiam naturalis. Probo hanc ultimam consequentiam; nostra beatitudo est noster ultimus finis: ergo propter ipsam, & in ordine ad ipsam debent esse nostræ actiones, & etiam nos ipsi; ergo, si divitiæ quæruntur propter nos, ipsæ non sunt dicendæ finis hominis, sed potius homo finis divitiarum, atquè adeò in illis non potest consistere nostra beatitudo, & hoc verum est, non solum de divitijs naturalibus quibus subvenitur defectibus humanæ naturæ, ut sunt cibus, vestes, potus, &c. verum de artificialibus, quibus natura humana, secundum se, non iuvatur, cum ea tantum sint inventa pro facilitate commutationis, ut sunt pæcuniæ, &c. De honoribus, quamvis sufficerent Augustini verba sermone 12. de verbis Domini cap. 5. *bonum est id, quod non potest invitus amitti, potest homo honorem perdere, bonum, quod verè bonum est, nec invitus accipit, nec invitus amittit*, nihilhominus demonstratur in ipsis non consistere nostram beatitudinem, ex eo quod honor est propter aliud, & in honorante non in honorato, & evidens est debere in me esse id, quòd me beatum constituit; utrumque probatur ex definitione honoris, est enim honor, *protestatio, seu testificatio excellentiæ, quæ est in honorato:* ut videre est apud Sanctum Thomam 2. 2. q. 103. art. 1. & 2. & ex Aristotile 8. Ethichorum; ergo excellentia illa ob quam exibetur honor, est quid melius, & magis appetibile, quàm ipse honor. Item illa testificatio est in testificante; ergo ipse honor ex nullo capite potest esse nostra beatitudo naturalis. De gloria probatur, etiam sumendo gloriam ipsam in sua propria significatione latina, in qua significat idem, quod fama laudabilis, undè ait Cicero libro de inventione gloriæ: *est frequens fama cum laude*, & in hoc sensu; Probatur Conclusio

de ratione beatitudinis obiectivæ est, quod per propriam actionem beati possideant tanquam bonum proprium ipsorum: atqui gloria non potest haberi, aut possideri per propriam actionem illius, cuius est gloria: ergo in gloria mundi non potest consistere nostra beatitudo obiectiva naturalis. De potestate, seu dominio probatur, nempè quod in ea non potest cōsistere nostra beatitudo obiectiva, & probo sic. Dominium, vel est dispoticum, vel economicum, vel politicum: sed in horum nullo est beatitudo nostra: ergo, &c. Probo minorem. Dominium dispoticum est violentum, & cum beatitudo naturalis sit bonum naturæ consentaneum, in violentia consistere non potest. Economicum subditur dominationi superiori, & consequenter non est proprium Dominium, sivè propria dominatio, sed ad summum dicendum est Dominium secundum quid, & in parte. Remanet igitur difficultas in sola dominatione politica, de qua sivè sit Regia, sivè Aristocratica, sivè Democratica, numquam in illa nostra beatitudo naturalis consistere potest. Probatur minor, quia dominatio est propter bonum Populi, atquè propter alium, Beatitudo verò non; ergo dominium, sivè dominatio non potest esse beatitudo. Probatur minor, quia, ut dixi, dominium, seu dominatio est propter bonum Populi; nam secundum civilem dominationem; ait Doctor Angelicus Protector Meus par. 1. q. 92. art. 1. ad 2. Præsidens utitur subditis ad eorum utilitatem, & bonum (utinam sic esset in actu exercito, sicut de iure facere deberent) his positis remanet probata satis conclusio mea; sed quia remanet venenum argumentorum dissipandum, ideò obiectiones in contrarium proponam, & Deo dante resolvam; sit itaque.

62 Obijcies 1. Beatitudo est noster ultimus finis; ergo in eo maximè consistere debet, in quod tendit affectus humanus. Sed huiusmodi sunt divitiæ; ergo divitiæ sunt noster ultimus finis, & beatitudo nostra. Probatur assumptum ab arguentibus contra meipsum, tum ex cap. 10. Ecclesiast. ubi habetur: *pecuniæ obediant omnia*, tum quia desiderium summi boni est infinitum, at-

qui

qui divitiarum desiderium huiusmodi est; ergo desiderium divitiarum, est desiderium summi boni, & per consequens divitiæ sunt id, in quod maximè tendit affectus humanus.

63 Respondeo, negando subsumptum, & ad probationem primam Ecclesiast. dico, quod scriptura ibi loquitur de stultis, & malis principibus, si qui sint, quod non credo, apud quod valet amor pæcuniæ supra omnes alias passiones; de nostra autem vera fœlicitate iudicare spectat ad sapientes, apud quos, nulla est iniquitas, & nihil iniquius, quàm pæcunias amare, ut habemus apud Ecclesiast. 10. ad secundam probationem, nego desiderium divitiarum esse infinitum, non solum physicè (quamvis ego infinitum physicum admittam in meo Sertu Phylosophico, cum de infinito par. 2.) sed neque moraliter, sed esto quid ad me, quod esset beatitudo non consistit in infinito, ut sic, sed in summo infinito, hoc est in infinito simpliciter; in ò divitiæ habitæ contemnuntur, non sic beatitudo, a cuius amore beati deficere, nec a provisione illius desistere possunt, divitiarum autem in sufficientia ad satiandum hominem hinc fit manifesta, nam iuxta vulgatum dictum, *crescit amor nummi, quantum ipsa pæcunia crescit*, vel iuxta illud aliud, *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur, & aquæ*: de divitibus respectu divitiarum intelligendo.

64 Obijcies 2. beatitudo, vel est ponenda in premio virtutis, vel in eo, quod maximè convenit Deo; vel in bono, quod est maximè, & ultimo desiderabile; atqui honor habet hæc omnia; ergo beatitudo nostra ponenda est in honore. Probatur minor ab adversarijs sic: quod honor sit premium virtutis, habetur par. 1. Ethic. cap. 5. quod vero maximè Deo conveniat, est clarum ex 1. Corinth. 5. *soli Deo honor, & gloria*, quod maximè desideretur, constat experientia, cum facilius feratur iactura ab homine cuiuscumque rei quàm honoris. Quod vero ultimo desideretur; patet in studiosis, qui non contenti de acquisita virtute, ulterius honorari quærunt.

65 Re-

65 Respondeo, negando minorem, & ad eius primam probationem dico, quod præmium considerari potest, vel ex parte tribuentis ipsum, vel secundum se, vel ex parte illius cui datur, si consideretur primo modo, certè honor est præmium virtutis, quia si honor alicui debetur, maximè illi, qui virtuosè operatur, debetur, & respublica non potest pro virtute tribuere nisi premia extrinseca, & inter cætera tribuit honorem, sicuti facit Rex, & Princeps. At si premium consideretur secundo modo, non solum honor non est premium virtutis, sed ambitiosus esset, qui propter honorem operaretur. Ad secundam Deo, in eo ponendam est beatitudinem, quod maximè convenit Deo, secundum se: honor autem non convenit Deo secundum se, sed propter excellentiam, quæ est in Deo, unde potius in tali excellentia Dei ponenda est beatitudo, quàm in honore, qui ex excellentia sua illi tribuitur. Ad tertiam rationem adductam ab adversarijs, nempe, qui studiosè operatur propter honorem tantum, dico, quod id facit ob depravatum ambitionis affectum; debet itaque desiderari excellentia, cuius honor est manifestativus, non autem ipse honor. Ad aliam ultimam rationem, nempe qui verè studiosus est; ipsa virtute contentus, honores non solum non appetit, sed apertè contemnit, nisi ratione status, vel officij teneatur illum ab inferioribus exigere.

66 Obijces 3. Beatitudo naturalis est ponenda in eo, quod est maximè appetibile, stabile, & maximè sui difusivum, & simillimum supernæ beatitudini, atqui sic est gloria mundi; ergo in tali gloria ponenda est beatitudo naturalis. Tota difficultas est in demonstratione minoris, quæ sic ab adversarijs probatur, nempe quod gloria mundi sit maximè appetibilis, habetur ex Cicerone; *optimus quisque maximè gloria ducitur*, quod maximè stabilis, ex Boetio lib. 5. de consolatione prosa 7. *suos immortalitate vobis propagare videmini, cum futuri tamen temporis cogitastis;* quid sit sui diffusiva potest, quia per gloriam non aliorum notitiam veniunt virtuosi, quod simillimum sit beatitudini supernaturali, patet etiam quia hæc in gloria consistit, ut

videre

videre est in pluribus sacræ paginæ locis; Psalmo enim 16. *satiabor cum apparuerit gloria tua*, & Ps. 8. *gloria, & honore coronasti eum*, ad Rom. 5. *non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; ergo, &c. beatitudo naturalis in gloria consistit.

67 Respondeo, negando minorem, & ad eiusdem minoris primam probationem dico, quod gloria dicitur bonum, quia gloria est quid concomitans ipsam beatitudinem; cum itaque unusquisque desiderat beatitudinem, consequenter desiderat gloriam concomitantem, & si desiderium sit debitè ordinatum, de quo hic fit sermo, non appetit gloriam, nisi ut quid consecutivum ad excellentiam, pro qua gloriam ipsam consequimur. Ad secundam rationem ex Boetio allatam dico, illa verba non ex sententia sua esse, sed aliorum; imò ipse probat ibi, desiderium gloriæ esse desiderium vanum, nulloque modo posse ad æternitatem comparari; ad tertiam arguentium rationem dicendum est, quod non ipsa gloria est sui diffusiva, sed bonum ad quod consequitur gloria, quæ potius dicenda est id, quo bonum diffunditur. Addo, quod diffusio, quæ fit per sui communicationem est illa, quæ propriè convenit bono, non vero diffusivo, quæ fit per aliorum notitiam; ad quartam oppugnantium rationem dico sic, si per gloriam intelligatur aggregatio bonorum omnium, quæ est in statu beatitudinis; verum est, quod in eo ponenda est beatitudo naturalis, quia est simillimum illi statui, sed si sumatur gloria in sensu quæstionis, quæ hic modo agitatur, in ea non consistit beatitudo, & loca scripturæ abducta ab adversarijs meis loquuntur evidenter de gloria, prout dicit statum beatitudinis æternæ, unde nulla est consequentia ex illis inducta.

68 Obijcies 4. Beatitudo est summum bonum, atqui summum bonum est potestas; ergo beatitudo naturalis est potestas. Probatur minor: summum bonum nostrum positum est, vel in optima vita, & actione, vel in eo in quo magis Deo assimilamur; vel in eo quod in se sufficiens est, aut in oppositum eius, quod

evitari debet. Constat autem illum, qui cæteris dominatur posse plurimas, & pulcherrimas res agere, & magis asimilari Deo, qui supremam habet potestatem; immò Principes *Exodi* 22. vocantur sufficientes, cum se non solum, sed & alios regunt, & opponi servituti, quæ maximè vitatur ab hominibus; ergo potestas est summum bonum.

69 Respondeo, negando minorem, & ad probationem primam dico verum est quod summum bonum acquiritur per optimam actionem, non vero est verum, quod sit optima actio; potestas vero non semper acquiritur per actionem, cum sæpe habeatur a maioribus hereditario iure; qui autem præest, sicut potest facere plurima bona, ita potest facere turpissima; preterquam quod potestas est aliorum gloria, ut supra dixi, ad secundam rationem ex adverso dico, in eo ponendam esse beatitudinem, in quo magis Deo asimilamur secundum rationem bonitatis, non vero secundum rationem potestatis; etenim aliquando videmus magis potentes, magis malos, & sic minus Deo similes. In scripturis Principes vocantur Dij, quia Deus ipsis participavit potestatem iudicandi, sed vocantur Dij etiam iusti, quibus ipse Deus communicavit suam gloriam, quæ est maxima communicatio divinæ naturæ, idest bonitatis. Ad tertiam adversariorum rationem dico, falsam esse omnino: quia multoties qui dominantur sunt minus sufficientes, quàm ceteri imò omnino inhabiles, quare ut plurimum habent pedagogum male vitæ, & sic fabrica Reipublicæ tota ruit. Tum quia dominatio pendet ab alijs, & sic non potest quis dominari, nisi subditos habeat; ergo non est persona sufficiens; ad quartam dicendum est, quod servitus multiplex est, sed quia ut argumentum habeat vim, loqui debet de servitute, quæ opponitur dominationi politicæ, de qua est quæstio, utrum posit esse nostra beatitudo; illam servitutem esse summum malum, quod vitari debeat; immò in huiusmodi servitute, quæ potius debet dici subiectio, multi fœliciores sunt, quàm in ipsa dominatione.

70 Conclusio 5. Beatitudo nostra non potest consistere in aliquo bono corporis. Est communis inter Thæologos.

71 Probo brevissima ratione conclusionem positam, nam corpus ordinatur ad animam, ut pars perfectibilis ad perfectivam, sive ut dicunt Aristotelici, tamquam materia ad formam: ergo anima est finis corporis, atque adeo in bonis corporis nostra beatitudo consistere non potest. Probatur ultima consequentia; beatitudo est finis ultimus, sed corpus ordinatur ad animam, ut ad finem; ergo corporis sanitas, &c. non est finis ultimus, &c, & per consequens, nec beatitudo naturalis in illo consistit.

72 Obijcies. Beatitudo consistit in eo, quod est optimum, sed optimum est salus corporis; ergo in corporis salute beatitudo consistit. Probatur minor, cum maior certa sit; ex sacra enim pagina Ecclesiast. 13. *non est census supra censum salutis corporis*; tum quia, quod est communis, est diutius; bona vero corporis sunt communia, cum brutis etiam conveniant. Additur, quia pulchritudo est bonum corporis, videtur esse id, quod magis appetitur, præmiatur, & elucescit; unde Porphirius cap. de specie, dixit: *ergo digna est imperio*, & Virgilius. Subdit, gratior est pulchriori veniens in corpore virtus.

73 Respondeo, dando maiorem, & minorem negando, ad probationem minoris dico, quod Ecclesiasticus comparat in illo loco bona corporis cum bonis externis, & dicit sanitatem, quę bonum corporis est, præstare bonis externis, immò inter bona corporis sanitatem esse potiorem; quod etiam dixit Plato in Borgiam cum ait: *optimum esse colere*; secundo formatum esse, tertio divitias possidere; secunda probatio vera est de illo esse, quod est commune per participationem eiusdem esse, quomodo non sunt communia bona corporis, ad ea quæ adversarij mei dicunt de pulcritudine verum est, quod virtus in pulchro viro est amabilior, atque magis cospicua, sed non bene inde infertur, pulchritudinem esse ipsa virtute præstantiorem, immò ego dicerem libenter, quod virtus resplendere pulchritudinem faciat.

74 Conclusio 6. Beatitudo naturalis non consistit in voluptate, sive delectatione corporali. Est contra multos, & præcipue contra illos, qui Sapientiæ 2. dicebant: *ubique relinquamus signa letitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & sors nostra*: intelligitur autem de obiecto delectationis, non autem de delectatione ipsa, & quidem si loquamur de beatitudine supernaturali est de fide, cum dicat Christus Dominus: Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei*, & D. Paulus ad Romanos 14. *Non est in regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*.

75 Probo assumptum, quàm brevissimè, sed clarè: essentia bonitatis est esse bonum perfectum, atqui delectationes corporis non sunt huiusmodi; ergo delectationes corporis non sunt nostra beatitudo. Maior propositio est certa, minor probatur. Bonum, quod appræhenditur a sensu, non est bonum perfectum, atqui delectationes corporales appræhenduntur a sensu; ergo delectationes corporales non sunt bonum perfectum. Probatur maior, etenim bonum, quod apprhænditur a sensu, est bonum singulare, non habens nisi talem rationem boni, bonum autem perfectum, est illud bonum, quod omnem rationem boni habet; ergo, &c.

76 Obijcies. Ista conclusio est contra scripturam de beatitudine supernaturali, & contra rationem de beatitudine naturali; ergo non est ponenda. Probatur antecedens, quoad primam partem ex Luc. 22. *Ego dispono vobis*, inquit Christus, *sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis supra mensam meam in regno meo*, quoad secundam etiam probatur, ex eo quod omnia animantia sunt talia, quia rationalia delectationem appetunt, ex eo quod delectatio non appetitur propter aliud, quam, ut reddat cętera bona magis appetibilia, ita ut videatur esse complementum omnium bonorum, & ex eo, quod ipsam maximè optimus, sicuti, & eius contrarium maximè fugimus.

77 Respondeo, negando antecedens; nam Christus loquebatur de illo cibo, de quo locutus fuerat Ioann. 4. *Ego cibum habeo*

beo manducate, quem vos nescitis; meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est. Ad primam rationem, relictis varijs Doctorum placitis, mihi videtur facile ipsam solvi ex ipsa mea ratione. Si enim beatitudo acquiri debet per actionem, quæ fiat ex directione agentis, ut visum est, eo ipso quod delectationem corpoream appetunt non solum rationalia, verum etiam irrationalia, eo ipso nostra beatitudo non potest consistere in delectatione corporea. Ad secundam rationem nego, delectationem, quandoque non appeti per aliud; constat enim experientia, nos ipsas delectationes corporeas dirigere in alios fines honestos, v. g. cum assecutione ciborum delicatorum in finem bonæ sanitatis, ut melius religioni inserviamus, & Deo; coniugatos dirigere voluptates venereas ad prolem procreandam, & similia, &c. Ad tertiam, quisquis sit ad ipsius veritatem, reddere magis appetibilia cætera bona, non est proprium delectationis, sed cuiuscumque boni, nam quodlibet bonum additum alteri bono, reddit bonum primum appetibilius; quia quodlibet bonum est magis appetibile, si habeat adiunctum aliud bonum, quàm si sit ab alio bono seiunctum. Ad quartam rationem exadverso abductam, dico totum falsum esse; quia licet appetitus delectationis sit sensibilis, & vehemens, non tamen quiescit mens nostra post illius acquisitionem; immò multoties sequitur tristitia, vel tedium, nec ipsius contrarium est maximè fugiendum, cum dolor animi sit magis fugiendus, quàm dolor corporis.

78 Conclusio 7. Nostra obiectiva beatitudo non consistit in aliquo bono animæ, est intelligenda conclusio de bono intrinseco ipsi animæ, & animæ intellectivæ.

79 Probo conclusionem; si obiectiva beatitudo consisteret in aliquo bono animæ, istud bonum, vel esset in ipsius animæ essentia, vel esset potentia ipsiusmet animæ, vel esset habitus in potentijs ipsius animæ, vel actus, sed nullus horum potest esse nostra beatitudo; ergo, &c. Probo minorem de animæ essentia, quia cum homo numquam suam essentiam amittat, numquam

 amit-

amitteret suam beatitudinem, & sic semper esset beatus. Tum quia beatitudo est bonum perfectissimum, sed anima semper, & semper magis perficitur per suos actus: ergo anima, seu eius essentia non est bonum perfectissimum, & per consequens, nec beatitudo. Eadem ratio probat etiam de potentijs animæ, nam ipse per actus suos perficiuntur; de habitibus est etiam pro me ratio convincens, quia ipsi habitus ordinantur ad actus, & sic non possunt esse ultimus finis, quando ad ulteriorem finem ordinentur; de actibus, relicta distinctione actuum spectantium, ad vitam activam, & actuum vitæ contemplativæ: probatur de omnibus in universum. Quando anima agit ex sui directione, tunc propriè agit propter finem: ergo in nulla operatione animę rationalis potest ipsius animę consistere beatitudo. Probo consequentiam; vel illa operatio, quæ tamquam obiectum beatificans intenditur ab anima, ulterius dirigitur in alium finem, vel non si primum, iam non est finis ultimus, & per consequens nec beatitudo; si non dirigitur non est operatio perfecta animæ, quæ secundum suam rationem agit propter finem; ergo non est beatitudo, nam hæc debet esse quid perfectissimum,

80 Obijcies. Illum, cui appetimus aliquod bonum magis amamus, quàm ipsum bonum; sed unusquisque sibi appetit quodcumque bonum; ergo plus seipsum diligit, quàm quodcumque aliud bonum, sed illud est beatitudo obiectiva, quod est magis bonum amatum, quam quodcumque aliud bonum, ergo homo est sua beatitudo obiectiva, sed non ratione corporis, ut probatum est superius: ergo ratione Animæ, sed Anima, secundum substantiam, est excellentior alijs obiectis, quæ in anima sunt: ergo Anima rationalis, secundum substantiam suam, est hominis beatitudo.

81 Respondeo, dando totum argumentum: & subsumptum distinguo. Illud est beatitudo obiectiva, quod est bonum magis amatum; quàm quodcumque aliud bonum, nempè cuius gratia amatur quodcumque aliud bonum, concedo subsumptum. Cui amatur quodcumque aliud bonum, nego subsumptum; &

sic

ſic nego conſequentiam; nam homo non eſt id, cuius gratia amatur quodcumque bonum, ſed id cui amatur. Ad hoc autem ut argumentum contra me factum vim habeat, deberet ſumere particulam comparativam magis in eadem linea amoris. Datur enim duplex amor, ut pluribus in locis dixi; nempè datur amor amicitiæ, & amor concupiſcentiæ. Poſſum ego amare Deum amore concupiſcentiæ, & amore meipſum, amore amicitiæ, quando amo Deum, ut bonum mihi, non ſequitur quod in tali caſu, magis amem meipſum, quàm Deum; ſed ſolum ſequitur, quod ego amem me amore meliori, qui tamen amor ultimatè poteſt dicere ordinem ad Deum, ſivè dicerem, quod tanto magis meipſum amarem, quàm Deum, & quod maius bonum vellem mihi quàm Deo, vel quod mihi velle maius bonum, quàm ſit Deus. Quod eſt ridiculum, immò erroneum dicere.

82 Obijcies iterum contra eamdem Concluſionem. Beatitudo eſt hominis bonum; ſed hominis bona vel ſunt exteriora, vel bona corporis, vel bona Animæ: ergo beatitudo, vel eſt in bonis externis, vel in bonis Corporis, vel in bonis Animæ. Sed non in bonis externis, vel in bonis Corporis, ut ex præcedentibus: ergo in bonis Animæ; Addunt arguentes, & dicunt, quod beatitudo habet perficere intellectum, quem beare habet, ergo beatitudo eſt perfectio hominis quem beat.

83 Reſpondeo; Beatitudinem eſſe bonum hominis externum, ſed non ex illo ſupra iam excluſo, ibi enim dixi quod bona externa intelliguntur bona fortunæ. Beatitudo igitur eſt quid extrinſecum, & extrinſecè perficiens hominem, nec alio modo eſt hominis bonum, ſed non eſt inter illa bona, quæ veniunt nomine boni externi.

84 Concluſio 8. Beatitudo noſtra obiectiva non poteſt eſſe in aliquo creato. Eſt propoſitio indubitata, & evidens, & ſi non indigeat probatione, illam tamen paucis verbis oſtendam.

85 Probo Concluſionem. Beatitudo obiectiva ex natura ſua eſt bonum quod voluntatem totaliter ſatiat, & quietam illam

reddit;

reddit; ſed nullum bonum creatum totaliter quietat, & ſatiat noſtram voluntatem; ergo in nullo bono creato poſita eſt hominis beatitudo obiectiva. Probo minorem, obiectum voluntatis, eſt bonum univerſale, ſivè omne bonum; ergo nihil poteſt quietare voluntatem, niſi id, quod continet in ſe omne bonum; atqui nullum bonum creatum continet omne bonum: ergo nullum bonum creatum poteſt quietare totaliter voluntatem humanam, ut hijs non obſtantibus.

86 Obijcies. Homo efficitur Beatus per id, per quod ſatiatur eius deſiderium, ſed hominis deſiderium non extenditur ad maius bonum, quàm homo poſſit capere: ergo homo efficitur beatus per bonum, quod hominis deſiderium capere poteſt; ſed hominis deſiderium non excedit limites totius creaturæ; ergo homo efficitur Beatus per bonum creatum, atquè adeò in bono creato conſiſtit hominis beatitudo. Probatur ab impugnante ſubſumptum. Voluntas hominis non eſt capax infinitæ ſatietatis: igitur finitæ: ergo ſatietatis cuius cauſa eſt finita; atquè adeò ſatietas, quæ ab obiecto creato cauſari poteſt; & per conſequens hominis deſiderium non excedit limites totius creaturæ.

87 Reſpondeo; concedo maiorem, &c. Et nego minorem ſubſumptam; quamquam homo non poſſit per modum inhæſionis, capere aliquod excedens limites totius creaturæ, poteſt nihilhominus capere illud per modum obiecti. Ad id quod dicunt arguentes de infinita ſatietate; verum quidem eſſet, ſi loqueremur de infinito chathegorematico, non verò de infinito ſincathegorematico, ut dicunt Ariſtotelici; ſed per me hoc nihil facit: quia ego talem infinitum cathegorematicum in natura admitto, quod quidem infinitum cum ſit ab alio non excedit naturæ, ſivè creaturæ capacitatem, tàm activam, quàm paſſivam, at ad ſatiandum voluntatis deſiderium non ſufficit bonum infinitum creatum, cum non contineat in ſe omnem bonitatem, ſed ſolum ſatiativum talem habet bonum increatum, & ſic nego, quod in bono creato conſiſtat hominis beatitudo.

88 Obij-

88 Obijcies 2. Illud bonum, quod summè perficit hominem, est hominis obiectiva beatitudo, sed Angelorum natura est bonum, quod summè perficit hominem; ergo Angelorum natura est obiectiva hominum beatitudo. Probatur minor; Natura inferior tunc est summè perfecta, cum infimo naturæ superioris coniungitur; ergo natura hominis quæ est inferior, tunc est summè perfecta, cum unitur naturæ Angelicæ, quæ est infimum naturæ superioris; ergo Angelorum natura est hominum beatitudo. Probatur antecedens ex authoritate D. Dionysij de divinis nominibus cap. 4. ubi docet: divinam sapientiam coniungere fines primorum principiorum, cum principijs secundorum, ex quibus DD. colligunt, summum naturæ inferioris esse attingere infimum naturæ superioris.

89 Respondeo; nego minorem, & ad probationem minoris negatæ nego antecedens, neque id deducitur ex Doctrina Dionysij, qui voluit docere, supremum naturæ inferioris coniungi cum infimo naturæ superioris & in essendo, & in operando: ex quo sequitur, quòd homo qui est supremum naturæ corporeæ uniatur Angelo, qui est infimum naturæ spiritualis. Homo enim in sua essentia attingit immaterialitatem Angelorum, quem ordinem servat etiam in operando; quia homo (ex eo quod sit supremum naturæ immediatè inferioris, operatur intelligibiliter, sicut Angelus, qui est infimum naturæ immediatè superioris, neque ex ista coniunctione sequitur intentum arguentis, etenim homo per talem coniunctionem, non summè perficitur. Quod hoc sit dictum Sancti Dionysij, patet legenti actentè, ibi enim discurrit ipse Dionysinius de divina bonitate, quæ per circulum communicatur omnibus creatis.

90 Conclusio ultima. Nostra beatitudo obiectiva est solus Deus, sequitur præsens conclusio ex dictis, & est communis omnium Theologorum, atquè de fide.

91 Probo 1. ex Sacra Scriptura Genes. 15. *Ego ero*, ait Dominus, *merces tua magna nimis*: & Ps. 72. *Quid mihi est in Cælo, & a te quid volui super terram; deficit caro mea, & cor*

meum

meum, *Deus cordis mei*, *& pars mea Deus in æternum*; & Pſ. 143. *Beatus populus*, *cuius Dominus Deus eius*; ex quibus locis conſtat Deum eſſe totam illam mercedem, quam ſperare poſſumus; in Deum ſolum noſtras actiones debere tendere, ut poſſimus eſſe beati.

92 Probo etiam ratione. Noſtra beatitudo eſt bonum ſummū, & per ſe ſufficiens ſatiare noſtrum appetitum: atqui ſolus Deus eſt bonum ſummum, & per ſe ſufficiens ſatiare noſtrum appetitum; ergo ſolus Deus eſt noſtra beatitudo obiectiva. Probo minorem, cum maior certiſſima ſit. Illud eſt ſummum bonum per ſe ſufficiens, &c. Quod ſolum a cæteris ſegregatum, expetibilem vitam facit, nec ullius rei indiget; atqui Deus per ſuam eſſentiam eſt ſummum, & præſtantiſſimum bonum, nullius alterius boni indigens: ergo eſt ſufficiens ſatiare noſtrum appetitum. Probatur minor, nam merces magna nimis, eſt idem quod merces ſufficientiſſima: ergo ex ſupra dictis omnibus concluſionibus inferri ſine dubio debet, quod ſolus Deus ſit obiectum ſpei noſtræ, quæ eſt virtus Theologica, quia cætera bona nos non ſatiant, neque ſatiare poſſunt, cum Deus ſolus huiuſmodi ſit ſatiativus noſtræ voluntatis: ergo ſolus Deus erit beatitudo obiectiva hominis.

SVBSECTIO V.

De annexis Spei.

93 DVbitatur a DD. An timor eliciatur a virtute ſpei, nam ſpes ſibi ſemper annexum habet timorem, & quia hanc quæſtionem non poſſum reſolvere, abſquè eo quod prius aliqua prænotentur, hinc eſt, quod antequam difficultatem decidam, videndum eſt quid, & quotuplex ſit timor.

94 Dicendum eſt 1. Duplicem eſse timorem, unus dicitur timor humanus, Divinus. Timor humanus eſt timor ille, quo timemus malum, quod ab hominibus inferri poteſt, vel

quod

quod hominibus malum temporale eſt. Timor divinus eſt ille timor, quo timemus, vel divinum malum, vel illud quod Deus inferre poteſt, aut ſpecialiter infert.

95 Dicendum eſt 2. quod præter hanc diviſionem timoris, alia diviſio timoris datur, nempe in filialem, & ſervilem dividitur timor. Timor filialis eſt ille, qui eſt de culpa, quatenus diſplicet Deo, proprium enim eſt filij ingenui, & recognoſcentis ſe eſſe debitorem patris ſui eſſe, nolle peccare, nec quidquam facere, quod patri diſpliceat. Timor ſervilis eſt ille, qui eſt de pœnis, proprium eſt namque ſervorum nolle peccare, propter pœnas, quas timent.

96 Quod ſi Durandus in 3. diſt. 34. dicat: timorem filialem eſſe de pœna damni, ſervilem verò de pœna ſenſus, arguendo ſic. Timor eſt de re, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed vitare culpam eſt in noſtra poteſtate: ergo timor filialis non poteſt eſſe de culpa.

97 Reſpondendum eſt Durando, falſam eſſe maiorem ſui argumenti, nam ad eſſe timoris ſufficit, ut timor ſit de re ardua, & difficili, qualis eſt peccatorum evitatio.

98 Dicendum eſt tertio, timorem ſervilem dividi in bonum, & malum. Timor ſervilis bonus eſt, quando timetur pœna, quatenus in ſe mala eſt, & occaſione huius timoris ſit converſio in Deum, & fugatur malum: & talis timor bonus eſt, prout definitum fuit in Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & alibi contra Lutherum; alius timor ſervilis eſt illæ, qui non eſt conformis rationi, ſed ſolum quatenus timetur pœna, ut ſummum malum; itaut ſi non timeretur pæna, quis magis peccaret, ut ſiquis diceret: ſi pœna non eſſet impoſita occiſoribus, ego occiderem omnes meos inimicos; & talis timor malus eſt, & vocatur timor ſervilis cum ſervilitate.

99 Dicendum eſt quarto. Timorem filialem dividi, in initialem, & perfectum; & iſti timores non differunt niſi ſecundum magis, & minus; itaut filialis initialis timor ſit incipientium; filialis, & perfectus perfectorum ſit: quemadmodum

Charitas, alia est fidelium incipientium, alia fidelium perfectorum, his positis, ad decisionem quæstionis devenio; sit itaque.

100 Conclusio 1. Timor filialis est donum Spiritus Sancti, & habet suum particulare habitum infusum, a quo habet elicere actus, hæc conclusio est de fide.

101 Probatur 1. authoritate Esaiç cap. 11. *& replebit eum Spiritu timoris Domini*. Tum quia ex acceptatione S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quæ inter septem dona Spiritus Sancti enumerare habet timorem, cuius timoris nomine intelligit filialem, etiam initialem, cum inter se non distinguantur secundum substantiam, sed solum secundum rationem.

102 Probo etiam ratione. Donum Spiritus Sancti est omne illud, per quod homo redditur bene mobilis ab eodem spiritu, sed per timorem filialem homo redditur benè mobils a Spiritu Sancto; ergo timor filialis est donum Spiritus Sancti. Maior propositio patet, quia sicuti per virtutes morales homo redditur benè mobilis a ratione, ut secundum ipsam possit suas actiones commensurare, ita per virtutes infusas, & dona Spiritus Sancti debet reddi benè mobilis a Spiritu Sancto, ut secundum ipsum possit suas actiones commensurare. Dantur enim duæ regulæ, secundum quas possit, & debeat homo actiones suas commensurare, ut sint virtuosæ; una naturalis, quæ est ratio, altera supernaturalis, quæ est Deus, illam respiciunt actus supernaturales habitus eliciti, istam actus eliciti per habitus supernaturales. Probo minorem. Ad hoc ut aliquis sit benè mobilis ab alio, debet ei esse perfectè subiectus: ergo per id redditur homo benè mobilis a Spiritu Sancto, per quod ei perfectè subjicitur: ergo per timorem filialem homo redditur benè mobilis a movente, inquantum ei non repugnat, cum motus impediatur ex repugnantia, sive ex mobilis resistentia. Probo subsumptum: quia per timorem filialem reveremur Deum, & fugimus ipsum offendere.

103 Conclusio 2. Timor initialis est etiam donum Spiritus Sancti, unde ab eodem habitu oritur timor initialis, a quo oritur timor filialis, ut supra dixi.

104 Probo propositionem meam positam sic. Timor initialis secundum substantiam, est idem cum timore filiali; ergo si timor filialis est donum Spiritus Sancti, ergo etiam timor initialis talis erit. Probatur antecedens. Charitas perfecta, & imperfecta non differunt, secundum substantiam, sed timor initialis propriè sumptus, & timor filialis se habent, ut Charitas perfecta, & imperfecta: ergo non differunt secundum substantiam. Probo minorem; quia timor initialis ideo dicitur initialis, quia competit statui incipientium, in quibus inchoatur timor per inchoationem Charitatis, qua Charitate crescente, perficitur etiam timor, & fit filialis. Hoc videtur insinuasse Ioann. Epist. 1. cap. 4 dicendo: *Timor non est in Charitate, sed perfecta Charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in Charitate*: ex quibus verbis habemus, in Charitate imperfecta contineri timorem recipientem pœnam; in Charitate vero perfecta non remanere timorem respectu pœnæ.

105 Neque dicas, Ecclesiast. 2. habetur: *timor Dei initium dilectionis eius*: ergo timor initialis, & timor filialis non sunt idem secundum substantiam. Probo consequentiam, dicunt arguentes: quod causatur ex dilectione differt secundum substantiam ab eo, quod causat ipsam dilectionem; sed timor filialis causatur ex divina dilectione, & timor initialis causat ipsam dilectionem: ergo isti duo timores non sunt idem secundum substantiam.

106 Ne dicas hoc, inquam, quia possum negare, quod locus Ecclesiastici debeat intelligi de timore initiali; nam potest intelligi de timore servili, qui Charitatem introducit in animam cum ex timore pœnæ multoties moveatur homo ad dilectionem Dei. At dato, quod verba citata intelligantur de timore initiali, dico eum esse simul causam, & effectum Charitatis, est effectus Charitatis; quia per Charitatem de initiali fit filialis, est causa Charitatis perfectæ; quia ex timore movetur homo ad amandum Deum. Explico totum exemplo caloris, sicut enim ignis per calorem disponentem lignum fuit in lignum prædominans, vel ut dicunt Aristotelici, introductus, & ex igne prædominante

in ligno procedit calor, qui non differt ſpecie a calore, qui iam diſpoſuit lignum: ita timor initialis diſponit hominem ad recipiendum maiorem Charitatis ignem, ex quo procedit timor filialis, qui non differt ſpecie a timore initiali, & ſic dictum adverſariorum evaneſcit.

107 Neque dicat iterum, quis contra me, quod timor ſervilis eſt alius, ſecundum ſubſtantiam, a timore filiali; ſed timor ſervilis eſt idem cum timore initiali; ergo timor initialis differt, ſecundum ſubſtantiam, a timore filiali. Probare poſſunt ſic ſuam minorem, uterque habet pœnam pro obiecto; ergo, &c.

108 Malum eſſet tale dictum, & nullius roboris contra me etenim nego ſuam minorem, in qua confidunt, & ad dictæ minoris negatæ probationem, nego antecedens. Etenim obiectum timoris ſervilis eſt malum pœnæ; obiectum timoris initialis eſt malum culpæ, non tantum culpæ, ſed ut habet ad mixtum malum pœnæ: unde timor initialis ſecundum ſe reſpicit malum culpæ, ſecundum id quod dicit annexum reſpexit malum pęnæ. cum itaque actus, & habitus ſuam ſpeciem ſumant ab obiecto proprio, & non ab alieno, ſive ab obiecto illius cui eſt annexus; ſequitur timorem initialem eſſe idem in ſubſtantia cum timore filiali, cuius obiectum propriè, ac ratione ſui reſpicit, & non eſſe idem cum timore ſervili, cuius obiectum ſolum per accidens, & ratione annexi reſpicit.

109 Inſtant iterum adverſarij mei contra me, & ſic argumentantur: timor initialis eſt medius inter filialem, & ſervilem, quia participat de utroque: ergo ſi ex eo quod reſpicit malum culpæ, eſt idem cum filiali; ex eo quod reſpicit malum pœnæ erit idem cum ſervili. Probant conſequentiam, medium differt eodem modo ab extremis, ergo ſi eſt idem cum uno extremo, erit idem etiam cum alio, vel e contra; atqui timor initialis, reſpiciens malum culpæ, eſt idem cum filiali; ergo timor initialis, reſpiciens malum pœnæ, eſt idem cum ſervili; vel timor initialis, quamvis reſpiciat malum pœnę, differt a timore ſervili; ergo timor initialis quamquam reſpiciat malum culpæ differt a timore filiali.

110 Re-

110 Respondeo; & dico; quod aliquid potest esse medium inter duo extrema, diversimodè: aliquando enim aliquid est ita medium inter extrema, ut eodem modo participet rationem extremorum; & huiusmodi est medium inter extrema eiusdem generis, & de isto medio verum est eodem modo differre ab extremis. Aliquando aliquid est medium inter extrema, itaut nullo modo participet de illis, cuiusmodi est medium inter extrema disparata, quemadmodum est aer inter Cœlum, & Terram, & de isto medio pariter verum est eodem modo differre ab extremis, quoniam differt omnino ab utroque. Aliquando aliquid est medium inter extrema, ita, & taliter, ut de uno participet, de alio vero non; dicitur tamen medium inter utrumque; quia quamquam nihil habeat de ratione unius, non tamen retinet omnimodè rationem alterius; huiusmodi est accidens inter substantiam, & non ens, nam accidens vocatur ens imperfectum, medians inter substantiam, & non ens, quamvis de uno extremo, scilicet substantia, participet, & nihil participet de non ente; sic de timore initiali discurrendum est, nempe quod sit medium inter filialem, cuius rationem participat, & servilem, quem habet admixtum, quamvis essentiam illius non participet.

111 Urgent. Timorem initialem habere annexum, sive admixtum servilem timorem vult innuere, vel quod timor initialis imperet duos actus, alterum fugæ culpæ, alterum fugæ pœnæ; vel quod timor initialis imperat unum actum propter utrumque respectum; primum est impossibile, quia non possunt esse simul duo actus in eadem potentia appetitiva sicut nec in eadem potentia cognoscitiva; si secundum iam utrumque obiectum respicit timor initialis: ergo eodem modo debet ab utroque differre, vel cum utroque convenire.

112 Respondeo. In anima esse timorem initialem, nihil aliud esse, quàm in eadem anima esse timorem filialem, & timorem servilem; aliquando unus tantum imperans actum, & tunc actus ille sumit speciem ab habitu imperante. Aliquando uterque concurrit, licet unus tamquam imperans principaliter, & alius tam-

quam

quam imperans principaliter, & alius tamquam adiuvans, & ministrans, & tunc actus sumit speciem a principali operante, quod si vis (benigne lector, dicere) imperare duplicem actum, poteris benè substinere, quia non est impossibile, quod sint in potentia appetiti duo actus in ordine ad unum, sicuti neque hoc est impossibile in potentia cognoscitiva.

113 Objicies 1. contra utramquem conclusionem, nempe primam, & secundam quod opponitur virtuti, non est donum Spiritus Sancti, sed timor opponitur virtuti; ergo timor non est donum Spiritus Sancti. Probatur minor, quia timor opponitur spei, quę est virtus theologica: ergo, &c.

114 Respondeo, negando minorem, sicut, & antecedens probationis minoris negatæ; imò timor, & spes ad invicem coherent, & se se iuvant, præcipuè filialis; nam ex eo, quod quis timet a Deo separari, & refugimus ab ipso nos subducere, augetur, & roboratur nostra spes, & magis nitimur obtinere, quod speramus.

115 Objicies 2. si timor esset donum Spiritus Sancti remaneret in patria, atqui non remanet in patria: ergo non est donum Spiritus Sancti. Probatur sequela ex eo quod in patria quilibet Beatus, ut habetur Proverb. 1. abundantia perfruetur timore malorum sublato, & ubi nullum est malum fugiendum, ibi nullus potest esse timor. Tanto magis, quod spes non erit in patria, quamvis ipsa sit perfectior timore: ergo neque ibi ullus erit timor.

116 Respondeo, cum D. Augustino lib. 14. de Civit. Dei cap. 9. non esse certum timorem non esse in Beatis in patria manentibus; & licet Psalmista dicat, Ps. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*: nihilominus Beati securi sunt a malo, quod possent timere, at quid a nobis tenendum sit videamus. Pono propterea hic verba D. Augustini, loco supra citato. *Timor ille, &c. in sæculum sæculi permanens, si erit, & in futuro sæculo, non est timor ex terrenis a malo, quod accidere potest; sed terrens in bonum, quod amitti non potest; ubi enim boni adepti*

amor

amor immutabilis est profectò dici potest, mali cavendi timor securus est; timoris quippè casti nominis illa voluntas significata est, quæ nos necesse erit nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus; sed tranquillitate charitatis cavere peccatum; aut si omnino nullius generis timor esse potest in illa certissima securitate perpetuarum feliciorumque gaudiorum, timor Domini castus permanens in sæculum sæculi; quemadmodum dictum est, patientia pauperum non peribit in finem, neque enim æterna erit ipsa potentia, quæ necessaria non est, nisi ubi tolleranda sunt mala, sed æternum erit, quod per patientiam promeretur; ita fortasse timor castus in sæculum, & sæculi dictum est permanere, quia id permanebit, quo timor perducit. Ex quibus verbis respondendum est ad obiectionem, manere in patria timorem, qui est donum Spiritus Sancti, sine sollicitudine, consistens in affectu quodam reverentiæ ad Deum, ob eiusdem incompræhensibilem eminentiam; qui affectus dicendus est reverentialis, & filialis, proveniens a perfecta Charitate: quod cum remaneat timor, & non spes in Beatis parum refert, nam deficit ratio formalis spei, non vero deficit ratio formalis illius timoris reverentialis.

117 Conclusio 3. servilis timor, nec mundanus est donum Spiritus Sancti; firmat S. Thomas q. 19. art. 9.

118 Probo conclusionem de timore servili, quia talis timor potest esse cum voluntate peccandi, donum autem Spiritus Sancti est semper coniunctum cum Charitate, quæ quidem virtus cum voluntate peccandi stare non potest; non nego tamen, huiusmodi timorem provenire a Spiritu Sancto, qui medio illo timore peccatorem excitat ad evitanda, & detestanda peccata. De timore mundano etiam potest: nam nos avertit a Deo, ut fecit in Petro, qui ex timore mundano Christum ter negavit. Vtinam talem timorem omnes fugeremus, quia anima omnium nostrum certior esset gloriæ Dei, quam sit; certum enim est, donum Spiritus Sancti non posse nos avertere a Deo, quamvis certum sit, talem timorem nos cum Deo coniungere.

119 Con-

119 Conclusio 4. Timor servilis, & timor filialis sunt initium sapientiæ, non quoad eius essentiam, sed quoad eius effectus.

120 Probo conclusionem, & illam explico simul, sapientia, quæ est vera sapientia ex timore incipit operari (sic in incipientibus in via Dei) nam timor est initium sapientiæ, iuxta illud, *initium sapientiæ timor Domini*: ubi intelligitur, quoad eius effectus. Timor enim servilis, ad sapientiam disponit, in quantum aliquis timore pœnæ a peccato discedit. Timor filialis est initium sapientiæ, ut primus eiusdem effectus, qui quidem timor est Deo perfectè se subijcere, idest conformari se voluntati divinæ, quod a me virtus hæroica vocatur, nam tunc homo negat semetipsum, & totum, ex toto suo esse sequitur Deum, renunciando omnibus, quæ possidet, & fit servus Dei, & in omnibus voluntati Dei regulatur.

121 Conclusio 5. Timor filialis causat paupertatem spiritus. Pro paupertate spiritus, vel intelligitur exanimatio spiritus inflati, & superbi, vel abiectio bonorum temporalium voluntariè facta, quæ laudabilis est apud Deum, iuxta illud; *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, dummodo facta sit ex instinctu Spiritus Sancti; utrumque tamen causatur a timore filiali; quatenus per Spiritum Sanctum perfectè Deo se submittit, ut supra dixi, non quærens magnificari in seipso per superbiam, neque in exterioribus bonis, & commoditatibus, aut per avaritiam, & ambitionem, ut multi faciunt, qui sine ullo merito, quærunt primos accubitos in mensa, &c. isti enim non se accomodant Dei voluntati, sed propriæ, neque ostendunt timorem in se habere filialem, neque servilem, neque initiativum, neque perfectum.

SVBSECTIO VI.

An timor habeat aliquam bonitatem?

122 QVæstio hæc breviter tractabitur, quia non est, meo videri, magni ponderis, sed illam solum tangam ad

mate-

materiæ complementum; at licet prima facie, non ſit nodus Gordianus præſens difficultas, non eſt tamen, tàm levis ponderis, ut ſtatera non ſit digna, pro cuius reſolutione aliqua ſunt præmittenda, antequam de difficultate aliqua detur reſolutio.

123 Igitur prius inveſtigandum eſt, in quo conſiſtat eſſentialiter bonitas, & malitia, ex qua re tota reſolutio quæſtionis dependentiam habet, pro intelligentia igitur noto D. Dionyſium de divinis nominibus cap. 4. dicere: *bonum hominis eſt ſecundum rationem eſſe; malum autem, quod eſt preter rationem*: bonitas autem, vel malitia actus conſideranda eſt, ſecundum quod actus ſe conformat, vel non rationi: ſed quia ratio humana hoc quod eſt eſse regula voluntatis humanæ habet a lege æterna, quæ eſt ratio divina. Hinc eſt, quod bonitas voluntatis humanæ magis a lege æterna dependet, quàm a ratione humana, & quod deficiente ratione humana recurrendum eſt ad divinam rationem, ita S. Thomas prima ſecundæ quæſt. 19. art. 4. quare Pſalmiſta dum dixit: *multi dicunt, quis oſtendit nobis bona: ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine:* innuens, quod lumen rationis, quod in nobis eſt, non tantum poteſt nobis oſtendere bona, & voluntatem noſtram regulare, inquam tum eſt lumen vultus ſui, hoc eſt a vultu ſuo derivatum, ex quibus omnibus certum eſt, illum actum, qui ordinatur ad Deum, tamquam ad finem ultimum, prout nobis dictat ratio divina, fore actum bonum, & è contra fore actum malum, qui non ordinatur ad huiuſmodi finem.

124 Dico 1. Timor filialis, & timor initialis, ſemper eſt bonus. Eſt hæc propoſitio abſque controverſia apud ſcribentes, quia ſemper ſunt ordinati in Deum, tamquam ad ultimum finem.

125 Dico 2. Timor mundanus ſemper eſt malus, nullus eſt, qui hoc impugnare habeat; & præcipuè hoc deducitur ex Matthæi 10. *nolite timere eos, qui occidunt corpus*: non enim prohiberetur ille timor, niſi eſſet malus (utinam, inſipientes in populo, ſaperent, & intelligerent) verum eſt, quod timor

 Do-

Domini expellit malum, sed timor mundanus malum æternum congregat.

126 Probatur. Actus procedens ex amore mundano semper est malus, atqui actus procedens ex timore mundano, semper procedit ex amore mundano; ergo semper est malus. Minor patet, si enim timor ex amore mundano nascitur, certe ex malo nascitur, non enim potest arbor mala bonos fructus facere; ergo timor talis malus erit, quia non habet ante se talis timor finem ultimum. Non enim mundus Deum cognovit; ergo neque bonum aliquid agere potest, itaque timor mundanus malus semper erit.

127 Neque dicas, quod nobis est bonum timere corporis detrimentum, &c. unde propter hoc procuramus bene agere; ergo, &c. Ne dicas hoc, inquam, quia & si sit bonum naturale transitorium, non est bonum, quod conducat ad vitam æternam veritas est ista cognita etiam ab Arist. 3. etich. quamquam gentilis esset, & solo lumine naturæ uteretur.

128 Dico 3. Timor servilis aliquando bonus, aliquando malus est. Quoad primam partem hæc propositio est de fide; habetur enim Matthæi 10. *timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in ghennam* Apocalyps. 14. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora Iudicij eius*: & hoc definitum est in Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi de preparatione loquens, dicit: *Dum peccatores se se intelligentes, a divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur*: & Canon. 6. idem Concilium: *Si quis dixerit Ghennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores priores facere: anathema sit*. Quod totum apud SS. PP. hoc invenitur, ut videre est legenti.

129 Probo modo ratione, quoad utramque partem. Timor servilis oritur ex amore proprio, atqui talis amor aliquando est bonus, aliquando est malus: ergo etiam timor servilis, talis erit. Maior est certa; minorem probo. Amor proprius potest ordi-

nari,

nari, & non ordinari ad Deum, tamquam ad ultimum finem; sed quod ordinatur in Deum, tamquam in ultimum finem, est bonum, econtra vero est malum; ergo amor proprius aliquando est bonus, & aliquando malus, videatur D. Augustinus loco supra cit. de hac re, ubi clarè loquitur, sicuti loquuntur multi alij DD.

130 Quæres curiositatis gratia. An Deus possit alicui revelare suam damnationem?

131 Respondeo de potentia ordinaria non posse, de potentia absoluta utique posse. Tenet Angelicus Magister protector meus quæst. 23. de veritate art. ult. ad secundum cum Bannesio 2. 2. quæst. 22. art. 1. Turriano q. 65. dub. 2. Vasquesio, Suario, Sylvio, a S. Thoma, Amico, & multis alijs.

132 Ratio est, quia quilibet Christi fidelis, habens fidem; & spem debet credere, quod illi sit possibilis salus æterna, & debet sperare, gratia divina, illam esse assecuturum; atqui posita huiusmodi revelatione contrarium credere deberet, atque adeo assecutio salutis redderetur illi omnino impossibilis; ergo de facto via ordinaria non potest Deus alicui suam revelare damnationem.

133 Quod si quis dicat: de facto Deus revelavit Antichristum fore damnandum, ut habetur ex illo Apostoli ad Th. 2. *revelatus fuerit homo peccanti filius perditionis*; ergo, &c. quod idem de Iuda traditore dicendum est.

134 Respondendum est, quod vel Antichristus non est habitus talem revelationem, vel illi esto, quod illam sit habiturus non credet illi, quia si non credet in Christum, non est mirum si revelationi tali non credet. Ad Iudæ dictum, dico, quod Iudas non fuit præsens quando Salvator noster Christus vocavit illum filium perditionis.

135 Probo assumptum, quoad secundam partem, nempe, quod hoc possit facere de potentia absoluta; nam non repugnat, talis revelatio; neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ, cui talis revelatio facienda esset; ergo a Deo per absolutam Dei omnipotentiam fieri potest. Prima pars probationis ostenditur

 sic,

sic, nempe quod non repugnet ex parte Dei, Deus enim per suam scientiam cognoscit absolutè reprobationem, & futuram damnationem aliquorum in individuum; ergo potest talibus individuis illam revelare de sua absoluta omnipotentia. Tum quia posset Deus ita creare hominem, ut si peccasset nollet amplius illi dare gratiæ auxilium, ut a peccato resurgeret, illique apertè intimare: quo casu ille non minus potuisset labi, quo iam lapsus est; post lapsum autem infallibiliter cognovisset se perpetuo damnandum esse; ergo eodem modo id alicui denunciare posset; quoniam talis revelatio non est intrinsecè mala, & Deus potest illam velle ex causa iusta, ut patebit; ergo, &c.

136 Obijcies. Repugnat bonitati divinæ tota conclusio; ergo male posita est, probo antecedens, nam posset dari casus, quod ille cui fieret talis revelatio, tunc esset iustus, atque adeo Deus prius esset vendicator, quàm ille esset peccator, & prius illum hominem relinqueret, quàm relinqueretur ab illo; & ex alia parte ille homo per suam iustitiam esset unitus Deo, & per talem revelationem disiunctus a Deo esset, atque adeo unitus, & non unitus, quod dicit contradictionem; ergo, &c.

137 Respondeo, nego antecedens, & concedendo suppositum, quod ille homo cui fieret talis revelatio tunc esset iustus, nego postea id, quod inde deducitur ab arguentibus, quia illa pœna annunciatur illi ratione peccati prævisi committendi.

138 Obijcies iterum. Illa revelatio, eo ipso quod esset facta Francisco v. g. iusto, tunc inciperet illum affligere, & per consequens esset inceptio pænæ æternæ: ergo talis revelatio nequit fieri a Deo, etiam de potentia absoluta, quia iustum punire, res iniusta est, quod nullo modo competere posset Deo, qui essentialiter iustus est.

139 Respondeo, cum distinctione maioris, talis revelatio esset afflictiva iusto. Secundum se, nego, per accidens, & inquantum esset cognitio futuræ afflitionis, concedo; undè in tali casu si ille homo cui facta esset revelatio affligeretur, non esset quia illum affligeret revelatio, sed quia ipse voluntariè se affige-

affligeret, nam si se conformaret divinæ voluntati, cum gratia Dei, quæ est illi parata, non se affligeret, posset enim Deus in tali revelatione diversos fines habere, nempè aliorum terrorem, ut respicerent, sicut & ille, ut non cadat a iustitia inqua est, quando illi fit talis revelatio, vel ad ostensionem suæ divinæ iustitiæ, &c. & sic negatur consequentia.

140 Obijcies tandem. Data tali revelatione facta alicui daretur causa multorum peccatorum, at hoc implicat, quia Deus non vult peccatum; ergo, &c. Respondeo; falsam esse sequelam, nam Deus faceret hoc, non ad peccatam committenda, sed ad fuganda peccata, neque tunc ullo modo Deus esset causa peccati, & si ille se immergeret in peccatorum profundum, esset ex sua prava voluntate, non quia Deus illi talem revelationem fecit.

141 Quæres 2. an facta revelatione alicui à Deo de sua damnatione, possit desperare de divina misericordia?

142 Respondeo negativè. Probo assumptum; nam desperare de divina misericordia, aut dicit divinam misericordiam non esse potentem ad omnia peccata condonanda, seu remictenda, & hoc est intrinsecè malum, & hæresim includit; vel dicit Deum severum esse, & nolle ea condonare, & velle eum damnare, non solum propter peccata, sed ex propria voluntate dare eum pœnis æternis, & hoc secundum quoque intrinsecè malum est, & Blasphemiam includit hæreticalem, ergo non potest quis de divina misericordia in casu posito licitè desperare, quia indicaret beatitudinem respectu illius, sicut & Dei misericordiam esse omninò impossibilem.

143 Tum quia talis homo adhuc teneretur præcepta omnia servare, sicuti ante talem revelationem tenebatur, igitur tenetur sperare auxilia necessaria ad dicta præcepta servanda; ergo licitè non potest desperare.

144 Dices illa revelatio est infallibilis in se, & quoad effectum, ergo licitè potest desperare de Dei misericordia. Respondeo, concedo maiorem, sivè antecedens, & nego consequen

tiam,

tiam, nam iudicia Dei abyssus multa, & effectus talis revelationis quàm plurimi esse possunt.

145 Loquatur pro me Dominus, & totum ipse, qui novit omnia, confirmet. Ezechiel. cap. 33. dixit Dominus. *Etiamsi dixero iusto quòd vita vivat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam iniustum: vita vivet, & non morietur. Omnia peccata eius, quæ peccavit, non imputabuntur ei: iudicium, & iustitiam fecit, vita vivet.*

QVÆSTIO III.

De Charitate.



Haritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, inquit Apostolus ad Romanos 5. Nomine Charitatis, a grecis derivatum, apud latinos significat amorem honestum, quo per se, idest, gratuito aliquem prosequimur, ut aliquando dixit Cicero de natura Deorum lib. 1. *Prata & arua, & Pecudum greges diliguntur, isto modo, quando fructus ex eis capiuntur, hominum Charitas, & amicitia gratuita est*, in hac eadem significatione usurpatur in scripturis, quæ Charitatis nomine intelligunt amorem, quo Deus nos prosequitur, ut habetur Ieremiæ 51. *In Charitate perpetua dilexi te; Ideò attraxitè, miserans tui;* intelligunt etiam Sacræ literæ amorem, quo nos pro-

prosequimur Deum, ut habetur apud D. Paulum ad Colossenses 3. *Super omnia autem Charitatem habete; quia Charitas est vinculum perfectionis*: immò, & amorem quo proximum diligimus in ordine ad Deum de quo Apostolus ad Romanos 12. *Charitatem fraternitatis invicem diligentes*: utrumque amorem, & erga Deum, & proximum significari nomine Charitatis dixit S. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. *Charitatem voco motum tui animi ad fruendum Deum propter ipsum, & te, & proximum propter Deum*, sed quia voluntas nostra per peccatum primi parentis depravata fuit in suis viribus, non potest huiusmodi motum in seipsa excitare. Necessarium fuit à Deo aliquod immicti principium talis motus excitativum, quod quidem principium Charitas vocatur habitualis, sivè habitus Charitatis, de qua loquitur Paulus loco, in principio huius prœmij adducto, de qua Charitate sic accepta scriptores poetici figurarunt illam in mulierem ammictam rubro vestimento: læva puerum erga ubera constringentem, ferentem destera cor ardentem, nec aliud cupiebant innuere, quàm Charitatem, matrem esse cuiusdam pueri affectus servitutis, & cor nostrum in flamantis ad instar ignis, ut significavit ipsemet Christus dicens, *ignem veni mittere in terra, & quid volo, nisi ut accendatur*: quem ardorem experti sunt illi discipuli duo, qui dixerunt Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas?* In rubro vestimento denotatur, ad sanguinis efusionem usquè servandam: *maiorem enim Charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Amplectitur, & fovet puerum, quia præcipuum Charitatis exercitium est in Christi pauperes iuxtà eiusdem Christi dictum, *quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis*, habitus igitur Charitatis iste, qui est virtus Theologalis una ex illis tribus enumeratis a Theologis, subsequenter in hac quæstione tertia explicata remanebit; per unicam sectionem, secatam pluribus subsectionibus, secundum exigentiam materiæ, quæ mihi occurret, sit itaque.

SE-

Ea, quæ pertinent ad virtutem Charitatis exponuntur.

VLtimo loco post Fidem, & Spem de Charitate sum tractaturus, non quod Charitas sit alijs virtutibus Theologalibus inferior dignitate, cum ipsa sit maior omnium, cum iuxtà Augustinum tract. 5. in Epistola Ioannis, *illa sitquæ discernit inter Filios Dei, & filios Diaboli*, sed potius hoc fit a scribentibus, quoniam aliæ duæ virtutes sunt tamquam, ut ita dicam, dispositiones ad istam. In hac sectione videbitur de Charitatis essentia, de subiecto Charitatis, & eius obiecto, de eius effectibus internis, nec non externis, de annexis Charitati, & ultimo de actibus Charitatis. Totum pluribus subsectionibus dilucidabitur. Faxit Deus, ut a via veritatis non recedam; sed veram viam inveniam, pro qua re sit mihi divinum auxilium, ut deprecor, &c.

SUBSECTIO I.

Charitas quibus modis definiatur?

1 CHaritas, cum sit Virtutum Regina, multis modis explicatur eius essentia, nempe per quam plurimas definitiones; sive descriptiones. D. Thomas 1. 2. q. 65. art. 5. & hic 2. 2. quæst. 23. art. 1. & quæst. 24. art. 2. Charitatem in suo textu definire habet sic: *Esse dilectionem, qua Deus diligitur propter se, & proximum propter Deum, vel in Deo*. S. Augustinus varijs in locis, & sic, cum Charitas sit accidens modale, brevissimè describit dicendo: *voluntatem bonam esse*. Modo; *Cupiditatem boni*. Modo; *Amorem rectum*. Esse affirmat. Loca in quibus hæc habet S. Augustinus, sunt lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. lib. 14. cap. 7. lib. 19. cap. 7. item lib. de gratia Christi cap. 21. in expositione Psalmi 9. & conc. 2. in Psalm. 36. quem secutus

& Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 83. *Charitas est* inquiens, *recta voluntas ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsus aversa.* Et lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 9. *Charitatem volo motum animi ad fruendum Deum, propter ipsum, & se, atque proximum propter Deum.* Alij ex D. Augustino, ut est auctor libri de Spiritu, & Anima scribit: *Charitatem esse vitam, qua copulatur amans cum amato.* At D. Paulus Apostolus 1. ad Thimotheum 1. mihi videtur, quod Charitatem sic definire habeat, sive describere: *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* At Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 65. art. 5. dicit: *Charitatem esse amicitiam hominis cum Deo, quæ super amorem addat mutuam redamantionem*, & 22. quæst. 23. art. 1. & quæst. 24. art. 2. *Charitatem esse amicitiam quandam hominis ad Deum fundatam super communicationem beatitudinis æternæ.* Et cum ista doctrina Sancti Doctoris convenire habent, qui Charitatem definiunt dicendo; *esse virtutem, qua pia fiducia sperantes nos in Dei filios esse adoptatos, amamus, amplectimur, & invocamus eum, ut Patrem nostrum, dicentes, Abba Pater.* Quæ quidem quatuor ultimæ definitiones conveniunt Charitati propriè dictæ. Tu, oh Lector benevole, selige, quem ex illis datis tibi magis arridet, quia talem virtutem, omnes rectè describere habent.

2 Ego tamen ita Charitatem, iuxta communem sensum scribentium describo sic: *Est Virtus Thæologica supernaturalis in substantia, qua diligimus Deum propter seipsum.* Explico definitionem; *dicitur Virtus Theologica*, quæ talis particula stat loca generis, in quo convenit cum alijs duobus virtutibus theologicis, nempe cum fide, & spe, & distinguitur a virtutibus moralibus tàm acquisitis, quàm per se infusis, si darentur, prout naturalia respiciunt, & propterea dicitur: *qua diligitur Deus*, per quam particulam etiam a fide distinguitur, per fidem namque Deo creditur ob eius summam veritatem: dicitur etiam, *propter seipsum*, ut distinguatur a spe, qua diligitur Deus, ut bonum nostrum est, amore concupiscentiæ, ut benè habet explicare Scot. in 3. dist. 26 q. un. at quia omnes habitus speciem suam sumunt ab obiecto for-

 mali;

mali; hinc est, quod hic videndum est, quod nam sit obiectum virtutis Charitatis theologicæ, loquendo tàm de obiecto materiali, quàm de obiecto formali, & certum est, quod in hac materia sunt non parvę opiniones, & quæstiones quamplurimæ fiunt a DD sed meo videri omnes potius sunt de nomine, quam de rę ipsa, etenim multi faciunt distinctiones multas de obiecto materiali, sed inutiliter ego in hac re solum necessaria dicam, relinquendo superflua, & de obiecto materiali loquendo respectu virtutis thæologicæ Charitatis sit,

3 Conclusio 1. ad obiectum materiale Charitatis spectat, quidquid amari potest propter Deum, hoc est, quidquid placet Deo, ut amemus; nam universaliter loquendo, materia habitus est totum id, circa quod habitus prædictus versatur secundum rationem suam formalem, unde quidquid potest amari ex motivo Charitatis, est obiectum materiale ipsius.

4 Probatur Conclusio. Illud est obiectum materiale alicuius facultatis, sive habitus alicuius Theologici, aut alterius, circa quem talis habitus, vel facultas tendere potest per suam rationem formalem; sed huiusmodi est totum id, quod potest amari propter Deum; ergo quidquid amari potest propter Deum, est obiectum materiale adæquatum habitus Charitatis, prout Charitas est virtus theologalis, Maior est certa apud omnes Phylosophos, & ego illam a simili ostendo in meo Sertu Phylosophico par. 1. pag. 146. num. 36. minorem probo, nam illud est obiectum materiale adæquatum Charitatis, de quo nullum prædicatum formale datur in obiecto formali eiusdem Charitatis, quod de materiali non verificetur, aut verificari non possit; at sic se habent omnia, quæ sunt amabilia, vel amantur propter Deum; ergo quidquid amari potest propter Deum, est obiectum materiale habitus Charitatis, prout Charitas est virtus theologica; maior propositio huius secundi syllogismi est indubitabilis, minorem sic ostendo, nam omnia entia, tàm naturalia, quàm supernaturalia, ut bona creaturæ rationali, & aliquo modo conducentia ad beatitudinem habent capacitatem, ita ut obiectum formale Charitatis de ipsis verificetur, nempe ut possint

amari propter Deum; ergo totum id, quod amari potest propter Deum, est obiectum materiale, *quod* adæquatum habitus Charitatis, prout Charitas est virtus theologica. Verum est; quod inter entia creata; & Deum datur differentia: nam Deus est obiectum materiale attributionis, creata vero, aliqua sunt obiectum *cui*, ut homo, & Angelus, alia veno sunt obiectum *quod*, potest deservire creaturæ rationali; ad beatiludinem consequendam, vel ut sunt effectus Dei.

5 Conclusio 2. Obiectnm formale Charitatis est Deus, prout est bonus in se, bonitate illa, qua Deus est principium bonorum supernaturalium, &c. Defendit hanc conclusionem S. Thomas hic, & est communis apud omnes eius interpetres, quod est intelligendum S. Thomam velle intelligere esse obiectum formale Charitatis Deum, quatenus bonitas Dei est quid fundans communicationem donorum supernorum;

6 Probo conclusionem. Illud est obiectum formale virtutis Charitatis theologicæ, quod illam specificat, ab alijs virrutibus theologalibus, sed huiusmodi est Deus, prout est bonus in se, & sua bonitate fundat communicationem bonorum supernorum; ergo, &c. Maior propositio est indubitata apud omnes rectè phylosophantes. Minorem probo sic. Deus, prout est bonus in se sua bonitate fundans communicationem donorum supernorum, non consideratur a fide, sed solum ab ista respicitur ut est prima veritas revelans, ut dixi q. 1. in hac materia de virtutibus theologalibus; neque consideratur a spe sub eadem ratione, ut dictum est cum de obiecto formali spei q. 2. hic antecedenter; ergo Charitatis obiectum formale, prout Charitas virtus theologalis est, est Deus, ut summe bonus, prout bonitas eius est quid fundans communicationem donorum supernorum, & omnium aliarum rerum talem bonitatem participantium.

7 Confirmatur, quia quotiescumque aliquid diligitur propter se, ratio formalis obiectiva debet esse bonitas illa, qua persona, quæ diligitur apprehenditur bona in se. Dilectio autem Charitatis formaliter, & dilectio Dei propter se, prout bonitas divi-

na communicationem donorum ſupernaturalium, &c. ergo ratio formalis obiectiva Charitatis, debet eſſe divina bonitas, prout in concluſione explicata eſt. Quod autem ad conſtituendum obiectum formale adæquatum virtutis Charitatis infuſæ, & ſupernaturalis requiratur, quod dicta bonitas divina ſit fundans communicationem bonorum ſupernaturalium, patet quia aliàs Charitatis dilectio, eſſet ſolum naturalis dilectio, quoad ſubſtantiam, quod non eſt dicendum.

8 Tum quia Charitas ſpectat ad voluntatem, quæ habet pro obiecto bonum, ergo & Charitas ſimiliter pro ſuo obiecto formali bonitatem divinam; prout explicatum eſt, habere debet. Etenim illud eſt obiectum formale Charitatis, quo Deus eſt ſummè amabilis, vel amatur, atqui huiuſmodi eſt bonitas infinita ipſius Dei modo explicato, nempè prout eſt fundans communicationem donorum ſupernaturalium: ergo Bonitas Dei, &c. eſt obiectum formale virtutis Charitatis Theologalis. Quod verò bonitas divina, prout eſt fundans communicationem donorum ſupernorum, ſit id, quo Deus eſt ſummè amabilis, quæ eſt minor probanda, patet, & etiam ſic oſtenditur; Charitas eſt perfecta amicitia ſupernaturalis inter Deum, & homines: atqui perfecta amicitia ſupernaturalis, diſtinguitur ab imperfecta naturali, quia hæc eſt tantum communicatio naturalium bonorum, illa verò bonorum ſupernorum, & Dei prout in ſe bonus: ergo obiectum formale Charitatis, quod debet diſtinguere Charitatem ſupernam a naturali, debet eſſe ſumma, & infinita Dei bonitas fundans communicationem donorum ſupernaturalium.

9 Obijcies 1. in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. quando numerantur diſpoſitiones ad iuſtificationem, & inter illas aſſignatur dilectio Dei; quia homo diligit Deum ut fontem iuſtitiæ, ſed illa dilectio eſt actus Charitatis Theologalis; ergo Charitas Theologalis ex Tridentino habet pro obiecto Deum, non ut ſummè bonum, & quatenus tali bonitate fundat communicationem donorum ſupernaturalium, ſed ipſum Deum, ut fontem iuſtitiæ, ac proindè Deus, prout bonus, noſtrum eſt obiectum.

10 Re-

10 Respondeo, nego maiorem, etenim ibi non est sermo de perfecta dilectione Theologica, sed Concilium loquitur de quodam amore imperfecto, quare dixit incipiunt diligere, quasi talis dilectio de qua Concilium loquitur esset solum inceptio dilectionis; sed quidquid sit de hoc; adhuc Deus, ut fons iustitiæ potest cōsiderari in se absolutè, & ita diligi, ac proindè vera Charitate Theologali.

11 Obijcies 2. contra eandem secundam Conclusionem de obiecto formali Charitatis Theologalis, stante dicta conclusione, confunderentur simul amor Charitatis, ac amicitiæ cum amore concupiscentiæ: ergo, &c. Probatur sequæla, tunc enim amatur obiectum amore concupiscentiæ, quando eum, ut nobis bonum, amamus, atqui si obiectum formale Charitatis esset Deus summè bonus, prout illa bonitas fundat communicationem donorum supernorum, certè amaremus divinam bonitatem, ut nobis bonam, &c. ergo amore concupiscentiæ; quod non est dicendum.

12 Respondeo. Falsam esse sequelam, & ad probationem, concedo maiorem, & minorem nego, quia per Charitatem nos amamus divinam bonitatem communicativam donorum supernaturalium, non quia est illarum nobis communicativam, sed prout est in se; hoc enim bonum in Deo excellens est, ut scilicet non tantum sit auctor bonorum naturalium, verum & supernaturalium bonorum, & de hac re complacemus; si autem hanc bonitatem nobis amaremus, utique esset amor concupiscentiæ, quod absit à nobis, quando Charitate Deum amamus, ut summum bonum, &c.

13 Obijcies 3. ex D. Augustino, primo Soliloquiorum cap. 6. habetur, *Charitatem esse necessariam ad desiderandum divinum aspectum*: ergo beatitudo est obiectum formale Charitatis, non vero, Deus, ut bonus, fundans sua bonitate communicationem donorum supernaturalium.

14 Respondeo; concedo antecedens, & nego consequentiam; nam non possumus ipsum divinum aspectum desiderare, nisi

ipsum

ipſum diligamus, unde fit, quod deſiderium eſt quid conſequens ex amore, utpotè proveniens ex Charitate.

15 Obijcies 4. Deus non tantum eſt amabilis, quia bonus virtute Charitatis, ſed inſuper eſt amabilis, quia omnipotens, ſapiens, miſericors, & propter cætera eius attributa: ergo Deus non eſt obiectum formale Charitatis, quia bonus, ſua bonitate fundans communicationem donorum ſupernorum.

16 Reſpondeo. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, etenim bonitas divina adæquatè conſiderata, ut eſt obiectum Charitatis, omnia divina attributa includit.

17 Obijcies 5. Virtute Charitatis Theologalis non ſolum amamus Deum, ut Deus Bonus eſt, ſed etiam quia beneficia nobis confert; ergo Deus non ſolum, ut bonus eſt in ſe, fundans communicationem donorum ſupernorum, eſt obiectum Charitatis, verum ipſa beneficia, quæ nobis à Deo conferuntur, obiectum formale virtutis Charitatis Theologicæ erunt.

18 Reſpondeo, concedo antecedens, ſed tunc non ſolum virtute Charitatis eum reſpicimus, ſed etiam virtute gratitudinis, undè ad conſequentiam dico: falſum eſſe, quòd tunc Charitas ſola reſpiciat beneficia, & Dei bonitatem, ſed Charitas cum virtute gratitudinis coniuncta, quarè argumentum non facit contra meam concluſionem, nam in ea ſolum loquor de obiecto formali virtutis Charitatis ſolitarie acceptæ, argumentum verò illam coniungit cum virtute gratitudinis, de qua ego nullam in mea concluſione mentionem facio.

SUBSECTIO II.
Quomodo in Anima noſtra intendatur virtus Charitatis Theologalis.

19 IN meo Sertu Philoſophico par. 3. pag. 149. Quæſivi, quomodo qualitas intendatur, & ibidem pag. 150. firmavi, ſub n. 6. quod fit per maiorem radicationem in ſubiecto, prout ibi probavi pluribus rationibus. Modò cum Charitas,

prout est virtus Theologalis, sit habitus qualitativus, quæritur quomodo augeatur in Anima nostra, sivè in nostra voluntate, ubi habet inhærere; & quia talis radicatio in subiecto, à multis non capitur, cum ego non possim a mea sententia recedere, iterum dico per sequentem conclusionem.

20 Conclusio unica, Charitas virtus Theologalis augetur in nostra voluntate per radicationem in subiecto, est communis apud Schalam Divi Thomæ.

21 Non Probabo Conclusionem hanc, nisi illam explicando, utporè declarando, quid sit intendi qualitatem in subiecto. Intenditur ergo qualitas in subio inquo inest, non quod aliquid Charitatis eidem obiecto infuerit denuo, quod antea in eodem non inesset, sivè sit progressus ab habere minus ad habere magis eandem Charitatem, secundum idem eius esse, quale nunc insit. Sed Charitas augetur secundum D. Thomam 2. 2. q. 24. art. 5. *Per hoc, quod subiectum magis, ac magis participat Charitatem, idest secundum quòd magis radicatur in actu illius, ac magis subditur illi, & hoc est* (ut addit) *tàm magis inesse susceptibili*, (& hoc dicit esse) *ipsam augeri secundum essentiam: quatenus nimirum* [ut dixerat] *eius esse totaliter consistit in eo, quod inhæret susceptibili*. Et art. 4. ad 3. ait, *Quidam dixerunt Charitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in subiecto, vel secundum fervorem, sed hij propriam vocem ignoraverunt; cum enim accidens sit eius esse est in esse; undè nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto, quod est, eam magis radicari in subiecto*, hæc D. Thomas.

22 Certum est, quod numquam contradicam meæ conclusioni positæ in meo Sertu Phylosophico, loco supra citato. Si dicam, quod hoc genus incrementi Charitatis per radicationem in subiecto maiorem consistere in esse physico, sed in esse morali, nempè in radicatione morali. Primo secundum quod iure ad auxilia per usum assiduum bonorum operum crescente, firmior est Charitas, & constantior: ac deinde secundum quod, velut

ex gratitudine confirmatur, & maiores in animo radices figit amicitiæ usu assiduo, hinc diligendi Deum, hinc recipiendi eius nova semper, & maiora beneficia, & auxilia. In isto, inquam, genere morali ego intelligo, Charitatem intensivè crescere per maiorem radicationem, non autem physico illo, nempè quod qui iustus est iustificetur adhuc, & maiorem Charitatem recipiat.

23 Quod probo tali modo. Charitas namque ad sui maiorem augumentum non indiget aliquo impossibili, at si sic augeretur, ille effectus impossibilis esset, ut per se patet. Probo minorem. Impossibile est quod Charitas, secundum sui physicam, & intrinsecam qualitatem, magis aut minus insit, quod idem dico de alijs qualitatibus, vel habeatur id, quod secundum eam est impossibile, & consequenter secundum eam se tota adæquate inest subiecto; similiter secundum sui physicam intrinsecam indivisibilitatem, adeoque non habenti secundum ea, aliquid, quod magis, & minus suscipiat, & habeat; atqui cum Charitas sit, quid indivisibile secundum sui physica intrinseca, tum etiam anima, sive voluntas, quæ est subiectum Charitatis; ergo, &c. de hac minori propositione, quoad utramquem partem non puto esse dubium, cum extra dubium sit, & certum apud omnes Catholicos, animam esse quid spirituale, atque adeo sine quantitate, & consequenter indivisibilem, quod idem dicendum est de Charitate; maiorem vero sic demonstro. Quia non potest secundum physica intrinseca magis inesse, magis habere id, quod non potest secundum ea inesse magis, quam secundum adæquatè sumptam; & non potest secundum eadem inesse minus id, quod si secundum eam inest, & habetur; necessario inest, & habetur secundum adæquatè sumptam, similiterque subiectum, quod secundum physicam intrinsecam rationem suscipiendi, & habendi adæquatè sumptam, suscipit, & habet; non potest ex parte sui, ac secundum phisicam rationem suscipere, & habere magis, ac minus quasi magis intimè; vel minus intimè, quia de facto ibi esse non potest, ubi tota adæquatè sumpta suscipit, & habet subiecti profunditas; vel ubi subiectum non potest suscipere, vel

habere

habere per aliquid ſui minus, aut maius, quàm ſit eiuſdem tota, & adæquate in omnem dimenſionem, aut quaſi dimenſionem ſumpta phyſica ſubſtantia; quomodo neceſſe eſt ſumi animæ rationalis utpotè ſpiritualis, ac phyſicæ indiviſibilis, ſeù potentia, aut ſubſtantia voluntatis ipſius rationalis animæ.

24 Et certè non poteſt aliter intelligere Angelicus Doctor, nam ſi intelligeret, quod Charitas magis augeretur per radicationem in ſubecto, hoc eſſet, quia magis in ſubiecto inhæreret; ſequeretur, quod Charitas ipſa non ſecundum ſe totam augeretur, ſed ſolum ſecundum rationem genericam, & non ſecundum rationem differentialem, & prout Charitas eſt, ſed ſolum ut accidens eſt, & ſecundum rationem communem omnibus accidentibus, quibus eſt inhærere. Etenim ſine dubio S. Doctor non exiſtimavit partem ſolam genericam eſſentiæ accidentium eſſe totam eorum eſſentiam, alias differentia ſpecifica non eſſet de eſſentia accidentis, nempe, lucis, caloris, coloris, gratiæ, Charitatis, &c. quod nemo ex intelligentibus dicere audebit. At qui certiſſimè id, quod eſt ineſſe ſubiecto, non eſt eſſentia accidentium adæquata, sed ſolum pars generica, & minus principalis omnibus accidentibus quid commune, ut iam dixi, & tamen accidentia diverſæ ſpeciei ſunt: ergo per id, quod accidentia differunt eſſentialiter, non inherent, atque adeo non augentur, nec minuuntur: ergo ſecundum eſſe phyſicum intrinſecè non augetur Charitas per magis in eſſe, ſed ſolum, quoad eſſe moralem, ut ſuperius oſtendi, aliàs non ſecundum ſe totam augeretur, qnod non eſt dicendum.

25 Quod ſic oſtendo. Charitas in ratione informandi, vel actuandi non poteſt in eſſe magis, & minus, quatenus non poteſt non informare, & actuare ſecundum ſe totam adæquatè ſumptam phyſicam vim informandi, & actuandi; nam ipſa vis informativa, & actuativa phyſicè ſumpta, & entitativè conſiderata, eſt ſine dubio, quid indiviſibile, & conſequenter non inhæret, nec actuat, aut informat, niſi secundum ſuam entitatem, ut unitam, & indiviſibilem; ſicuti nec ſe tradit ſubiecto niſi per unio-

 nem

nem, tanto magis, quod etiam subiectum unum, & indivisibile est; ergo quando Charitas se tradit subiecto, non potest esse in ipso magis, vel minus, cum ratio faciendi unum indivisibilem in indivisibili consistat; sicut & esse unum. Ex parte Charitatis sine dubio, non potest esse magis, & minus unio Charitatis, cum talis unio esse non possit, nisi Charitatis adæquatè sumptę; secundum sua intrinseca physica, quæ etiam in indivisibili consistit. Ex quo deduco, quod si Charitas sumatur secundum sua intrinseca physica, non potest magis, vel minus informare, vel actuare, nec magis inesse cum indivisibili secundum talem rationem sit, & indivisibiliter informet, actuet, & inhereat: ergo maior radicatio non est intelligenda, quod fiat per maiorem inhærentiam, nec hoc voluit dicere S. Thomas.

26 Probatur iterum. Albedo, quæ potest maior esse intensivè in uno, quàm in alio, si ab utroque per consecrationem Eucharisticam abstrahatur, manet hinc ista maior intensivè, hinc illa minor intensivè; & tamen facta consecratione, sicut nullum huic, & illi secundum intrinseca physica sumptis subiectum est, sic neutri pari modo secundum intrinseca physica sumpta radicatio ulla est in subiecto; adeoque nec maior uni, nec minor alteri: ergo quod hinc sequitur, absque maiori, & minori secundum intrinseca physica radicatione in subiecto; reperitur Albedo hinc remissior, hinc intensior: ergo quia est eadem ratio de alijs qualitatibus, etiam de ipsa Charitate valet, & consequenter omnium qualitatum in genere, & in particulari qualitatis intensio, seu Charitatis intensio, & remissio non petitur ex eo quod est magis haberi, vel minus haberi, magis, vel minus inesse, magis, vel minus radicari secundum intrinseca physica, sed solum secundum esse morale, prout supra explicavi num. 21.

27 Neque valet dicere, hoc suppleri per consecrationem, nempe quod hæc Albedo sit magis, vel minus intensa, & magis, vel minus inhęreat, & consequenter nulla est mea ratio adducta.

28 Non valet, inquam ratio ab adversarijs adducta, quia pluribus ex causis tale dictum reijcitur; & primo, quoniam id quod est passivum, aut formale, quale est recipi magis, aut minus, aut inesse magis, aut minus non potest suppleri per causalitatem activam, quæ potius de formali facit æque, ut neque hæc, neque illa Albedo ullatenus insit, recipiatur, radicetur, &c. in subiecto. Secundò, quia si hoc supplere potest causalitas activa: ergo quod hinc sequatur discrimen intensionis maioris, vel minoris, solum esse potest alio modo, quàm per differentiam maioris, vel minoris radicationis in subiecto, quod mihi sufficit: immò quando dicitur, quod consecratio supplet, &c. dico, quod id non præstat faciendo additionem, aut minuitionem Albedinis secundum intrinseca eius physica, quoniam quoad illa, post dictam consecrationem eadem est Albedo, quæ antea erat; ergo necessarium est, quod id prestet per aliud, quod non sit de intrinsecis qualitatis intensæ, aut remisse, sed per quid extrinsecum illius, & hoc dato ego habeo intentum, nam fateor Charitatem crescere per extrinsecum quid, tàm physicum, quàm moralem; quod quidem genus intensionis physicum sumitur partim, ex simpatica virtute sæpe exercita ab habitibus intellectualibus erga verum in intellectu, & ab eadem virtute simpatica sæpe exercita in contemplatione divinæ bonitatis ab habitibus existentibus in voluntate uniuscuiusque suo modo, quod dicitur tunc Charitatem, vel fidem intendi moraliter,

29 Talem augumentum cognovit Sanctus Thomas, ut videre est 2. 2. quæst. 24. art. 4. ad 3. ubi sic loquitur: *Ipsa Charitas essentialiter est virtus ordinata ad actum: unde idem est ipsam augeri secundum essentiam; & ipsam habere efficaciam ad producendum ferventiorem actum*; & art. 6. in corpore subdit: *Quilibet actus Charitatis disponit ad Charitatis augumentum: inquantum ex uno actu Charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum Charitatis actum, & habilitate crescente homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad Charitatis profectum.* Hæc Angelicus Magister loco cit.

30 Huius enim diſpoſitionis, & maioris habilitatis, quam dicit Angelicus Doctor, habet pro fundamento virtutem ſimpaticam exiſtentem in intellectu ad verum circa fidei habitum, & exiſtentem in voluntate ad bonum ſummum, &c. reſpectu habitu Charitatis, ex qua divina inſpiratio excitat voluntatem, & Charitatem inhærentem in voluntatem, & ſtimulat, & ſtimulando incitat ad amorem, &c, & quo maiores erunt ſtimulationes, eo ceteris paribus, fortiores erunt ſpirationes, & intenſior ipſa Charitas erit ſuo modo, non quod creſcat, quoad entitatem, ſed fortior fit contra tentationes.

31 Quæres, an virtus Charitas Theologalis diſtincta ſit a gratia habituali, quæ vocatur gratia iuſtificans?

32 Reſpondeo, non diſtingui Charitatem a gratia habituali iuſtificante. Eſt Durandi lib. 2. diſt. 26. q. 1. vol. 2. n. 7. pag. mihi 175.

33 Probo aſſumptum. Gratia ſanctificans eſt participatio divinæ naturæ, ſecundum aſsimilationem bonitati illius, ſed huiuſmodi participatio fit in bonis per habitum Charitatis; ergo habitus Charitatis, & habitus gratiæ ſanctificantis ſunt unus, & idem realiter habitus. Maior patet, quia per gratiam, &c. ſumus Filij Dei, quæ quidem filiatio eſt in nobis ratio bene vivendi, ſive radix vivendi cum Deo, nempe ut ſicut Deus ex natura ſua potentiam habet ad omnia opera honeſta, & impotentiam, ſive repugnantiam ad omnia inhoneſta, ita homo ex gratia habituali iuſtificante, naturam divinam participando, & factus per ipſam ſilius Dei adoprivus, habet potentiam ad omnia ſanctitatis opera, & repugnantiam ad opera mortalia, cum quibus gratia ſanctificans ſecundario habet repugnatiam, ut dixi pluribus in locis in materia de gratia. Probo minorem, nempe quod participatio divinę naturę fiat per habitum Charitatis, homo fit particeps divinæ naturæ, quando adoptatur in filium Dei; atqui adoptatur in filium Dei, quando illi infunditur habitus Charitatis; ergo fit particeps divinæ naturæ, quando illi habitus Charitatis infunditur. Probo minorem, tum ex Epiſtola Con-

cilij Francofordienſis ad Hyſpaniæ Epiſcopos, ubi dicitur *: quid eſt adoptio? niſi Charitatis copulatio, &c. quapropter adoptione ſibi copulat filium, quem proprium non habet, &c.* ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. ubi poſtquam cap. 3. dictum erat *Dignos nos fecit in parte ſortis Sanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum, tranſtulitque in regnum filij dilectionit ſuæ, in quo habemus remiſſionem, & redemptionem peccatorum*; incipitur cap. 4. hoc modo, *quibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, ut ſit traſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius Adæ primi, in ſtatu gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam.* Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, nos fieri filios adoptivos, quando Deus Charitate ſua nos diligit, & ſibi unit, ſed nos Deus diligendo, & ſibi uniendo facit nos dignos ſuo amore, & ſibi in bonitate ſimiles participativè, & hoc per habitum Charitatis, quem nobis infundit; ergo per habitum Charitatis homo adoptatur in filium Dei.

34 Quod autem gratia habitualis non diſtinguatur a Charitate, probatur alia ratione, ſupponendo ſemper pro re certa, quod gratia ſit aliquid creatum in anima, & probo duplici via. Primò, quia ea, quæ differunt per eſſentiam poſſunt divinitus ſeparari, vel ſaltem primum a poſteriori, niſi forte alterum ſit pura potentia (ut dicunt Thomiſtæ de eorum materia, & forma quas entitates inſeparabiles concedunt) atqui gratia habitualis iuſtificans hominem non poteſt a Charitate ſeparari, ita ut una, &c. ſit ſine altera, aliàs ſequeretur, quod idem homo ſalvaretur, & non ſalvaretur; etenim decedens in finali gratia, ſalvaretur, moriens ſine Charitate non ſalvaretur, nam ſecundum D. Auguſtinum alibi relatum ſupra in hac materia de Charitate, *Charitas eſt veſtis, quæ dividit inter filios regni, & filios perditionis:* ergo Charitas, & gratia habitualis hominem iuſtificans non differuntur per eſſentiam, atque adeo eſſentialiter ſunt unus, & idem habitus,

35 Confirmo meum uſque modo dictum, & probatum, doctrina Durandi loco ſupra citato in reſponſione ad quæſitum;

quo-

quorum est unus, & idem actus per essentiam, illa unum essentialiter sunt; atqui gratiæ, & Charitatis est unus, & idem actus per essentiam; ergo Charitas, & gratia habitualis iustificans sunt unus, & idem habitus essentialiter. Probo minorem, gratiæ, & Charitatis, sicut cuiuslibet formæ, est duplex actus, primus in informatione consistit, & denominatione subiecti, & hic est quoad gratiam, facere hominem Deo gratum, & quoad Charitatem facere hominem Deo charum, & isti actus quamquam nomine differant, in re sunt unum, alius actus est reddere opus meritorium, & in isto similiter conveniunt, quare, &c. item si gratia, & Charitas differunt, aut gratia præeminet Charitati, aut Charitas gratiæ, aut sunt æquales, primum dici non potest, quoniam S. Augustinus de Trinitate 5. *Nullum Dei donum excellentius est Charitate*: nec secundum dicendum est, quoniam sicut se habet perfectibile ad perfectibile; ita perfectio ad perfectionem; sed potentia, quam perficit Charitas, non excellit essentiam animæ, quam secundum adversarios perficit gratia, ergo, &c. nec dicendum est tertio, quia perfectiones specie differentes non possunt esse æquales; gratia, ergo, & Charitas & si sint idem, differunt specie; ergo, &c. & totum hoc videtur insinuare Apostolus, qui utrique eosdem actus attribuit, nempe dare esse spirituale, & perficere ad opus meritorium; etenim de Charitate dicit 1. ad Corinth. 13. *si linguis hominum loquar, &c. Charitatem autem non habeam nihil sum*. Et quoad opus subdit infra eodem c. *omnia suffert, omnia sperat, &c*, de gratia vero quod det esse spirituale dicit idem Apostolus 1. Corinth. 15. *gratia Dei sum id, quod sum*, tanto magis, quod, *Charis*, in Græco, est idem quod, *gratia*; in Latino, unde, *Acharis*, dicitur quasi sine gratia. Ad argumenta, quæ in contrarium abduci possunt, facile respondetur ex rationibus abductis in confirmatione superiori n. 34.



SVB-

De subiecto Charitatis, & de eius effectibus internis, ac quomodo Deus sit diligendus.

36 IAM ex titulo quæstionis constat, quod hic tria quæruntur, circa duas priores difficultates. Iam constat ex dictis in antecedenti subsectione; nempe Charitatem subiectari in voluntate, & de hoc non est dubium, quare in hac re laborare esset tempus in vanum consumere; de effectibus vero eiusdem Charitatis internis, etiam patet in eadem subsectione num. 34. solum ergo circa tertium insudandum est, nempe quomodo super omnia Deus sit diligendus, sit ergo,

37 Conclusio 1. decisiva. Deum tenemur diligere magis intensivè, quam nos ipsos, & reliqua omnia; item appretiativè, ac prælativè; ita communiter. Tenet etiam Mastrius disput. 6. de virtutibus Theologalibus art. 1. n. 143.

38 At antequam ad probandam conclusionem deveniam, advertendum est, quod aliqui scriptores dicunt, quod nos tenemur diligere Deum super omnia, tàm *intensivè*, quàm *extensivè*, quid autem intelligant, pro ly *intensivè*, & *extensivè*, modo explico, quid velit significare ly, *intensivè*, & *extensivè*. Ly *intensivè* non intelligitur, quod teneamur diligere Deum, quoad intensionem gradualem suę amabilitatis, non solum, quia talis intensio per me non datur, ut probavi in meo Sertu Phylosophico par. 3. cum de intentione qualitatis, locutus fui; sed quia talis amor creaturæ est impossibilis, nam solus Deus potest diligere, & diligit seipsum *intensivè*, quantum diligibilis est. Quod idem vult significare, *extensivè*, quare Scotus pro ly, *intensivè*, & *extensivè* intelligit, *appretiativè*, & *prælativè*, ut ego dico in conclusione, nempe quod amor noster erga Deum talis esse debet, ut nullus alius amor possit nos evellere ab ipso, iuxta illud, *quis poterit nos separare a Charitate Dei*.

39 Pro-

39 Probo modo, his positis, conclusionem firmatam sic. Si enim intensius non teneremur amare Deum, quoad gradualem intensionem, quàm creaturas non peccarent mortaliter parentes, qui intensius, & ferventius proprios diligunt filios, & intensius de illorum dolent amissione, quàm de amissione Dei per peccatum mortale, quod certè nimis durum videtur, & contra communem sensum omnium fidelium. Immò tenemur ex præcepto Charitatis dolere intensius de mortali culpa, quàm de quocumque malo temporali, nempe de amissione filiorum, & amissione cavalliculæ, &c. quod tamen est contra experientiam plangendum; ergo maioritas ista, sive amoris Dei excessus super omnia, qui nobis præcipitur, debet intelligi quantum ad appretiationem, non quantum ad intensionem.

40 Vnde valet ratio Fabri disput. 16. de pœnit. c. 2. dicentis; quod ad Dei dilectionem præter appretiationem, requiritur etiam aliqua intensio, prout videntur ostendere illa verba Evangelica: *Diliges Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c.* quæ verba habent ostendere nos nostra voluntate debere habere aliquem conatum, non utcumque, sed fortissimum, & excedentem omnem alium affectum, vel dolorem.

41 Valet, inquam talis ratio, quia & si, ultra appretiationem, debeat habere intensionem amoris erga Deum omnem alium in intensione excedentem, sicuti verum etiam est, quod intensio doloris in actu contritionis debeat excedere intensionem cuiuslibet alterius doloris, nam, ut benè ait Mastrius loco citato in conclusione, homo numquam scit, an satisfaciat obligationi, nec ne, numquam enim homo certus est, an intensius amet Deum, quàm proximum, an amor erga Deum pervenerit ad ultimam intensionem, quam elicere posset; dubium tamen esse potest, an amando quis Deum amore appretiativo, sit amare ipsum Deum super omnia, quæ sunt contraria Deo, sive supra ea, quæ sine peccato admitti non possunt, loquendo, tàm de peccato mortali, quàm veniali.

Sed

Sed quidquid ſit de hoc, unum apud me certum eſt, quod hoc eſt intelligendum, de amore appretiativo ſuper omnia, quę ſine peccato mortali amari non poſsunt; cum ſolum peccatum mortale inimicitiam cum Deo faciat; & amicitiam cum eodem diſſolvat. Quidquid dicat Arriaga diſputat. 36. ſect. 3. quare,

42 Hinc oritur aliud dubium curioſum, nempe, an quando dicitur a Theologis, quod Deus amore appretiativo amari debet a nobis, hoc eſt, debet præferri omnibus amabilibus, talis comparatio debeat eſſe ſemper explicita, & formalis, an vero ſufficiat, ut ſit implicita?

43 Concluſio reſponſiva dubij propoſiti eſt, quod ad amorem Dei ſuper omnia comparatio implicita, & virtualis ſufficit, eſt hæc concluſio contra Fabrum hic diſput. 16. cap. 1. num. 10. eſt tamen communis apud Theologos, & præcipuè apud Maſtrium hic diſput. 6. q. 21. art. 1. num. 551.

44 Probo concluſionem ſic, quando aliquis haberet amorem Dei magis appretiativum, quam cuiuſcumque creaturæ, & non vellet magis placere ulli creaturæ, quàm Deo, eo ipſo amaret Deum ſuper omnia, hoc eſt magis ſimpliciter loquendo; ſed poteſt hoc modo Deus amari a nobis ſine illa comparatione expreſſa, ut patet experientia; ergo, &c. maior propoſitio eſt evidens. Minorem probo. Sæpè namque amamus magis unum, quàm alium ſine tali explicita comparatione: videmus enim, & in dies experimur, quod pater magis amat filium ſuum, quàm quemcumque alium, abſque tali explicita comparatione; ergo ſufficit virtualis, & implicita, quod patet expreſsè ex verbis Sacræ Paginæ de amore Dei ſuper omnia ex illis verbis: *Convertimini ad me in toto corde veſtro; dilige Deum ex toto corde tuo, &c.* quando hic nulla fiat expreſſio de hac actuali, & explicita comparatione ad alia omnia bona creata; ergo ſequitur, quod hæc comparatio explicita ad omnia alia bona non requiritur neceſsario, ſed ſufficit virtualis, & implicita, quatenus homo ex tali virtuali appreciatione dilectionis conſtituitur in ſtatu

tali, ut paratus sit, omnia potius perdere, quàm peccata mortalia committere, & per illa Deum amittere: in qua dispositione consistit comparatio implicita, & virtualis ad cuncta cætera bona creata, & quamquam dilectio Dei super omnia ex vi illius particulæ, *formaliter*, expressæ relationem præseferat, atque comparationem ad omnia bona creata; significata tamen verbis illis; *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, &c.* talem expressam relationem, & comparationem, non præseferunt, sed solum implicitam, & virtualem; nempe, quatenus hoc ipso, quod Deum tali amore diligimus, iam ostendimus nos paratos esse omnia potius perdere bona creata, quàm Deum per peccata mortalia relinquere.

45 Conclusio 3. Charitatis proprietas, qua Charitas est. Potius est amare, quàm amari; est D. Thomæ hic q. 27. art. 1. dixi, *qua Charitas est*, quia si sumatur formaliter, prout gratia est, est potius amari, quàm amare.

46 Probo assumptum, ex prædictis in antecedentibus. Etenim Charitas est amicitia, & amicitia propriè est amare, cum amicus laudetur ex eo, quod amet, non ex eo, quod amatur. Confirmatur, quia quod convenit alicui secundum propriam rationem; magis ei convenit, quam id, quod convenit ei secundum rationem communem, & amari secundum rationem communem; ergo Charitati, qua Charitas est, magis convenit amare, quàm amari. Probo minorem. Quęlibet virtus per se inclinat ad proprium actum: ergo actus ille, ad quem inclinat Charitas, est proprius eius actus? atqui Charitas per se inclinat ad amare, non autem ad amari: ergo amare est proprius actus Charitatis, atque adeo amare convenit Charitati secundum propriam rationem Charitatis. Probo sublumptum, quia amari non est actus eius, qui habet Charitatem, sed alterius, amare vero est proprius actus eius, qui Charitatem habet; ergo Charitas per se inclinat ad amare non ad amari.

47 Conclusio 4. Deus in nullo genere causę amatur per aliud ex Charitate.

48 Probo conclusionem, ex Sacra Scriptura, & Patribus, Exodi enim 33. Deus dicitur esse omne bonum: ergo si Deus est omne bonum, non potest dari ullum bonum, quod ex Charitate possimus Deo præferre, quapropter Lumen Ecclesiæ Augustinus lib. de Doctrina Christiana cap 27. inquit: *Omnis peccator, in quantum peccator, diligendus non est, & omnis homo inquantum homo est, diligendus est per Deum, sive propter Deum, Deus verò propter seipsum. & Deus propter se, omnis homo amplius diligendus est, & amplius quisque debet diligere Deum, quàm seipsum, & propter Deum omnia ipsa diligenda sunt*: ergo, &c.

49 Probo etiam ratione. Deus non potest amari ex Charitate per aliud, in nullo genere causæ; ergo, &c. Probo antecedens, non in genere causæ formalis, non in genere causæ finalis, nec efficientis, nec in genere causæ materialis; ergo in nullo genere causæ amatur. Non in genere causæ formalis, quia Deus non est forma, sed finis ultimus omnium rerum; ergo ad nihil ordinari potest, nec ullum subiectum informare, nec informari potest ab alio, cum causæ formalis sit perficere, & actuare, Deus vero est actus purus, & perfectissimus omnium omni perfectione repletus, & est bonitas ipsa, illam habens à seipso, & consequenter, nec in genere causæ efficientis, neque in genere causæ materialis; quia Deus non solum est obiectum *quo*, sed etiam obiectum *quod* amoris; non negandum est tamen, nos creaturas disponere ad amorem creatoris, quæ quidem dispositio reducitur ad causam materialem impropriam.

50 Conclusio 5. Deus immediatè amatur ab homine etiam in hac vita.

51 Pro intelligentia conclusionis huius advertendum est, quod hic non sit quæstio: an Deus possit amari ab homine in hac vita cum gratia; vel sine illa, nam de hac re dicta sunt multa in aliis meis voluminibus; sed solum quæritur, utrum Deus à viatoribus possit amari per se immediatè totaliter, & supra omnes creaturas, sivè faciat homo per speciale auxilium, sivè per proprias vires, iam dixi satis cum de gratia, &c.

52 Ad decisionem huius dubij, & ad probationem conclusionis multum adiuvat scire, quatuplex sint voluntatis humanæ actus. Omnis: ergo actus voluntatis, vel est prosecutio boni, vel fuga mali; de hoc secundo modo nihil ad me, de primo modo, nempè de actu prosecutionis, peto, vel est circa bonum, ut finem; vel circa bonum, ut medium. Actus tendens in finem simpliciter; dividitur in simplicem amorem, & desiderium, & fruitionem. Voluntas enim nostra, vel tendit in bonum præscindendo ab eo, quod sit præsens, vel absens, possidendo, vel possessum, vel tendit in bonum possidendum, vel in bonum, ut possessum; prima tendentia est simplex amor; secunda est desiderium, tertia fruitio. Actus voluntatis tendens circa media simpliciter; etiam dividitur, nempè in consensum, electionem, & usum. Consensus est actus, quo voluntas complacet in medijs propter finem, nullum tamen præferendo. Electio est actus voluntatis, quo medium hoc præfertur alijs pro finis consecutione. Vsus est actus, quo voluntas determinat potentiam executricem ad mandandum executioni medium præ electum; undè ex his facile videndum est, sivè videri potest, amorem finis esse priorem amore mediorum, & ad amorem eliciendum non requiri præsentiam, sivè possessionem obiecti hijs positis.

53 Probo sic conclusionem quintam supra positam, & primò ex Sacra Scriptura. Nam D. Paulus primæ Corint. 13. inquit: *Charitas Dei numquam excidit*, & ipse Apostolus loquebatur de Charitate viæ, comparando illam cum scientia viæ; dicitque in patria huiusmodi scientiam evacuari; quia nunc per speculum, nempè mediatè cognoscimus Deum, tunc autem facie, ad faciem, idest immediatè, & in seipso à nobis cognoscetur Deus; ergo ut rectè comparatio currat, Charitas, qua Deum amamus in via, est immediata.

54 Probo modò ratione. Etiam id immediatè amatur, quod est terminus nostri appetitus; atqui Deus est immediatus terminus nostri appetitus: ergo Deus immediatè amatur. Probo mi-

norem,

norem, cum maior certa sit. Terminus immediatus nostri appetitus est bonus, secundum se; sed solus Deus est bonus secundum se: ergo Deus est terminus immediatus nostri appetitus, Probo maiorem: terminus immediatus nostri appetitus est id, quod perficit potentiam appetitivam; atqui id, quod perficit potentiam appetitivam est bonum secundum se: ergo terminus immediatus nostri appetitus est bonum secundumse. Probo minorem huius ultimi syllogismi. In hoc differt potentia appetitiva à potentia intellectiva, quia ipsa intellectiva potentia trahit ad se obiectum, appetitiva verò trahitur ab obiecto, atqui obiectum appetitivæ potentiæ est bonum secundum se; ergo id, quod perficit appetitum est bonum secundum se: ergo, Deus ab homine in via amatur per virtutem Charitatis amore immedato.

55 Obijcies 1. Non habemus ex Sacra litera nos teneri sub præcepto diligere Deum super omnia non solum amore appreciativo, sed intensivo: ergo falsa prima conclusio, supra in hac subsectione n. 36.

56 Respondeo, negando antecedens, nam Deuter. 6. & Matth. 22. ac Lucæ 10. hæc verba habentur; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*, quæ quidem verba innuunt, nos teneri Deum diligere toto animi conatu, & vehementia, ita & taliter, quod nihil aliud diligamus plusquam Deum, quod est diligere Deum *intensivè*: idest quod illum super omnia diligamus; ita, ut parati simus priùs omnia perdere, quam illum per peccatum mortale amictere.

57 Obijcies 2. Maior dilectio intensiva est maior dilectione appreciativa, ergo amor appreciativus non est dilectio super omnia, quod nobis à Deo præcipitur, nam illa apprecitiatio non dicit amorem Dei quantum amari potest; ergo non est summus amor: ergo, &c.

58 Respondeo, nego antecedens, nam arguentes numquam, meo videri, intellexerunt, quid veniat nomine dilectionis *intensivè*, dilegere namque Deum amore appreciativo, est ita illum amare,

ut sic apprecietur, ut propter ipsum stercora cætera existimentur undè dicebat Apostolus, & benè iuxta propositum nostrum: *Omnia arbitratus sum stercora, ut Christum lucri faciam*, qui enim ita Deum amat super omnia, nempè *appretiativè*, illum amat, quantum amare debet; quia sic intelligitur ly *intensivè*, quod est amare Deum iuxta suum præceptum, nempè *appretiativè*, ut dictum est.

59 Obijcies 3. contra tertiam conclusionem positam supra num. 44. Aristoteles 8. Etic. cap. 8. docet, quod plerique volunt magis amari, quam amare; ergo magis proprium est Charitatis amari, quam amare. Tantò magis quoad S. Augustinus lib. de cathechizandis rudibus inquit cap. 4 *nulla est maior provocatio ad amandum*, *quàm prævenire amando*: ergo amari ex Sancto Lumine Ecclesiæ est causa ipsius amoris; ergo est quid potiùs amari, quàm amare, atque adeo, est potius proprium Charitatis amari, quàm amare, & per consequens falsa est conclusio tertia a me posita, inquit opponens.

60 Respondeo, & dico, quod argumentum adversarij nihil facit contra meam conclusionem, & si contra me adducunt Aristotelem, ego illudo illum, nam ipse vult, quod qui volunt amari, volunt habere plura bona, per quæ amari possint, cum bona sint amabilia, & sic possent multi valde amari, qui tamen haberent Charitatem valde remissam, unde argumentum magis facit pro, quàm contra me; etenim quodlibet bonum reddit subiectum amabile, quare sola Charitas reddit hominem amantem, quoad S. Augustinum, dico quod ipse solum dicit preventionem in amorem, esse incitamentum amantium, ad amorem, undè nego utranque consequentiam.

61 Obijcies, qui sunt meliores debent magis amari, sed qui habent maiorem Charitatem, sunt meliores; ergo qui habent maiorem Charitatem magis debent amari; ergo amari magis convenit Charitati, quàm amare. Tum quia id, quod est melius magis convenit Charitati, sed amari est melius, quàm amare; ergo amari magis convenit Charitati, quam amare.

62 Re-

62 Respondeo, & concedo primum argumentum, nego tamen consequentiam secundam subsumptam. Aliud enim est dicere, quod qui habent maiorem Charitatem, magis debent amari, & aliud est dicere, quod habenti Charitatem magis conveniat amari, primum est verum, secundum est falsum; nam de ratione Charitatis non est reddere amabilem, sed amantem; & si Charitas amabilem reddit, id non facit, qua Charitas est, sed qua bonum est.

63 Ad intelligentiam maiorem huius responsionis, pono casum, quod sit Petrus v. g. qui habeat Charitatem uti sex, & sit Titius, qui habeat Charitatem intensam, ut quatuor, & ponamus quod ad invicem se ament, certè Petrus secundum intensionem sui habitus Charitatis, amabit Titium, quantum amabilis est, Titius vero non amabit Petrum, quantum amabilis est, & defectus non provenit ex eo, quod Petrus non habeat Charitatem, sed ex eo, quod Titius non habet tantam Charitatem, ut adæquet amabilitatem Petri; ergo signum est, quod proprium Charitatis est reddere amantem, & maioris Charitatis magis amantem, non verò amabilem, vel magis amabilem: itaque Charitati magis proprium est amare, quàm amari, licet sit amabilior, qui maiorem Charitatem habet. Ad secundum nego maiorem, nam nullius est esse Patrem Æternum, & tamen esse Patrem Æternum non convenit habenti Charitatem, igitur non est quærendum, quid est melius, sed quid est melius taliter, utpote secundum suam naturam, & tunc neganda est minor. Argumentum prima facie apparet utique colossus, sed in rei veritate est pigmeus.

64 Obijcies 5. contra quintam conclusionem positam supra num. 48. Apostolus ad Romanos 1. inquit: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*: & 1. Corinthio. 13. *vidimus nunc per speculum, in enigmate*: Isaiæ 59 *peccata vestra diviserunt inter vos, & Deum vestrum*: Augustinus 10. de Trinitate cap. 1. *incognita amari non possunt*: Gregorius homil. 11. in Evangelium, &c. *ex ijs, quæ novit animus discit incognita amare*: ex quibus verbis infertur, quod est nobis incognitum

non

non posse a nobis amari, & per consequens, quod per aliud a nobis cognoscitur, per aliud etiam a nobis amari, & quod mediatè cognoscitur, mediatè a nobis amari; sed Deus est nobis ignotus, & quod cognoscitur per coniecturam, per aliud cognoscitur, utpotè medijs creaturis, a quarum cognitione manu ducimur ad invisibilia cognoscenda: ergo a nobis amatur mediatè, & per aliud: immò ex Isaia infertur, quod voluntas nostra, per peccatum a Deo distincta, & divisa, medio a Deo indiget, ut demum uniatur, & illum amet.

65 Respondeo; concedo nos non posse amare incognita, sed falsum est, quod cognitio sit ratio amandi, & sic licet non possimus amare nisi cognoscamus, quoniam, *nihil volitum, quin præcognitum*: non tamen ideo amamus, quia cognoscimus; sicut ego non possum calefieri, nisi igni me approximem, mea tamen approximatio igni non est ratio calefactionis meæ passivæ. Falsum etiam est, quod illud per aliud ametur, quod per aliud cognoscitur; nam posita cognitione in intellectu de obiecto, statim potest obiectum amari, sive cognitio obiecti, mediata, sive immediata sit. Ad illud ultimum, quod dicunt, voluntatem per peccatum esse disiunctam a Deo, & sic per aliquod medium cum Deo coniungi, falsum etiam est: immò sequitur, quod si peccatum disiungit voluntatem a Deo, & Charitas peccatum tollit, eo ipso Charitas uniat voluntatem cum Deo, nec indigeat ad hoc aliquo alio medio.

66 Obijcies 6. possumus amare Deum propter mercedem nostræ dilectionis, sed hic amor esset ex Charitate; ergo possumus amare Deum per aliud ex Charitate. Probatur maior, ex Sacra Scriptura, Patribus, & Concilijs. Psalmo namque 118. *Inclinavi* (inquit Psaltes) *cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* 1. Corinthiorum 9. *sic currite, ut comprændatis. Omnis autem, qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam.* D. Augustinus in Ps. 14. (nisi fallor) *Non faciamus aliquid, nisi spe cælestium præmiorum, ipsa est*

enim

enim altitudo, non hic quærere mercedem. Sed totum Tridentinum sess. 6. cap. 31. probat: *Si quis dixerit* (inquiens) *iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur: anathema sit*. Ratio est etiam in promptu; etenim cum Charitas ipsa, & cætera omnia nostra sint ordinata ex se in beatitudinem, tamquam in finem, licitum est per nostram voluntatem illa regulare ad eum finem, ad quem ex se ordinata sunt, & intuitu illius illa exercere.

67 Respondeo. Non adeo esse immorandum in probatione maioris, quia totum concedo, nego tamen consequentiam. Etenim nostra merces, intuitu cuius amare Deum possumus, est ipsemet Deus, & si amando Deum, ut merces nostra, & ut nostra beatitudo est, amamus Deum propter Deum, nempe propter seipsum.

68 Quod si instent adversarij. Licitum est amare Deum propter bonum nostrum. Respondeo, dicendo, quod sic loquendo, quando non sumus amplius in quæstione; hoc enim non fit ex Charitate, quæ ut dixi, est verus amor amicitiæ, sed fit ex spe, quæ est amor concupiscentiæ, ut suo loco ostensum est.

SVBSECTIO IV.

Pro Coronide huius quæstionis, aliqua dubia proponuntur, & solvuntur.

69 QVæres 1. An solus Deus ex Charitate sit amandus?

70 Respondeo, quod non solum ex Charitate est amandus; sed etiam proximus. Ratio est, quia unum est obiectum formale, & principale Charitatis, quo Deus diligitur, & proximus, nempe Dei bonitas increata, qua in seipso bonus est, prout bonitas Dei est plenitudo omnium bonorum, ut dixi cum de obiecto Charitatis; est firma opinio Scotistarum, sicuti & aliorum modernorum.

71 Probo sic meam propositionem; authoritate D. Pauli ad Corinthios 13. ubi eodem modo loquitur de Charitate, ac de Fide, & Spe; sed tàm Fides, quàm Spes est una virtus tantum, ab uno formali motivo specificata: ergo pariter una erit Charitas ab uno formali motivo specificata, nempe ab increata bonitate divina, quę non debet sumi, prout est in Deo: sed quatenus illum constituit in perfectissimo actu summæ beatitudinis, ac fælicitatis: sic Augustinus firmat lib. 8. de Trinit. c. 8. qui ait, ex una eademque Charitate diligi Deum, nos, & proximos nostros propter Deum, & serm. de Dominica post Ascensionem: subdit: *Non alia Charitate diligi proximum, quàm illa, qua diligitur Deus*: sic passim loquntur alij PP. ut Gregorius homil. 27. in Evang. sic D. Bernardus de Cœna Domini in sermone ad finem, &c. non potest esse una Charitas, qua Deum diligimus, & proximum, nisi propter unam rationem formalem obecti. cum unitas, habitus, & virtutis desumatur ex uuitate obiecti formalis, hæc autem esse non potest respectu Charitatis, quàm bonitas increata modo explicato; ergo, &c.

72 Quæres 2. an homo possit, & debeat amare Deum totaliter?

73 Respondeo affirmativè.

74 Probo primo Scripturis. Deinde probabo ratione. Deuteronomij enim 3. *Diliges Dominum Deum tuum*: ubi advertendum est, quod ly, *totaliter*, sumitur simpliciter, nempe totaliter ex parte diligentis, nempe, ut diligens teneatur amare Deum quantum potest, & sic loquitur allata scriptura, non autem quantum Deus diligibilis est, quia hoc modo, solus ipse se diligere potest, ut alibi dixi.

75 Probo modo ratione. Ratio amoris ex Charitate est Bonum divinum, sed non solum essentia divina, quæ est bonum secundum se, sed etiam id, quod est in Deo, vel ad Deum spectat, est Bonum divinum, saltem per participationem: ergo ex Charitate debemus amare, non solum ipsam essentiam Dei, verum etiam omne id, quod pertinet ad ipsum Deum; ergo ex

Charitate debemus amare Deum totaliter ex parte nostra, & ex parte obiecti, quantum amabilitas illa Dei a nobis attingibilis est. Item debemus omnes nostros conatus animæ, cordis, & mentis impendere, ut Deum amemus, ut loco citato Deuteronomij nobis insinuatum est, & consequenter debemus etiam amare Deum *totaliter* ex parte diligentis, non vero tenemur eum amare quantum amabilis est ex parte sua, quia sic, se solus amare potest.

76 Obijcies 1. contra hanc secundam propositionem dubij resolutiva. Ecclesiast. 43. *Benedicentes Deum, exaltate illum, quantum potestis, maior est enim omni laude.* Ecclesia in Sequentia ad Missam de Corpore Christi, *Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficit*: ergo Deus non potest amari totaliter, quod idem valet de benedictione, de laude, ac de amore.

77 Respondeo. Dictis authoritatibus, negando consequentiam, loquendo in sensu meç conclusionis, nempe quod tenemur Deum amare, laudare, benedicere, quantum possumus, & quantum laudabilis est a nobis, non vero quantum amabilis, laudabilis a seipso est, quia solus amor divinus, & divina lux hoc facere valet.

78 Deus ab homine non potest amari totaliter, absque eo, quod totaliter uniatur cum Deo, sed homo non potest totaliter uniri cum Deo: ergo homo non potest, &c. Et per consequens non tenetur totaliter amare Deum. Maior patet; quia homo non potest totaliter cognoscere Deum; ergo non potest totaliter uniri cum illo, & per consequens non potest illum totaliter amare; nam amor sequitur cognitionem. Quod autem homo non possit totaliter cognoscere Deum, certum est, quia tunc illum compræhenderet, quod est impossibile: ergo nec totaliter cognoscere potest.

79 Respondeo, nego primam partem maioris, ad id quod dicunt, nempe amorem sequi cognitionem, verum est, sed falsum est, quod sequatur modum ipsius cognitionis, cognitio enim, ut alibi dixi, non est ratio amandi, & si Deus non potest totali-

ter cognosci, potest tamen cognosci totus, & sic esto, quod amor cognitionem sequatur, etiam totus potest amari Deus ab homine, sicut, & totus potest cognosci, & sicuti non potest totaliter cognosci, ita non potest totaliter amari, nisi a seipso, undè, nego consequentiam malè deductam.

80 Quæres 3. An Charitas sit omnium virtutum sublimior, & eorum forma?

81 Præmittendum est, & notandum, quod Charitas comparari potest cum alijs virtutibus moralibus omnibus, in omni genere, tàm naturalibus, quàm supernis, & moralibus; hoc posito per duas conclusiones dubium resolvam.

82 Conclusio 1. Charitas est perfectior omnibus virtutibus moralibus, tàm in genere moris, quàm in genere naturæ. Defendit S. Thomas hic q. 23. art. 6.

83 Circa primam partem, patet ex Apost. 1. ad Corinth. 13. ubi expresè ait, nihil alias virtutes sine Charitate prodesse; & confirmo ex illo ad Colossenses 3. *Super omnia autem hac Charitatem habete; quod est vinculum perfectionis*; ergo, &c. circa secundam partem, de seipsa est manifesta: quia cum obiectum sit illud, quod nobilitat habitum, & virtutem, & obiectum Charitatis sit infinita Dei bonitas, ut suo loco, & alibi firmatum, & explicatum est, perfectio, inquam, Dei intrinseca: è contra vero obiectum aliarum virtutum non Theologalium sit aliquod creatum: ergo etiam in genere naturæ perfectior est Charitas virtutibus alijs.

84 Conclusio 2. Comparando Charitatem, cum fide, & spe, tàm in genere moris, quàm in genere naturæ, Charitas nobilior est, & quasi forma illarum. Est communis sententia apud Theologos, &c.

85 Probo conclusionem. Nam totam bonitatem moralem, quam habent fides, & spes, a Charitate habent; etenim bonitas mortalis desumitur ab honestate, nullam autem honestatem habent fides, & spes, nisi illam, quam a Charitate accipiunt: ergo dicendum est, quod Charitas in genere moris, & in genere

naturæ, fidem, & spem excedat, & ipsa se habeat tanquam earum forma; quapropter Apostolus ad Chorinth 13. tres theologales virtutes enumerando, maiorem vocat Charitatem, & alibi illas sine Charitate nihil esse dicit, quod idem est, ac dicere, quod ille sumunt suam nobilitatem ab illa: ergo si unaquæque propter ipsam est talis, & illa magis: ergo Charitas nobilior est cæteris virtutibus theologalibus, atque adeo si materia Aristotelica sine forma eiusdem Aristotelis est nihil, vel prope nihil, ut ait ipsemet Aristoteles, & ipsæ virtutes theologales sine Charitate nihil a Paulo Apostolo nobiliter dicuntur: ergo Charitas est forma illarum; & quemadmodum forma, sive pars perfectiva nobilior est parte perfectibili, ita Charitas, quæ perficit fidem, & spem nobilior est illis, & illarum perfectio, & quasi forma.

86 Quæres 4. An Charitas in genere qualitatis si præstantior fide?

87 Respondeo affirmativè. Ratio est, quia considerando obiectum formale utriusque, nempe fidei, & spei, præstantior est obiectum formale Charitatis, quàm fidei; etenim in omnibus operationibus perfectio desumenda est ab obiecto formali, & ex modo, quo respiciunt sua obiecta formalia: atqui obiectum formale Charitatis est præstantius obiecto formali fidei: ergo, &c. quia obiectum formale Charitatis est infinita perfectio, qua Deus est bonus in se: itaut in illo includantur omnes perfectiones, ex quibus integratur (ut ita dicam) summa, & absoluta perfectio Dei in se. Obiectum vero formale fidei solum est veritas prima, ea ratione, qua Dei sapientiam, & veritatem complectitur, non includendo explicitè, nec formaliter cœteras perfectiones, quæ tamen includuntur in bonitate, qua Deus est bonus in se, propter quam diligitur per Charitatem; ergo formale obiectum præstantius est obiecto fidei, igitur Charitas in genere qualitatis fidem excedit, atque adeo nobilior fide erit.

88 Quæres 5. An Deus sit ex Charitate diligendus eadem, qua diligitur proximus?

89 Con-

89 Conclusio responsiva dubij est: quod eadem Charitate, qua diligimus Deum, debemus proximum nostrum diligere. Firmat Div. Thomas quæst. 25. art. 1. tenet etiam Malderus, Sylvius, Suarez, & Amicus cum multis alijs.

90 Probo conclusionem, primò ex authoritate Luminis Ecclesiæ, nempe D. Augustini serm. de Dominica post Ascensionem aliàs cit. ubi sic loquitur: *Non alia Charitate diligit proximum, quam illa, qua diligit Deum: qua Charitate proximum, ipsa Charitate diligimus, & Deum*; ergo signum est, quod si eadem Charitate diligimus Deum, & proximum, quod Charitas, qua diligimus Deum, & proximum, habet eumdem motivum; nam unitas habitus desumitur ab unitate subiecti, &c.

91 Probo etiam brevissima ratione. Amicitia supernaturalis Dei, & hominis consistit in reciproco amore, & bonorum communicatione spiritualium, inter quæ primum locum habet æterna beatitudo, in qua communicatur etiam hominibus obiectum beatitudinis ipsius Dei, quod est increata summa bonitas Dei, prout includit in se omnes alias perfectiones, &c. quare fit, ut actus amoris, seù Charitatis, quo diligimus proximum, sit amor idem, quo complacemus de infinita, & summa bonitate Dei, in qua obiectivè consistit beatitudo summa ipsius Dei, ut iam superius dixi. Amor amicitiæ, quo diligimus proximum nostrum, est amor quo complacemus de bonitate supernaturali, quam habet, quatenus conducit illius increati boni, quod habet Deus ex se, Deus namque, & homines conveniunt in eo obiecto beatitudinis, quod est summum bonum, de quo possumus complacere de amico, sive Deo, sive proximo, atqui hoc summum bonum est unum, nempe increata Dei bonitas, tàm in amore, quo diligimus Deum, quàm in amore, quo proximum diligimus; ergo unum, & idem motivum est, quo proximum diligimus, & quo diligimus Deum.

92 Vnde ad solvendas obiectiones, quæ possunt fieri contra hanc conclusionem, advertendum est: quod diligere proximum propter increatam Dei bonitatem, nihil aliud est, quam complacere

placere de proximo, quod consecuturus sit bonitatem increatam, vel quod illa consecutus sit, & possideat, quod idem est, ac complacere de summa perfectione, quæ vel potest esse, aut est in proximo, & sic semper summum bonum, prout iam explicatum est, est semper utriusque Charitatis, erga Deum, & proximum, idem motivum immediatum, quia cætera, de quibus complacemus in proximum nostrum, sunt ut media ad illum finem, & sic illa bonitas est prius amata, & prius a nobis intenta.

93 Quæres 6. An præter Charitatem increatam, sive actum eius, detur etiam in nobis aliud principium habituale, & permanens creatum?

94 Conclusio unica sit responsiva, ac dubij decisiva, nempe quod præter actualem habitum Charitatis creatæ a Deo, & in anima, sive voluntate nostra infusæ, datur in nobis Charitas increata, quæ est ipse Deus.

95 Probo conclusionem. Primo Scripturis Sacris, deinde ratione etiam ostendam. Ioannes namque in sua prima Epistola, quæ est canonica cap. 4. dicit: *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Certum est etiam dari Charitatem creatam, si sumatur pro actu, quo nos, vel Deum, vel proximum, in ordine ad Deum, diligimus, seu quo tamquam principio eliciente, excitat in nobis actus dilectionis, quod propriè vocamus habitum Charitatis, & hoc est, quod in præsenti quæstione investigatur. Tum quia in Clementina unica de summa Trinit, & fide catholica, ubi approbatur, quod in Baptismo infunditur parvulis gratia cum virtutibus, inter quas Charitas numeratur, quæ in parvulis non potest esse dilectio actualis; ergo debet esse aliquod donum permanens, quod sine actu esse possit. Tum etiam, quia in Tridentino sess. 6. cap. 7. firmatum fuit, quod cum iustificatione, & remissione peccatorum, simul accipitur fides infusa, spes, & Charitas, quæ inest in cordibus eorum, qui iustificantur: ergo de virtute creata, quæ in anima inhæreat intelligendum est; quod etiam patet in eodem Conc. sess. cit. can. 11. ubi habetur: *homines non iustificari per*

solam

ſolam remiſſionem peccatorum, excluſa gratia, & Charitate, quæ in illorum cordibus infunditur, & inhæret.

96 Probo modo ratione; quia ſi Charitas per fidem noſtram infuſam inhæret in cordibus noſtris iuſtificatis per gratiam, & Charitatem, certum eſt, quod talis Charitas non poteſt eſſe Deus ipſe, nam Deus inhærere non poteſt, inhærentia namque imperfectionem dicit, & ſi poſſit exercere Deus officium cauſæ formalis ſecluſis imperfectionibus, non poteſt tamen inhærere; atqui Charitas, quæ in nobis iuſtificatis eſt, eſt quid inhærens; ergo per Charitatem increatam datur in habente talem Charitatem habitus Charitatis creatæ inhærens in anima, ſive voluntate illius infuſus a Deo; quidquid dicat in contrarium Magiſt. ſent.

97 Quæres 7. An actus Charitatis viatoris ſit eiuſdem ſpeciei, cum actu Charitatis compræhenſoris, ſive an idem ſit actus Charitatis in via, ac in patria?

98 Fit hic ſolum quæſtio de actu Charitatis, an eiuſdem ſpeciei ſit in via, ac in patria, quia iam de habitu ſuo loco ſtatui meam opinionem, neque de illa dubitandum eſt, cum in ea conveniant omnes Theologi, nempe, quod idem ſit habitus, ſit ergo.

99 Concluſio eſt, quod actus Charitatis in via factus ab habitum Charitatis habente, eſt eiuſdem ſpeciei cum actu ab eodem facto in patria. Firmat D. Thomas Angelicus Doctor hic 2. 2. quæſt. 24. cum ſua ſchola. Tenet etiam Magiſter ſentent. diſt. 31. Suarius diſput. 3. ſect. 3. Sylvius q. 24, art. 7.

100 Ratio probativa concluſionis poſitæ eſt, quia actus Charitatis viæ habet eumdem obiectum formale, ac eumdem motivum; ſed ubi eſt eadem ratio formalis obiectiva, ibi eſt eadem ratio ſpecifica actuum tranſeuntium in dictam rationem formalem obiectivam; ergo actus Charitatis factus in via ab habente habitum Charitatis Theologalis, eſt eiuſdem ſpeciei, cum actu Charitatis facto in patria. Sed,

101 Obijcies. Ratio ſpecifica actuum alicuius virtutis non deſumitur tantum ab obiecto formali, verum a modo tendendi in eumdem obiectum formale, ſed modus tendendi viatoris in obie-

ctum

ctum formale Charitatis esse diversum a modo tendendi a beato diligente; ergo isti actus specie differunt. Maior patet, minor probatur. Nam viator tendit in obiectum liberè, beatus necessario; ergo, &c.

102 Respondeo; quod modus tendendi solum aliquando specificat, ut in mathematicis rebus constat, non est sic semper in moralibus, & si aliquando; undè in casu nostro ille tendendi modus nihil dat, & nihil tollit, quoad esse actum Charitatis, ut sic.

103 Instabis. Actus meritorius, & non meritorius distinguũtur specie, sed actus vię est meritorius. Actus patrię; non ergo differũt specie.

104 Respondeo, distinguo maiorem, distinguntur specie, meritorius, & non meritorius excludens omnino meritum, concedo: non excludens omnino meritum falsum est. Actus Charitatis beati est ex meritis, & si non est meritorius radicitus, provenit ex meritis, unde non excludit omnino merita, & minorem concedendo, nego consequentiam.

105 Quęres ultimo. Vtrum manens sub potestate alterius possit actus Charitatis facere, nempe, mulier sine viri consensu ælemosynam dare, quod est actus Charitatis.

106 Respondeo cum distinctione, vel est sub omnimoda potestate, ut nihil liberi habeat, neque rationabiliter, & tunc non potest; vel non est sub omnimoda potestate, & aliquam libertatem habet, saltem rationabiliter, & tunc potest.

107 Probo conclusionem. Nam dispensatio rerum temporalium pendet ex lege civili: unde si uxor extra dotem habet aliquid, vel ex proprio lucro licito, vel aliàs licitè acquisitum, potest ęlemosynam dare, etiam non requisito consensu viri, quamquam hæc ratio non militet in Hyspania, ubi lex civilis prohibet uxoribus contractus facere, nec aliquid donare absque viri consensu, unde si sine tali consensu uxor donet aliquid, potest a viro repeti de rigore iuris. In hac tamen sufficit licentia tacita viri, vel superioris, quæ iudicanda est a prudentia boni viri, attenta qualitate, & condictione personarum, &c. Hæc de Charitate ad laudem Dei, & B.M.V. Iesus Maria. Franciscus a Paula orate pro me. Amen.

IN SECVNDAM SECVNDÆ DIVI THOMÆ

DE IVSTITIA, ET IVRE

QVÆSTIONES SELECTÆ

PROÈMIVM.



Oralium virtutum apicis Iustitiæ natura, partes, ac præcepta, per Quæstiones quatuor examinanda hic, Deo placente propono, quæ Beatus Thomas secunda secundæ, a Quæstione LVII. usque ad CXXII. ut theologicum obiectum partiale proponit; eiusdem Angelici Doctoris ordinem sequendo. Trium Teologalium Virtutum indagatis partibus; naturas illarum in eadem secunda secundæ, quæ est de Virtutibus in particulari tractationem agredior, cum ipsomet Beato Thoma, at non omnia secundum suam sententiam, ab eius ordine tamen clarissimo numquam recedam. Prudentiā enim, quę, utpotè intellectualis. per essentiam virtus moralis est, per participationem, inter Cardinales locum obtinet nobilissimum a quæst. 47. usque ad 56. & a quæst. 57. usque ad 122. inclusivè non relinquit inexaminatam Angelicus; virtutem fortitudinis non tacet idem Sanctus Magister, eo quia inter Virtutes morales secundum locum obtinet, & ideo a quæst. 123. usque ad 140. illam cribare omni diligentia, & subtilitate habet. Temperantiæ denique Cardinalium ultima a quæst. 141. usque ad ultimam, quæ est 189. At quia his temporibus vita

hominum abbreviata est, & præcipuè mea ictu aplopesiæ valde percussa; & consequenter inhabilis ferè ad laborandum in studijs redacta, & si hæc materia de Iustitia, & Iure annos multos requireret, ut examinaretur, ego solum quæstiones principaliores, & magis utiles breviter tangam, per quatuor Quæstiones. In prima de ipsa Iustitia secundum se; in secunda de eiusdem Iustitiæ partibns; in tertia de dono Spir.tus Sancti, prædictæ virtuti correspondente; in quarta denique de præceptis ad Iustitiam pertinentibus sermonem instituam. Deus Optimus Maximus sit semper mihi in auxilium, ut ad maiorem eius gloriam omnia resolvam.

QVÆSTIO I.

De Iustitia secundum se considerata.

IN hac quæstione, quæ in textu Divi Thomæ est 56. quatuor quærit S. Doctor, nempe primò, utrum ius sit obiectum Iustitiæ. Secundò, utrum Ius dividatur convenienter in Ius naturale, & positivum. Tertiò utrum Ius gentium sit idem, quod Ius naturale. Quartò, an Ius domesticum, & paternum debeat esse specialiter; de quibus omnibus hic cum ipso Angelico Magistro erit discursus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Ius sit obiectum Iustitiæ.

AD maiorem intelligentiam earum, quæ in hac Sectione prima tractanda sunt eas dividam in aliquas sectiones, & primo de usurpatione nominis Iuris sermonem faciam, secundò

utrum iustum, quod est Iustitiæ obiectum, propter commensurationem ad alterum, commensuretur etiam operanti; sit ergo.

SVBSECTIO I.

Explicatur, quo pacto Iuris nomine a Sancto Thoma hic accipiatur.

1 IVris nomine à Latinis variè usurpari valet, ut apud Iuristas videre est. Primo pro eo, quod est regulæ, & legi, sive formali, sive radicali conforme, quo pacto dicitur 2. Machab.9. *Iustum est subditum esse Deo.* Et sic sumpto nomine iuris erit obiectum iustitiæ generaliter sumptæ, pro collectione videlicet omnium virtutum; undè gratia iustificans iustitia nominatur communiter a Theologis, ex eo quod secum fert omnium virtutum infusarum collectionem; & similiter a D. Augustino de natura, & gratia cap. 7. dicitur: *Charitas inchoata iustitia est, Charitas perfecta iustitia perfecta est;* propter eandem rationem sine dubio.

2 Secundò sumitur iustitia pro legibus, & iudicio sententiantis, ex eo quia his ius propriè sumptum præscribitur; unde leges, & sententiæ, etiam iniquæ, iustitia vocantur, ut firmat D. Thomas hic in responsione ad primum, in 1. artic. quæstionis 57. ubi sic loquitur S. Magister: *Vlterius dicitur etiam ius, quod redditur ab eo ad cuius officium pertinet iustitiam facere; licet etiam id, quod decernit, sit iniquum:* & locus in quo tales sententiæ pronunciantur, ius etiam vocatur, unde fit, quod cum quis coram iudice suum ius petit, dicitur comparare in iure.

3 Tertiò Vlpianus ff. de iustitia, & iure l. 1. & Celsus citatus hic ab Angelico Doctore in primo argumento, in ff. veteri lib. 1. tit. 1. in principio, inquit, quod ius est ars boni, & equi, ubi iuris nomine intelligunt notiam legum, & præceptorum ius præscribentium.

4 Quarto, strictius sumitur ius, utpotè pro facultate ad rem aliquam obtinendam, vel pro facultate aliquid faciendi, v. g, ince-

incedendi via publica, obtinendi beneficium, retinendi possessionem alicuius domus, vel prædij, aut status, vel alicuius regni, utendi re sua, accipiendi id totum, quod ei gratis datur, &c. vel quamcumquem aliam rem, sive ex donatione, aut ex testamento illi relictam, cui facultati sine legiptima causa contraveniendo fit illam habenti iniuria: *Dixi sine legipiima causa*: quia aliquando potest alicui contraveniri absque iniuria v.g. ob commune bonum, ut si in tempore famis aliquis haberet frumentum, potest accipi ab horreo suo, & dari indigentibus, etiam domino invito, quia tempore necessitatis omnia sunt communia.

5 Quintò, denique pro termino iuris quarto modo sumpti, seu pro re debita ratione talis iuris, unde idem est ius, ac iustum, seu æquale: dicuntur enim talia ea, quæ adæquantur iustati, ut inquit Beatus Thomas hic in corpore articuli, quare ibì dicit prope finem: *Et propter hoc specialiter iustitiæ præ alijs virtutibus determinatus secundum se obiectum, quod vocatur iustum, & hoc quidem est ius, unde manifestum est, quod ius est obiectum iustitiæ.*

6 Positis his, puntus dificultatis in eo consistit, prout in sententia D. Thomæ, ut infra dicam, quod iustitiæ obiectum propter se amatum sit ius ultimo modo acceptum; ex alia parte prędictum iuris, & iusti, ex duplici capite habet rationem, tamquam a forma extrinseca denominante a iustitia, nempe in homine iusto existente, & a iure existente in altero: quare quæritur, nam Beatus Thomas nomine iusti intellexerit concretum ex re, vel ex actione, & iustitia iusti, vel ex re, vel actione, & iure alterius, quam dubitationem exprefsè agitatam apud neminem hucusque vidi. Pręterquamquod ex modo communi loquendi Doctorum videntur quasi omnes intelligere concretum ex re, vel actione debita, & iustitia; contra quos sit.

7 Conclusio unica. Nomine iuris, & iusti non intelligit Sanctus Magister Angelicus id, quod secundum iustitiæ virtutem, id videlicet in quod ipsa virtus tendit, tamquam in obiectum formalem; sed intelligit id, quod est conforme, æquale, &

com-

commensuratum iuri alterius personæ. Sic enim loquitur Sanctus Doctor in textu quæstionis 57. art. 1. in corpore, & in principio suæ responsionis ad dubium: *Importat enim æqualitatem, quæ datur, ut ipsum nomen demonstrat: dicuntur enim vulgariter ea, quæ adæquantur iustari, æqualitas enim ad alterum est.*

8 Sensus positæ meæ conclusionis est, quod quamvis unum, & idem sit utroque modo iustum, nihilominus accipit illud hic Sanctus Thomas, prout est iustum uno modo, & non alio, quare eius verba propria sunt supra posita ad æquivocationes tollendas, unde sic.

9 Probo conclusionem. Illud intelligit pro nomine iusti Sanctus Thomas, sicut & iuris, sive in eo sensu accipit nomen iusti, & iuris, in quo est obiectum virtutis iustitiæ, sed prout denominatur iustum a virtute iustitię, non est obiectum iustitiæ; ergo, &c. maior est certa, minorem probo, quoad primam partem, quia si iustum esset obiectum iustitiæ hoc modo sumptum, sequeretur iustitiam esse obiectum adæquatum, & distinctè sumptum sui ipsius, cum iustum sic acceptum iustitiam de formali includat; atqui hoc est absurdum; ergo, &c. & id, unde sequitur. Probo minorem, quia cum virtus sit operativa proprij obiecti, in executione illud efficit, quod in intentione obiecti; atqui non potest iuxta seipsam in executione causare; ergo neque seipsam in intensione desiderare.

10 Probo 2. quia si ius, prout tale dicitur, a iustitia esset iustitiæ obiectum, idem erit dicere, ius est obiectum iustitiæ, ac obiectum iustitiæ est obiectum iustitę, sed hæc est propositio delusoria: ergo minor est evidens, sequela probatur, quia ideo ius tale dicitur a iustitia, quia est illius obiectum, & in ipsum ipsa iustitia tendit; ergo idem est iustum hoc pacto sumptum, ac iustitiæ obiectum; quod si nomine obiecti iustitiæ intelligant rationem aliquam formalem obiectivam, quæ est iustitiæ motivum, non autem ipsam obijciendi rationem, ineptè loquuntur. Hoc est enim, quod ponitur in quæstione, videlicet, quænam sit ratio illa, quæ ut motivum iustitiæ obijcitur, & induit ra-

tionem obiecti iustitiæ, & consequenter semper reddunt idem per idem.

11 Probo 2. authoritate D. Thomæ hic in corpore articuli ubi, ait: *Iustum dicitur aliquid, quasi habens rectitudinem iustitiæ, etiam non considerato qualiter ab agente fiat*: idest iuxta, quod est iustitiæ obiectum, est illud, quod habet talem rectitudinem a iustitia amata, etiamsi non fiat ab agente per virtutem iustitiæ, cum sive a iustitia dependeat, sive non, & consequenter, sive sit obiectum iustitiæ, sive non semper erit iustum, prout requiritur adhoc, ut possit iustitiam specificare, cum sit commensuratum iuri alterius.

12 Dices. [Obiectum intellectus assignatur intelligibile, visus visibile, sensus sensibile, & tamen intelligibile ab intellectu, visibile a visu, & sensibile a sensu denominantur; ergo similiter iustum; etiam si ut sic a iustitia formaliter constituatur, erit iustitiæ obiectum.

13 Respondeo negando antecedens; quod numquam probatum videtur, neque spero videre probatum; lege, Lector benevole ea, quæ dico in meo Phylosophico Sertu, par. 1. in prôemialibus Logicæ contra asserentes operationes rectas rectitudine logica esse obiectum logicæ, & videbis, si verum, aut falsum dico.

14 Dices 2. Angelicus Magister hic in corpore articuli asserit his verbis: *iustum dicitur id, ad quod terminatur actio iustitiæ*; & Aristoteles 5. Etic. cap. 5. inquit omnes huiusmodi habitum appellare iustitiam solemnem, & quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur; ergo ex D. Thoma, & ex Aristotele iustiliæ nomen acciipitur, prout a virtute iustitiæ derivatur.

15 Respondetur, quod Sanctus Doctor Angelicus varijs modis indicare voluit, quodnam sit iustum, quod est iustitiæ obiectum, & inter alia inditia, ait esse id, ad quod iustitiæ actio terminatur; non tamen significat iustitiam esse formam denominantem, & constituentem talem iustitiam: quod ne quis putaret adiunxit præallegata verba pro mea conclusione: *ergo non*

consi-

considerato qualiter ab agente fiat: Aristoteles autem etiam pro me stat: ait enim ipse: *res iustas esse, quia in illas inclinat iustitiæ virtus*: sed virtus iustitiæ inclinat ad efficiendas res iustas, iustas inquam, per commensurationem ad ius alterius, ut benè explicat Magister meus in hac materia A. R. F. F. Bonavent. Perremutus Provinciæ Messan. inter subliniores ingenios non secundus.

16 Dices 3. Angelicus Sanctus Doctor hic in corpore articuli assignando differentiam inter rectum, quod est obiectum aliarum virtutum, & rectum, quod est iustitiæ, ait rectum, ad quod tendit intensio aliarum virtutum non accipi, nisi per comparationem ad agentem, & conseqnenter aliæ virtutes perficiunt homines solum per ordinem ad seipsum: & statim pro obiecto iustitiæ subiungit verba ista: *Rectum vero, quod est in opere iustitiæ etiam propter comparationem ad agentem, etiam constituitur per comparationem ad aliud*: ergo iustum, quod est iustitiæ obiectum, utroque modo iustum dicitur, & ratione virtutis iustitiæ, & ratione iuris alterius, cum quibus, ut tale est iustum comparatur, quare pro adæquata responsione ad propositam difficultatem, quæ non ita facile est. Sit.

SVBSECTIO II.

An iustum, quod est iustitiæ obiectum propter commensurationem ad alterum, commensuretur etiam operanti.

17 SAnctus Thomas hic in corpore in hac dubitatione videtur sibi contradicere, asserit namque in medio corporis articuli: *Rectum, quod est in opere iustitiæ, etiam propter comparationem ad agentem constituitur per comparationem ad aliud*: & prope finem corporis articuli, addit verba supra alligata, nempe: *etiam non considerato qualiter ab agente fiat*: de quo iusto ita accepto statim asserit: *& propter hoc specialiter iustitiæ determinatur, secundum quod vocatur iustum*: ex quibus verbis videtur prædictam sententiam retractare.

18 Mal-

18 Malderus de iustitia tract. 1. cap. 2. dubio 1. asserit ius, de quo loquimur, posse dupliciter sumi; primò absolutè præscindendo ab eo, quod fiat a iustitia, & sic verum est id, quod secundo loco dicit S. Thomas, opus videlicet iustum habere rationem iustitiæ, etiam non considerato qualiter ab agente fiat. Secundò prout est iustitiæ obiectum, & sic non modo quatenus iustitiæ, verum, & quatenus virtutis obiectum est dicit conformitatem cum recta ratione, & commensurationem ad operantem ut bene consideranti patet, inquit Malderus.

19 Sed contra: quia per ly: *prout est obiectum iustitiæ*: vel intelligit Malderus rationem formalem obijciendi, & per ly, *absolutè*, intelligit ipsam rationem honestatis, quæ obijcitur, & inducit obiecti iustitiæ formalem rationem, vel per ly: *prout est obiectum iustitiæ*: intelligit ipsum obiectum, secundum illam peculiarem honestatem, quæ iustitiam specificat, & per ly: *absolutè*: intelligit aliam formalitatem in eodem obiecto, quæ materialiter, & per accidens se habet ad iustitiæ rationem. Si loquatur primo modo; contra est; quia rectum, prout est in hoc sensu obiectum iustitiæ, non est iustitiæ obiectum, ut satis manifestum est ex supra dictis subsectione 1. sed D. Thomas accipit iustum in eo sensu, quod possit de illo affirmari, quod sit obiectum iustitiæ; ergo in primo textu non accipit S. Thomas iuris, & iusti nomen, &c. Tum quia iustum in eodem sensu absolutè sumptum, etiam si circa illud iustitia numquam sit inclinatura, præter ordinem ad alterum, dicit commensurationem ad naturam operantis, & istæ duæ commensurationes essentialiter includuntur in obiecto iustitiæ, ut inferius dicam. Si vero Malderus secundo modo loquatur; contra est, quia quamvis necessarium sit, quod D. Thomas primo loco de obiecto ita formaliter sumpto sermonem habeat, nescio, quo pacto secundo loco possit de obiecto in hoc sensu accepto absolutè loqui, cum de ipso ibidem affirmet, esse germanum iustitiæ obiectum. Pro intelligentia igitur huius doctrinæ sit,

20 Conclusio unica. Obiectum iustitiæ adæquatè sumptum dicit duas commensurationes, seu comparationes, uuam cum iure alterius, alteram cum ipso agente.

21 Sensus huius meæ conclusionis est, qnod iustum, quod est germanum iustitiæ obiectum dupliciter iustum dicitur, primò inquantum æquatur, sive iuri alterius iustatur; secundò prout iustatur naturæ rationali operantis: inquantum est illi conveniens, & honestum, & utroque modo indivisibiliter accepto, est iustitiæ obiectum: itaut numquam completum intelligatur tale obiectum, nisi has duas commensurationes intelligatur habere, quarum nna, nempe cum iure alterius, sit natura prior secunda. Secundo cum natura operantis, sive cum persona operantis. Ideo enim restitutio est Francisco conveniens, & bonum quid, quia est iuri alterius commensurata, æquata, & iustata: hæc autem commensuratio cum agente nihil aliud est, quàm quædam congruentia talis operis cum natura rationali, quæ operatur.

22 Probo modo primo positam conclusionem. Quia de ratione obiecti iustitiæ quatenus est obiectum virtutis, sub virtutis formalitate, est ut sit opus commensuratum, & conveniens naturæ rationali operantis, sed iustum secundum illam peculiarem rationem, secundum quam iustitiæ, ut iustitia est, obijcitur, est obiectum virtutis sub formalitate virtutis; ergo iustum secundum formalem rationem illam, secundum quam iustitia est, obijcitur formaliter sui congruentia cum natura rationali operantis. Maior probatur, quia taliter se debet habere obiectum virtutis sub ratione virtutis, ut actus propter ipsum elicitus habeat formaliter rationem virtutis; cum honestas obiectiva, ut sæpè ait Sanctus Doctor, sit motivum, & specificativum honestatis formalis, quæ est in virtute. Sed obiectum secundum formalem illam rationem, secundum quam virtuti, ut virtus est, obijcitur, non includeret debitam commensurationem cum natura rationali operantis, sequeretur, quod actus virtutis, ut talis est, non haberet formaliter virtutis rationem; ergo, &c. maior huius secundi syllogismi de se patet, minorem eiusdem probo sic; quia actus

virtuosus, quatenus virtuosus est, in eo consistit, quod sit operativus obiecti conformis naturæ rationali, ut patet in eo, qui in casu perditionis famę propriæ creditori centum redderet, & temperatum cibum cum proximi scandalo sumeret, qui, & iustum opus efficeret, & temperatum, & tamen virtutis actum non exerceret; cum temperatus cibus, quamvis sit cum natura appetitiva operantis commensuratus, & redditio centum cum iure creditoris, nullum tamen ex his operibus est virtuti, & naturæ rationali commensuratum, nec consequenter honestum; ergo si obiectum virtutis, secundum illam rationem, secundum quam virtuti, ut virtus est, obijcitur, non includeret formaliter debitam comparationem ad naturam rationalem operantis, sequitur quod actus virtuosus, ut virtuosus, non habeat actus virtuosi rationem. Minor denique principalis syllogismi ostenditur, quia iustitia, & quæcunque virtus, non modo secundum rationem communem, verum etiam secundum rationem particularem differentiam, includit formaliter rationem virtutis, quatenus virtus est. Ergo obiectum iustitiæ secundum illam particularem differentiam, secundum quam iustitiæ obijcitur, debet includere rationem obiecti virtutis, quatenus virtus est. Consequentia sequitur; antecedens probatur, quia si iustitia secundum iustitiæ rationem, non includeret virtutis formalitatem, posset in aliquo casu dari iustitia, quæ virtus non esset, ut si quis faceret opus iuri creditoris commensuratum cum mala circumstantia; ergo, &c.

23 Probatur 2. quia si obiectum iustitię non diceret commensurationem ad operantem, sequeretur, quod si quis redderet gladium depositum ex motivo, quod sit commensuratum iuri alterius in casu iniustitiæ, sive iniustæ occisionis, efficeret actum iustitiæ, quod est falsum; ergo, &c. Probatur sequela; quia tunc fit actus iustitiæ cum actus sit propter obiectum iustitiæ, sed in tali casu actus redditionis fieret propter obiectum iustæ commensurationis, nempe gladij depositi cum iure depositantis; ergo, &c.

24 Ex quibus patet primo; responsio ad difficultatem in calce præcedentis subsectionis indecisam relictam. Nomine enim commensurationis ad operantem intelligit, S. Doctor congruentiam operis iusti cum natura rationali operantis, non autem prout obijcitur, & est effectus virtutis iustitiæ; & hanc commensurationem, & congruentiam significant illa verba D. Thomæ; *etiam, & prater*: ad differentiam aliarum virtutum, quæ utramqne comparationem habent cum ipso agente; primam cum natura sensitiva, secundam cum natura rationali ciusdem agentis, in quo conveniunt obiecta omnium virtutum, etiam secunuuw ultimam rationem.

25 Secundò patet: quid dicendum sit ad dubitationem positam in præsentis subsectiouis initio, circa doctrinam Angelici Doctoris. Non enim sibi ipsi contradicit, etenim, per ly: *non considerato, &c.* intellexit ordinem ad virtutem iustitiæ, cum totum iustitiæ obiectum possit fieri ex alio motivo, nempe alterius virtutis, vel vitio; non autem voluit excludere comparationem ad naturam rationalem operantis.

26 Obijcies; etiam obiectum virtutis temperantiæ, & virtutis fortitudinis potest attingi a potentia virtutis: *etiam non considerato qualiter ab agente fiat*; an scilicet, ex motivo temperantię, & fortitudinis, cum possit etiam fieri ob vanam gloriam; ergo si per ly, *etiam non considerato, &c.* Angelicus Doctor intellexit excludere ordinem a iustitię virtute, nullum assignavit discrimen inter obiectum iustitiæ, & obiectum aliarum virtutum.

27 Respondeo. D. Thomam sufficientet assignasse differentiam per antecedentia verba, nempe, *rectum vero, quod est in opere iustitiæ*; per subsequentia autem nolnit aliam differentiam assignare, sed solum explicare obiecti iustitiæ naturam, quod scilicet possit totum exequi, absque eo, quod a prędicta virtute procedat, quando videlicet non fit ex motivo honestatis existentis in ipso: utrum autem hoc sit commune cum alijs virtutibus, an non, parum refert.

28 Instabis; idem D. Thomas infra quæst. 59: art. 2. ad 3. sic loqutus est: *Et ideo quod est per accidens, non potest dici temperatum, nec materialiter, nec formaliter, & similiter, neque intemperatum;* ergo iuxta doctrinam D. Thomæ inter obiectum iustitiæ, & alterius virtutis est discrimen, quod iustitiæ obiectum constitutus non consideratur qualiter ab agente fiat propter honestatem pæculiarem ipsius, an non, secus vero obiecta aliarum virtutum, & consequenter in hoc articulo per ly: *etiam non considerato, &c.* significare voluit differentiam inter obiectum iustitiæ, & obiectum aliarum virtutum.

29 Respondeo 1. & dico, mihi sufficere, quod D. Thomas, loco citato in dicto artic. non loquatur de illo ordine ad operantem, quem admittit in priori parte artic. 5. de commensuratione ad naturam rationalem operantis. Vtrum autem in posteriori parte articuli, aliam velit innuere differentiam, vel non, quæ videlicet consistat in eo, quod obiectum aliarum virtutum, nec materialiter quidem possint executioni mandari præter intentionem operantis, quæ versetur circa pæculiarem honestatem illarum, obiectum vero iustitiæ possit exequi prædicta intentione seclusa, parum mihi refert.

30 Respondeo 2. obiectum temperantiæ, & fortitudinis, & cuiuscunque alterius virtutis, quarum obiectum per ordinem ad operantem commensuratur, dupliciter posse dici rectum, vel distortum etiam materialiter, primo in ordine ad appetitum ipsum prçscindendo a præscriptione rationis, & sic dicitur materialiter temperatum, vel intemperatum, sed tantum physicè. Secundo in ordine ad appetitum secundum præscriptionem rationis, quo pacto dicitur moraliter temperatum; vel intemperatum. Genus enim moris sumitur per ordinem ad rationem, qua seclusa, moris ratio haberi non potest: quod autem utroque modo sumpto obiecto talium virtutum semper materialiter sumatur, sive incluso, sive secluso ordine ad præscriptionem rationis, patet, quia etiam si quis sciat, & habeat præscriptionem rationis, cibum hoc esse v. g. temperatum, seu conformem naturæ appe-

titivæ,

titivæ, adhuc potest talem cibum sumere ob vanam gloriam. Obiectum autem iustitiæ, ex eo præcisè dici iustum, vel iniustum, quod est conforme, vel disforme iuri alterius, prout est in se, non autem, prout a ratione præscribitur, cum medium iustitiæ sit medium rei, medium autem aliarum virtutum sit medium rationis. D. autem Thomas loco ab adversarijs citato per ly, *præter intentionem*, non idem intellexit, quod in hoc articulo, quem præ manibus habeo, per ly, *etiam non considerato*, hic enim voluit excludere ab obiecto iustitiæ dependentiam a iustitiæ virtute, cum affirmet posse fieri ex alia intentione, quod convenit etiam alijs obiectis aliarum virtutum, ut discurrenti patet. Loco vero ab adversarij citato; significat, quod temperatum, vel intemperatum factum ultra præscriptionem rationis, ut accidit Noe in vini potu nescienti; nec materialiter, nec formaliter temperatum, vel intemperatum dici potuit moraliter loquendo; in quo aliqua est differentia inter obiecta aliarum virtutum, & iustitiæ obiectum. Hæc autem doctrina ex parte est Caietani in Commentario Aristotelis, &c. quamquam sub obcurissimis verbis.

31 Patet etiam melius, Caietanum non benè in Commentario dicti articuli respondere ad instantiam factam contra verba prædicta D. Thomæ, *etiam non considerato*, *&c. quæ est hæc*: rectum secundum iustitiam, non consideratur in ordine ad alterum, non considerato qualiter ab agente fiat, quoniam oportet considerare potentiam agentis cum non sit iustum creditoris habere in potestate, nec inventum in his, vel illis scilicet circumstantijs. Non benè inquam, respondere Caietanum ad prædictam obiectionem dico, dum dicit, quod aliud est loqui de iusto; aliud de executione iusti; primum quod est iustitiæ obiectum constituitur totum per ordinem ad aliud; secundum vero etiam per ordinem ad operantem; & ratio est, quia ut infra dicam, iustitiæ obiectum non sunt res ipsæ, quæ propter humanos usus transmutantur, & distribuuntur, sed actiones humanæ, quibus talia distribuuntur; sed eæ sunt executiones iusti; ergo si execu-

tiones

tiones iusti, dicunt ordinem etiam ad operantem, ut inquit Caietanus, & concedit, debet etiam concedere, quod obiectum iustitiæ dicit ordinem ad operantem. Sed facilius ego cum meo Magistro in hac materia, dico, quod Sanctus Doctor Angelicus per prædicta verba noluit excludere operationis debitam commensurationem ad operantem, sed solum dependentiam talis operationis ab operante ex intentione honestatis illius operantis.

32 Sed contra conclusionem, prout affirmat obiectum iustitiæ sumi per ordinem ad alterum.

33 Obijcies primo. Tale debet esse obiectum iustitiæ secundum ultimam differentiam, secundum quam iustitiæ obijcitur; at iustitia secundum tale obiectum distinguitur ab omni alia, quę non est iustitia, atqui si obiectum iustitiæ sumeretur per ordinem ad alterum, non distingueretur ab omni alio, quod non est iustitia: ergo, &c. maior est certa, minor probatur. Etenim Religio, Pietas, &c. Obedientia, Gratitudinis, &c. non sunt virtutes iustitiæ, & tamen habent obiectum per ordinem ad alterum. Religio ad excellentiam divinam, pietas ad patriam, & parentes; misericordia ad naturæ necessitatem; obedientia ad superiorem; gratitudo ad benefactores: ergo si obiectum iustitiæ sumeretur per commensurationem ad alterum, iustitia, per ordinem ad tale obiectum, non distingueretur ab omni alia virtute, quæ non est iustitia.

34 Respondeo. Ordinem ad aliud non esse rationem obiectum solius iustitiæ specialiter sumptæ, & specierum illius, ut est iustitia commutativa, & distributiva, &c. sed iustitiæ, prout includit omnes virtutes ipsi annexas, acceptæ coniunctim, ut sunt enumeratæ in obiectione, quarum iustitia specialiter sumpta dicitur virtus cardinalis. Distinguitur autem in eo, quod obiectum iustitiæ non solum est ad alterum, sed etiam iuri alterius commensuratum, & iustatum. Religio autem non potest reddere Deo cultum iustatum eiusdem excellentiæ; neque filius reverentiam patri iustam iuri paterno, quare concessa maiore, distinguo

stinguo primam partem minoris: si obiectum iustitiæ sumeretur tantum per ordinem ad alterum, concedo: si per ordinem ad commensurantem, ut debet sumi, nego primam partem minoris.

35 Obijcies 2. In satisfactione Christi fuit vera iustitia, & tamen non fuit alteritas iuris, cum non fuerit diversitas personarum; ergo, &c.

36 Respondeo, & dico: quod in satisfactione Christi fuit diversitas personarum, nec non naturarum, ut dixi in tract. de Incarnat. quando agitavi hanc quęstionem: ratione unius personæ duobus æquivalentibus, vel, ut melius dicam, ratione duarum naturarum realiter distinctarum; nomine enim alteritatis personarum, potest etiam saltem largo modo venire alteritas naturarum intellectualium, ut dixi in materia de Incarnatione examinando illam quæstionem famosam inter Theologos; an videlicet Christus satisfecerit pro genere humano de rigore iustitiæ, quod si non fuit inter Deum, & Christum vera iustitia ex alijs capitibus (ut asserunt aliqui Theologi, quod ego non admitto) non fuit certè ex defectu alteritatis iurium, unde argumentum nihil facit contra me.

37 Obijcies 3. Si quis vellet, vel in iudicio, vel extra petetere, ut aliter æqualitatem secum faceret, cui centum credidit, & ut iudex ferat sententiam, ut debitor restitutionem faciat; quatenus commensuratam iuri ipsius: tunc iste talis haberet actum iustitiæ, & tamen obiectum desideratum propter se, nempe sententia iudicis, & restitutio commensuraretur iuri ipsius hominis habentis actum iustitiæ; ergo non est de ratione iusti secundum illam formalitatem, secundum quam iustitiæ obijcitur, ut sit commensuratum iuri alterius, cum possit commensurari iuri ipsius hominis iusti.

37 Respondeo. Dictum actum non esse primario, & directè sed solum secundario. & indirectè iustitiam, inquantum habet pro obiecto alium actum, qui est verè actus iustitiæ: undè ille primus actus dici ad summum potest obiectum iustitiæ in obliquo, numquam in recto. Desideret enim directè, & primario

actum iustitiæ existentem in iudice, & restitutionem. Quando ego dico actum iustitiæ sibi assumere obiectum commensuratum iuri alterius, intelligo de actu directo; proprium autem motivum secundum propriam materiam prædictorum actuum, erit compensatio iuris proprij, quatenus bonum suum, & sic est actus per se spectans directè ad virtutem propriæ dilectionis, quod si quis desideret prędictam ęqualitatem in bonis alterius faciendam ab alio debitore, quatenus propria illius sunt, habebit actum dilectionts proximi, quod idem dicendum est de consulente restitutionem.

39 Obijcies 4. Aristoteles 5. Etic. 11. & D. Thomas q. seq art. 2. ponunt iustitiam, in uno, & eodem homine respectu duarum partium, utpotè, appetitus sensitivi, & rationalis. Respondeo, quod loquntur metaphoricè, & non propriè.

40 Obijcies 5. Eadem Charitatis virtute diligit bona propria & aliorum; ergo eadem iustitia conservat ius proprium, & alienum, &c. Respondeo, quod magna est disparitas, & in hoc consistit, quia eadem est dignitas naturæ rationalis in utroque homine, quæ est radix, quare tales naturæ bonę amentur, ius tamen nostrum non est in aliena libera potestate, cui possit vis inferri, ex quo namqne tamquam ex radice oritur obligatio conservandi ius illud. Nemo enim potest inferri vim sibi ipsi.

SVBSECTIO III.

Obiectum, tum materiale, tum formale, tum adæquatum, tum inadæquatum iustitiæ, expressius assignatur.

41 Firmavi in antecedenti subsectione, quod Angelicus Mafter, Protector meus, pro obiecto iustitiæ assignavit ius, seu iustum, illud videlicet, quod est conforme iuri alterius, ex qua uniformitate veluti ex radice oritur convenientia eiusdem iusti cum natura rationali. Nunc clarius, & expressins videndum est primo, quodnam sit hoc ius, ac quænam res sit illa, quæ

hanc conformitatem habet. Secundò, utrum ius alterius, & similiter persona habens tale ius, immò, & persona ipsa iusti ingrediantur aliquo modo rationem obiecti iustitiæ. Tertiò; an ius, quod secundum D. Thomam, est iustitiæ obiectum, sit obiectum materiale, vel formale, & quia talis materia aliquantulum in longum trahere me potest, ut omni claritate possibili totum resolvam, per plures conclusiones negocium totum decisum remanebit. Prænotando prius aliqua ad intelligentiam dicendarum necessaria.

42 Notandum est primo, quod in actu iustitiæ hæc omnia intercedere habent, ex parte eius, ad quem est iustitia, & primo persona habens ius, sive legiptimam potestatem in rem suam. Secundò ipse res sunt, de quibus est ipsa facultas talis; tertiò est ipsa facultas, seu moralis potestas. Quarto est ratio, in qua fundatur talis potestas, quę ratio, aut est libera donatio, vel lex ipsa, aut prima occupatio. Quintò est commensuratio rerum supra posita cum ipso iure, ex parte vero illius personæ; quæ facit iustitiam, primo est ipse habitus virtutis iustitiæ. Secundò operatio ipsa immanens: vel (ut secundum meam sententiam loquar) est terminatio animæ rationalis, sive voluntatis (in meo sensu similiter) ad rem commensuratam iuri alterius. Tertiò est ipsa externa operatio, volita ab interna; & ab illa præceptata, terminata ad rem, ut in potestate proprij domini positam. Qoartò ipsæ res, quæ dantur, vel tolluntur. Quintò puto addendam esse personam habentem iustitiam.

43 Notandum est secundo id, quod ego dico in meo Sertu Phylosophico, par. 1. in quæstionibus meis proemialibus, nempe quod obiectum materiale, est illud, quod obijcitur potentiæ, habitui, vel actui, non tamen propter se cognoscitur, vel amatur, seu propter aliud; obiectum vero formale, è contra se habet, nempe amatur non propter aliud, nec per aliud, sed per se, & propter se, v. g. medicina amatur ab ęgroto non propter se, sed ratione sanitatis, quare in tali casu medicina erit obiectum materiale, sanitas vero obiectum formale respectu dicti ægroti.

44 No-

44 Notandum tertio, quod obiectum voluntatis, sive materiale, quod vocatur medium, sive formale, quod vocatur finis, cuius generis est obiectum iustitiæ, quæ quidem iustitia est habitus existens in voluntate, duo includit. Primo ipsum bonum, vel propter se, vel propter aliud volitum, ut cum v. g. mihi, vel Petro desidero sanitatem, vel divinam gratiam, sanitas, aut gratia, sive aliud est bonum volitum. Secundò est persona cui tale bonum desideramus, & in tali casu erit, persona mea, vel Petri. Primum si est obiectum formale, dicitur, *finis cuius gratia*, si est materiale, dicitur obiectum, *quod*. Secundum vero si est obiectum formale, dicitur *finis cui*, si est obiectum materiale obiectum *cui* vocatur; præterea in utroque obiecto adest possessio, vel quasi possessio obiecti, quod est *finis cuius gratia*, & vocatur obiectum, vel finis *quo*: quo mediante obiectum *cui* adipiscitur, obiectum *quod*, vel *cuius gratia*: ex quibus tribus conflatur totale obiectum materiale, vel formale, voluntatis, ex obiecto videlicet, *cui*, *quo*, & *quod*; hoc totum, e. g. egrotus sibi desiderat sumptionem medicinalem; ex fine vero, *cui*, *quo*, & *cuius gratia* integratur obiectum formale, propter hoc enim totum ægrotus medicinam cupit, ad hoc ut sibi sanitatem recuperet. Quandoque denique adest in utroque obiecto persona, a qua procedit obiectum, vel finis cuius gratia; ut quando e. g. desideramus alicui gratiam a Deo, & vocari potest Deus obiectum, vel finis, a quo.

45 Notandum est quarto, quod iuxta ea, quæ dixi in proemialibus logicis in meo Sertu Phylosophico, par. 1. de obiecto materiali scientiarum; tàm obiectum materiale, quàm formale, unum est proximum, alterum remotum: proximum illud, quod in se attingitur ab actu voluntatis, remotum est illud, quod non attingitur secundum formalitatem ab actu voluntatis, vel potest dici obiectum formale per se, & obiectum formale per accidens, ut tollantur omnes ambiguitates, atque equivocationes, his prænotatis, sit pro me, tamquam res indubitata, atque certissima.

46 Conclusio 1. Personam habentem ius non esse obiectum *quod*, nec finem *cuius gratia*; sed obiectum *cui*, asserimus; modo supra explicato.

47 Probo conclusionem, obiectum, *quod* est finis cuius gratia, debet esse id, quod a iustitia, vel propter se, vel propter aliud amatur; sed a iustitia, ut iustitia est non amatur persona, cuius ius servat illęsum, vel resarcire habet, si iam læsum est: ergo persona habens ius non est obiectum *quod*, aut finis, *cuius gratia*, *&c.* maior propositio est apud omnes indubitata; minorem sic probo; quia possum facere actum iustitiæ etiam illi cui odio habeo.

48 Quod autem sit obiectum *cui*, vel finis cui, quod est secunda pars conclusionis probanda, patet: nam est id cui aliquod bonum facimus ad æqualitatem sui iuris; ergo, &c.

49 Conclusio 2. Ius acceptum pro legiptima potestate morali esse obiectum proximum, vel finem per se, *cui*, dicendum est.

50 Probo conclusionem hanc secundam sic: non est institia existens in debitore, qui dat centum Petro, cui debet illa sub formalitate obiecti ut sic; sed sub formalitate creditoris; atqui creditor, ut creditor, constituitur formaliter per ius sumptum pro legiptima potestate, quàm Petrus habet in centum; ergo ius ita sumptum, est obiectum proximum, seù ratio formalis, seù ratio finis per se *cui*; consequentia probatur exemplo pietatis, & religionis; illæ namque præstat obsequium parentibus, sub nomine pietatis, hæc autem, nempe religio debitum Deo cultum, sub nomine infinitæ excellentiæ, non autem sub alia formalitate. Et hinc est, quod obiectum *cui* proximum, vel finis per se in virtute pietatis est ratio primi ortus; & in religione, est ratio excellentiæ divinæ; ergo similiter cum iustitia detęqualem personæ habenti ius sub ratione habentis tale ius, ius non aliud erit obiectum proximum, vel finis per se *cui* in virtute iustitiæ; ex eo enim convincitur, debitorem ideo facere æqualitátem cum iure Petri, quia Petrus habet ius, & facit æqualita-

tem

tem huic, & non alteri; quia huic, & non alteri debet: sed ideo debet, quia hic habet ius, & non alius, ergo persona habens ius, prout est habens ius, est obiectum proximum, vel finis *cui* in iustitiæ virtute, prout in conclusione secunda assertum est.

51 Conclusio 3. Res exteriores sunt obiectum *quod*, vel finis *cuius gratia* in virtute iustitiæ.

52 Probatur ista tertia conclusio tali modo. Illud est obiectum *quod*, & finis *cuius gratia* in omnibus actibus voluntatis, quod est illud bonum, quod alicui volumus, & oramus; sed per actum iustitiæ volumus res ipsas alteri; ergo res ipsæ v. g. centum, sunt obiectum *quod*, & finis cuius gratia in virtute iustitiæ; de veritate maioris propositionis nihil dubitandum est; minor vero, quæ controvertitur, sic suadetur. Id volumus per actum iustitiæ, quod volumus obiecto, vel fini *cui* eiusdem actus iustitiæ; sed obiecto *cui* actus iustitiæ, nempe creditori volumus res ipsas, quæ per humanos actus commutantur, & distribuuntur: ergo, &c. quia, & si quoad substantiam centum non faciamus creditori, & propterea centum non sunt obiectum iustitiæ secundum eorum substantiam, facimus tamen centum creditori in eius potestate, quod est facere illi centum quoad modum, quæ quidem centum antea taliter illi non erant. Quod autem ita fieri centum sufficiat, patet exemplo ægroti sibi medicinam desiderantis, cui ut obiectum *quod* in tali casu esse medicinam, nemo negat, & tamen per actum a tali desiderio elicito, sive imperato non fit simpliciter medicina; sed solum quoad modum, &c. ergo a pari de rebus externis, circa iustitiam phylosophandum est.

53 Hinc patet solutio danda ad argumentum, quod communiter affertur contra prædictam tertiam conclusionem: nempè res ipsæ non fiunt a iustitia: ergo, &c. Respondetur, quod satis est, ut fiant secundum formalitatem illam, quatenus videlicet sunt in potestate personę habenti ius ad illas, undè, ut dixi, si non fiunt a iustitia, quoad substantiam, fiunt, quoad modum saltem

Quod

Quod si iustitiæ actus non sit reddendi id, quod sublatum est sed non auferendi ab alio res suas; tunc res illæ dicuntur tamen fieri secundum prædictam formalitatem negativè; sicuti actus talis iustitiæ negativè dicitur positivus.

54 Conclusio 4. Commensuratio rei ad ius, non autem rei ad rem, est obiectum proximum *quod*, vel per se finis *cuius gratia* modo supra explicato.

55 Proboconclusionem, tàm quoad partem negativam, quàm quoad partem affirmativam; utpotè quod tale obiectum proximum *quod*, non sit commensuratio rei ad rem, & quoad hanc partem patet conclusio sic. Non habemus verum obiectum iustitiæ, etiamsi aliquando non sit æqualitas rei ad rem, ut patet in redditione gladij depositi, in qua non est æqualitas unius gladij ad alterum; aut pæcuniæ, vel cuiuscunque rei æquivalentis cum ipso gladio; quoad partem affirmativam etiam ostenditur conclusio firmata, quia illud est obiectum proximum *quod*, vel finis cuius gratia in obiecto actus voluntatis, quo stante, stat voluntatis actus, sed stante voluntate rei cum iure, stat actus iustitiæ, ablata, & ipsa, aufertur iustitiæ actus; ergo, &c. maior propositio ultimi argumenti non ponitur in dubium, minor probatur, quia si debitor creditori centum debeat, & ei vellet dare tantum quinquaginta, quando aliàs de facto potest centum dare, non faceret actum iustitiæ; è contra vero, si redderet centum, eo quia centum, & non quinquaginta æquiparantur iuri creditoris; ergo æqualitas rei ad ius, non autem rei ad rem est obiectum proximum *quod* virtutis iustitiæ.

56 Neque, dicat quis in contrarium, nempe, quod si quis depositavit gemmam apud aliquem, vel illam illi comodavit, & gemma deperdita fuit; tunc perdens talem gemmam, debet aliam eiusdem valoris, aut pretium illius in pecunia solvere domino gemmæ; ergo commensuratio rei ad rem, non autem rei ad ius est obiectum, *quod* vel finis, *cuius gratia* in actu iustitiæ.

57 Re-

57 Respondeo: non esse hoc dicendum. Etenim talis obiectio stolida est. Nam pecunia illa, vel gemma non debetur domino gemmæ, eo quia, est æqualis rei deperditæ, sed quia commensuratur iuri dominij, cuius gemma illa deperdita erat, unde dando antecedens, nego consequentiam.

58 Conclusio 5. Possessio rei, ut æqualis iuri proprij domini, quatenus talis possessio est, est obiectum *quo* proximum, vel finis per se *quo* in virtute iustitiæ.

59 Probatur conclusio hæc quinta, Illud est obiectum, *quo* proximum, vel finis per se *quo* in virtute iustitiæ, quo mediante adipiscitur finis, *quod*; sed per possessionem eiusdem obiecti adipiscitur finis *cui*, nempe creditoris obiectum *quod*; ergo possessio rei, ut talis est finis *quo*, actus iustitiæ, prout asseritur in conclusione, atque adeo vera est.

60 Conclusio 6. Persona, quæ iustum facit, quatenus debitor ratione iuris alterius, est obiectum proximum *a quo*, vel finis per se *a quo*, actio verò exterior, est obiectum, vel finis *quo*, se tenens ex parte obiecti *a quo*.

61 Probo conclusionem sic, quoad primam partem; iustitia per iustum vult non solum, ut redatur unicuique, quod suum est, sed ut ipse iustus reddat alteri, quod illius est; ergo persona iusta includitur in obiecto iustitiæ; sicuti si quis vellet, ut Deus det alicui gratiam, obiectum talis voluntatis esset totum agregatum, seu complexum, *Deum dare gratiam in possessione Petri*: explicatur magis hoc dictum; quia sicuti desiderium iusti optimè explicatur his verbis: *volo me dari in posse creditoris mei*: ita dici potest, quod obiectum voluntatis iustitiæ, & totum illud, quod per eundem verbum significat ipse operans per ly: *me*: ergo, &c. quod autem persona, quæ facit iustum, sit obiectum *a quo*, patet, nam sicuti cui fit iustitia, dicitur obiectum *cui*, ita a quo iustum fit, obiectum *a quo* dicendus erit.

62 Quod autem sub ratione debitoris sit obiectum *a quo*, vel finis per se *a quo* proximus, ostenditur, quia ideo dat, quia, debet, quod si non ex hoc motivo daret, non exerceret actum iustitiæ, sed alterius habitus.

63 Quod

63 Quod vero debitum debeat oriri ex iure creditoris, non debet verti in dubium; nam si oriretur ex alio titulo, esset alterius virtutis, non autem iustitiæ.

64 Probatur tandem, quoad secundam partem, nempe quod actio exterior sit obiectum proximum *quo*, se tenens ex parte obiecti *a quo*, quia est actio penes iustitia in possessione creditoris rei suæ: ergo &c.

65 Conclusio 7. Iustum prout omnia supra dicta includit est obiectum adæquatum iustitiæ.

66 Probo sic conclusionem. Vt ex supra dictis patet, obiectum adæquatum iustitiæ est quoddam totum constitutum, primò ex persona operantis; secundò ex actione externa ipsins operantis, vel terminatione actionis; tertiò rebus ipsius; quartò possessione; quintò denique persona creditoris; sed hæc omnia, quamvis non assignentur in recto ab Angelico Magistro, saltem quædam in recto, & quædam in obliqno assignantur ab ipsomet; ergo totum dictum agregatum, etiam in sententia ipsius Angelici Doctoris est obiectum adæquatum iustitiæ.

SVBSECTIO IV.

Obiectiones contra positas conclusiones solvuntur.

67 OBijcies 1. contra primam conclusionem. Si persona creditoris esset obiectum, vel finis *cui* in virtute iustitiæ, sequeretur ipsum solum posse habere rationem obiecti formalis in virtute iustitiæ; atqui hoc est falsum, ut constabit ex dicendis infra: ergo, &c. probatur sequela: quia illud est obiectum formale, vel finis virtutis alicuius, quod amatur ab illa propter se, alia vero amantur propter ipsum, sed tale inter omnia obiecta, est obiectum *cui*: ergo si persona creditoris esset obiectum *cui* in virtute iustitiæ, sequeretur, creditorem tantummodo inducere rationem obiecti formalis talis virtutis iustitiæ. Maior est certa: minor probatur, quia alia obiecta partialia, quæ non

sunt

ſunt obiectum *cui*, propter illud debent amari ad quod ordinantur, loquendo de actu illo, qui illud ordinat ad alterum, ſed alia obiecta partialia; nempe obiecta, *quo*, *quod*, & *a quo*, per illum actum, quo ut talia obiecta amantur, ordinantur ad obiectum *cui*, ipſum vero per eumdem actum ad nullum aliud obiectum ordinatur: ergo ſolum obiectum *cui* poteſt eſſe, & habere rationem obiecti formalis finis ultimi, & rei amatæ, propter ſe, in obiecto actus voluntatis.

68 Reſpondeo; nego ſequelam, ad probationem, concedo maiorem, & minorem nego, ad probationem minoris, maiorem diſtinguo: ad quod ordinatur, tamquam ad obiectum particularem, ſive partialem, ſive compartialem, itaut per eumdem actum indiviſibiliter ambo tangantur, nego: ad quod ordinantur, tamquam media ad executionem finis, concedo, & nego conſequentiam.

69 Obijcies 2. Contra eamdem concluſionem. Quoties aliquod obiectum amatur propter aliud, toties illud amatur, ut finis; hoc vero, ut medium; ſed ſi creditor eſſet obiectum *cui* in virtute iuſtitiæ, ſequeretur in actu iuſtitiæ amari obiectum *quod* propter ipſum creditorem; ergo ipſe creditor eſſet finis, obiectum vero, *quod* eſſet medium. Maior huius ultimi argumenti pro certa ſupponitur, minorem probo; quia per actum iuſtitiæ amatur obiectum *quod*, ut bonum ipſi creditori, ratione talis bonitatis: ergo propter creditorem.

70 Reſpondeo. Nego minorem: aliud eſt enim unum amari; quia eſt conveniens alteri, aliud amari propter alterum; vel prius realiter, vel ſaltem ratione amatur; in hoc ſecundo poteſt intercedere ratio medij, & finis; in primo, nequaquam, dici *poteſt*, quia non eſt neceſſe, ut obiectum materiale ſit medium: nam, ut ſupra dixi, ex fine, cuius gratia, & fine cui convaleſcit integer finis, & effectus voluntatis indiviſibiliter reſpicit utrumque; nec eligit unum, ut medium, & ordinat ad perſonam tamquam ad finem, ut patet cum nobis deſideramus æternam fœlicitatem, quam amamus, ut ultimum finem, non vero ut medium,

nobis tamen concupiſcimus; quamvis non propter nos, ut affirmat Vaſquez. prima ſecundæ diſput. 2, cap. 3. ergo non omne quod amatur alicui, amatur propter illum, tamquam medium propter finem.

71 Obijcies 3. Contra concluſionem ſecundam poſitam ſupra ſub num. 48. in antecedenti ſubſectione. Si quis putaret aliquem depoſitaſſe apud ſe gladium, vel gemmam pretioſam, qui tamen, nec unum, nec alterum revera depoſitavit; ſi reddat illi gladium, efficiet illi actum iuſtitiæ, & tamen perſona, cui redditur gladius, nullum ius in gladium habet: ergo ius accepto pro legiptima poteſtate morali, non eſt obiectum proximum, vel finis per ſe *cui*.

72 Reſpondeo. Concedo antecedens, & conſequentiam nego; nam in tali caſu ſufficit ius putatum per ignorantiam invincibilem.

73 Obijcies 4. Contra eamdem concluſionem. Illud eſt obiectum proximum, & per ſe in quodlibet obiecto, & fine, ſive totali, ſive particulari voluntatis, in quo ultimo ſiſtitur in reddenda ratione, cur voluntas feratur circa illud, ſeu in quo ultimo reſolvitur tendentia voluntatis; ſed tendentia voluntatis non ultimo reſolvitur in iure creditoris: ergo, &c. Probatur minor, quia petenti, quare Petro reddis centum, & non Franciſco; reſpondebis, quia Petrus habet ius, & non Franciſcus. Petenti vero, quare Petrus habet ius, & non Franciſcus reſpondebis: v. g. quia Petrus eſt hæres Antonij, & non Franciſcus; ergo id, in quo ultimo reſolvitur tendentia iuſtitiæ, ut in proprium obiectum, eſt fundamentum iuris, non autem ius.

74 Sed falſitas huius argumenti, ex eo patet, quia etiam petenti, cur hæres Antonij, qui eſt Petrus, & non hæres Iacobi, qui eſt Franciſcus, optimè reſpondetur, quia Antonius emit a Lelio, non autem Iacobus, & rurſus petenti, debetur a Lelio non a Tullio habet prædictum ius. Reſpondebis, oh Lector, quia Lelius, & non Tullius, gratis accepit a Fabio, & ſic gradatim uſque ad primam acceptionem. Vnde obiectum formale iuſtitiæ

non est quodcumque fundamentum iuris, sed primum fundamentum, nempe prima occupatio.

75 Respondeo: ego distinguendo maiorem, in quo ultimo resolvitur tamquam inradicem ad quam tenditur, concedo, tamquam in rationem, quę sit principium rationis ad quam redditur, nego: & eodem modo distinguo minorem, & consequentiam nego. Ad probationnem minoris dico, in fundamentum iuris resolvi tendentia iustitiæ, non tamquam in rationem ad quem tendatur ipsa tendentia, itaut dicere valeamus, id satisfacere iuri Petri v. g. quia prædictum ius fundatur in hęreditate, sed tamquam in principium, seu fundamentum rationis, ad quem tenditur; itaut possimus dicere, Petrum habere ius ratione hæreditatis. Exemplum clarum habemus in obiecto fidei; quod nihil aliud est, quàm divina veritas revelans; & quamvis ideo Deus est veritas infallibilis, quia est Deus; Deus tamen sub ratione formali, non est obiectum formale fidei (secundnm communem sententiam) sed solum authoritas, in qua assensus fidei, ultimo resolvitur, tamquam in rationem formalem asentiendi, & si resolvatur in Deum sub ratione Dei, tamquam in rationem fundandi rationem formalem asentiendi, authoritatem scilicet, ita est in casu nostro.

76 Obiicies 5. contra tertiam nclusionem. Aliquando, id quod debemus alteri non sunt res, quæ propter humanos usus commutantur, & distribuuntur, sed actiones ipsæ exteriores; ergo obiectnm, quod iustitiæ non sunt res, sed actiones; Probatur antecedens; quia servi non debent domino suo aliquam rem; sed solum servitutem personalem. Similiter, nec Principi milites, præter proprium laborem; ergo aliquando non debemus res ipsas; sed tantum actiones exteriores. Consequentia sequitur; quia si res exteriores esent obiectum, quod institiæ, sequeretur, quod rebus exterioribus deficientibus, iustitiæ quoque virtus deficeret, & actus iustitiæ; cum non possit dari talis virtus, absque obiecto.

 77 Re-

77 Respondeo, & breviter dico, quod in tali casu, actiones ipsæ exteriores sunt id quod in usum humanum commutantur; ipsæ enim venduntur pretio, ut exemplificat hic Angelicus Doctor in corpore articuli. Quapropter cum prędictæ actiones fieri nequeant per aliam actionem, duplicem includunt formalitatem, nempe, quatenus sunt id, quod alteri tribuitur, & quatenus sunt id, quod se tenet ex parte obiecti *a quo*, unde dando antecedens, nego consequentiam.

78 Obijcies 6. Contra eamdem conclusionem. Si res ipsę essent obiectum *quod* in virtute iustitiæ, sequeretur, quod obiectum omnium virtutum esset iustitiæ obiectum, & sic una tantum esset virtus, nempe iustitia. Probatur sequela; quia res, quæ debentur sunt aliquando ieiunium; aliquando actus religionis, aliquando obiectum fortitudinis, ut miles in bello: ergo si res, quæ debentur essent obiectum *quod* iustitiæ, obiectum cuiuslibet virtutis esset iustitiæ obiectum.

79 Respondeo, distinguendo sequelam; efficeret actum iustitiæ absolutè sumpto iustitiæ nomine, nego sequelam; sumpto iustitiæ nomine cum addito, hoc est, iustitia versans circa bonum, honestum, alienum, concedo. Ego autem hic loquor de iustitia absolutè sumpta, ita Aversa prima secundæ quæst. 55. sect. 18.

80 Obijcies 8. Contra quintam conclusionem, in qua dicitur possessionem, &c. esse obiectum *quo* virtutis iustitiæ, & argumentantur sic adversarij. Possessio est obiectum *quod*; ergo malè dicitur in conclusione esse obiectum *quo* proximum, &c. probatur antecedens, quia illud est obiectum *quod*, quod per actum voluntatis volumus alicui, &c. sed per actum iustitię volumus alicui possessionem rerum suarum; ergo possessio est obiectum *quod* virtutis iustitiæ,

81 Respondeo, & dico, quod per ly *ut quo* non cadit supra respectum obiecti ad actum, quoniam respicit eodem pacto, sed cadit supra respectum unius obiecti partialis ad alterum, respectus autem, quem habet possessio in ordine ad alia obiecta par-

tialia

tialia, videlicet, ad rem posseſsam, & personam possidentem eſt, ut ſit id, quo mediante perſona poſſidet res ipſas, & id circò dicitur obiectum *quo*: unde nego antecedens; & ad probationem eius nego maiorem; quæ quidem doctrina rectè explicata erit, ſi quid controverſię ſit de eorum nominibus, nempe de obiectis partialibus iuſtitiæ.

82 Obijcies 9. Contra 6. concluſionem. Poſita ſententia probabile, quæ eſt Magiſtri mei R. Patr. Bonaventurę Perremuti; qui ſuis inſignibus virtutibus ſemper vivet, qui docuit actiones ſemper eſse immanentes in cauſa, & quod nec ab ea liberè efficiantur mediante potentia, quæ implicat contradictionem, & per conſequens, quod actio exterior tradendi res in poſseſſione alterius ſemper ſit in homine, nec ab illo, vel eliciantur, vel imperativè efficiantur, cum ſint quid inditum ipſi a natura, tales actiones non poſsunt eſse obiectum iuſtitiæ; ergo, &c. Probatur antecedens, quia actio, quæ debet eſſe obiectum, *quo* iuſtitiæ, ſe tenens ex parte obiecti *a quo*, debet eſſe quid materialiter elicitum, vel imperatum a virtute iuſtitiæ, utpotè bonum conveniens naturæ rationali operantis; ſed ſtante ſententia probabili, quæcunque actio non elicitur liberè ab homine, ſed eſt in ipſo per emanationem a principio ſuæ generationis, non eſt quid bonum ipſi morale propter eamdem nationem; ergo, &c.

83 Reſpondeo, & dico, quod ſtante probabili ſententia adducta (quam ego etiam probabilem teneo in mea Phyloſophia) nec actus ipſe iuſtitiæ elicitur a iuſtitia, nec actus, qui dicitur imperatus, ſed id, quod in aliorum ſententia de actibus, &c. intelligendum eſt ſtante noſtra ſententia hic, de ipſorum actuum libera terminatione obiectiva; unde nihil contra me, nam hic ego non diſputo, an ſubſtantia actionis ſit obiectum *quo* prius elicitum ab homine iuſto, quo ponitur in poſſeſsione proprij dominij, an vero ſit obiectum *quo* prius terminatum ad obiectum *quod* ſtante libera terminatione actus interni voluntatis, tamquam conditio neceſsario requiſita, ponitur dictum obiectum *quod* in poſseſsione proprij dominij.

SVBSE-

Num prædicta obiecta partialia assignata sint obiecta formalia, an vero materialia in virtute iustitiæ.

84 THeologorum communis sensus est, secundum ea, quę tradunt cum D. Thoma infra 2. 2. de obiecto virtutis fidei, ut etiam dixi cum de fide, affirmantes obiectum formale fidei, esse divinam authoritatem revelantem, obiectum vero materialem esse mysteria revelata, quia iuxta Angelici Doctoris mentem, obiectum materiale est illud, quod non propter se, sed propter aliud amatur, è contra vero obiectum formale est illud, quod per se amatur, aut cognoscitur. Hoc enim modo se habet in fide theologica divina authoritas revelans; mysteria vero revelata, quamvis attingantur a fide, non attinguntur tamen propter se, sed propter divinam authoritatem revelantem, propter se prius cognita. Obiectum formale virtutis iustitiæ esse iustum, sive res sint, sive actiones sub formalitate iusti; idem vero iustum, secundum aliam formalitatem esse obiectum materiale eiusdem virtutis iustitiæ. Contra quas sit.

85 Conclusio. Iustum secundum illam formalitatem, secundum quam attingitur a iustitia, secundum rationem commensurationis, prout distinguitur a seipso, secundum aliam formalitatem considератum, secundum quam non attingitur a iustitia, nullo modo potest dici obiectum formale iustitiæ, nec similiter idem iustum secundum illam formalitatem, secundum quam a iustitia non amatur, nullo pacto dici potest ex hoc præcisè obiectum materiale eiusdem virtutis iustitiæ.

86 Probo conclusionem. Tum quia Theologi cum D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 1. hic obiecti materialis, & formalis nomen, non in hoc, sed in eo sensu accipiunt, quem supra explicavimus. Tum etiam quia, si obiectum formale, & materiale hoc pacto distingui deberent, mala erit eorum doctrina, cum non distinguant obiectum, quod per se cognoscitur, ab alio obie-

ctō, quod propter aliud, & maximè in hac præsenti quæstione de obiecto iustitiæ; deberent enim assignare obiectum formale *quod*, & obiectum formale propter quod, hic autem non expendunt; ergo non ita distingui debet in hac materia obiectum formale, & materiale. Tum quia, & si expenderent, obiectum formale *quod*, & obiectum formale propter quod, non bene loquerentur, quia non sequerentur locutionem D. Thomæ, quem ineptè putant immitari.

87 Secunda Conclusio. Obiectum formale virtutis iustitiæ est aggregatum explicatum in ultima conclusione antecedentis subsubsectionis n. *63*.

88 Probatur, quia totum illud propter se amatur, quamquam unum alteri ametur; sed obiectum formale voluntatis est illud, quod amatur propter se; ergo, &c. minor non potest verti in dubium, quia certa est; maior probatur, quia persona debitoris non amatur ex motivo alterius, nec actio exterior ipsius, nec res nec ipsarum possessio; nec denique persona creditoris; ergo, &c. probatur antecedens; quia si aliquid aliud ipsarum amaretur a iustitia propter aliquid aliud, maximè amarentur quatuor propter quintam, at hoc non est dicendum, ob rationes assignatas in anteced. subsect. ergo, &c.

89 Tertia conclusio; prædicta omnia, secundum prædictas formalitates, in antecedentibus conclusionibus, præcedentis subsectionis explicata sunt obiectum formalissimum, seu formale proximum, aut finis per se in virtute iustitiæ; secundum autem alias formalitates, sunt eiusdem virtutis finis per accidens.

90 Quarta conclusio. Obiectum materiale iustitiæ, sive per se, sive per accidens est omne id, quod amatur a voluntate, tamquam medium ad exequendum prædictum finem, quod patet etiam ex dictis.

91 Dices. Si hoc esset, sequeretur, quod possemus habere obiectum formalem iustitiæ absque materiali obiecto; hoc est falsum; ergo, &c. Probatur sequela, quia possumus aliquando amare finem, absque eo, quod amemus media propter finem,

quam-

quamvis tunc non ametur ut finis, habebit tamen rationem obiecti formalis iuxta nostram doctrinam, cum ametur propter se, minor ostenditur, quia obiectum formale, dicitur per relationem ad obiectum materiale.

92 Respondeo, concedo sequelam, nego deinde minorem, & ad eius probationem distinguo antecedens; dicitur per relationem coniunctionis nego, dicitur per relationem appositionis concedo, si quidem sicuti obiectum formale cosistit in eo, quod per se cognoscatur; ita obiectum materiale è contra dicitur, ex eo quod per se non cognoscitur.

93 Quod si dicant, obiectum formalem, & materialem denominari a materia, & forma, unde sicuti forma complet materiam, ita obiectum formale materialem: quare sicuti forma non potest esse sine materia; ita nec obiectum formale sine materiali, & è contra, ad similitudinem materiæ, & formæ.

94 Respondendum est. Quod nomen obiecti formalis, & materialis, non est derivatum a materia, quatenus ordinatur ad formam, quæ est eius compars, ut dicunt Aristotelici, sed quatenus comparatur ad essentiam perfectam, quæ potest venire nomine formæ; nam sicuti materia est quid imperfectum, ut aiunt eius cultores, requirens perfectionem ab alio: ita obiectum materiale est quid imperfectum in ratione obiecti, cum carentia rationis movendi, expectans hanc motionem ab obiecto formali. Obiectum autem formale est illud, quod ita est perfectum, ut non ordinetur ad aliud, sicuti est essentia Angeli, quæ de se non ordinetur ad aliud, ut dixi, cum de Angelis, in Quæstionibus meis Selectis ex 1. par. D. Thomæ par. 3. quare argumentum nihil facit contra me, & potius est spernendum, quàm timendum.

SECTIO SECVNDA.

Num ius rectè dividatur in naturale, & positivum.

1 IVS hic accipitur pro iusto: undè ius sic acceptum, tùm adæquatè, tùm inadæquatè pro opere, videlicet iuri alterius

terius commensurato. Dividit hic Sanctus Thomas ius in naturale, & positivum: quæ quidem divisio potest adaptari etiam iuri accepto pro facultate morali, quem homo habet in rem suam; undè potest eodem modo dividi ius acceptum pro lege imperante, ut debitor adæquet ius alterius; & ut distintè, & clarius in hac re procedam, sit ad facilitatem maiorem legentis.

S V B S E C T I O I.

Divisio iuris in tota sua latitudine affertur.

2 Dividitur, primo ius acceptum pro iusto, tum adæquatè, tum inadæquatè pro opere iuri alterius commensurato a Beato Angelico Doctore in ius naturale, & positivum; quæ quidem divisio potest etiam aptari, iuri accepto pro facultate morali, quam homo habet in rem suam; hinc potest etiam eodem modo dividi ius acceptum pro lege imperante, ut debitor adæquet ius alterius.

3 Ius naturale est illud, quod ipsa natura rationalis, vel formaliter, vel obiective, vel terminativè homines docet. Formaliter si ius accipiatur pro lege obiectivè; si accipiatur pro opere iusto. Terminativè; denique si accipiatur pro facultate morali, quæ est terminus cui commensuratur iustum. Ius vero positivum est illud, quod, vel formaliter; vel obiectivè, vel denique terminativè voluntas, vel humana, vel divina posuit, vel constituit.

4 Ius hac divisione sic dvisum non est id, ac ius politicum, non tamen eo pacto, quo accipitur a Iuristis, pro eo videlicet, quod est proprium huius, vel illius Civitatis, & Regni, aut Status per leges particulares; sed pro eo, quod convenit homini, ut animal sociabile est: sic Angelicus Doctor hic in argumento, sed contra: qui quidem S. D. totum deducit ex Arist. doctrina 5. Etic. cap. 7. qui dividit expressè ius politicum in naturalem, & legalem, libera lege positum. His præhabitis, sit pro me.

 5 Con-

5 Conclusio 1. ius politicum rectè dividitur (accepto pro iusto adæquatè sumpto, quod idem dico de iusto inadæquatè accepto) in ius naturale, & positivum.

6 Probo conclusionem, quia nullum est opus commensuratum cum iure alterius, & consequenter, quod iustum non pertineat ad alterutrum divisionis membrum; vel enim iustum est iustatum iuri alterius, quia talem iustationem dictat ratio naturalis, sive lumen naturale rationis, de quo in Psalmo 4. dicitur a Citaredo: *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*: vel quia hanc iustationem dictat, ac præcipit lex positiva, vel divina, aut humana. Si primum utique erit ius naturale; si secundum erit ius positivum; præterea nihil includitur in huiusmodi divisionis membris, quod ius non sit: ergo rectè dividitur ius Politicum, acceptum pro iusto, sive adæquatè, sive inadæquatè sumptum, in ius naturale, & positivum, quæ consequentia sequitur, ex mea logicali doctrina.

7 Consolidatur hæc mea ratio; quia sicuti bona in communi dividuntur in bonum, quod ex natura sua est bonum; & in bonum, quod ideo est bonum; quia aliqua lege præcipitur. Primum dicitur præceptum, quia bonum. Secundum dicitur bonum, quia præceptum; & similiter duplex est malum; alterum videlicet quia secundum se est malum, præscindendo ab omni lege prohibente; & alterum, quod malum est, quia solum per legem prohibetur. Primum dicitur politicum, quia malum. Secundum dicitur malum; quia prohibitum; ita bonum particulare, quod est iustitiæ obiectum, aliud est bonum, quod ex natura sua bonum, & consequenter præceptum, quia bonum v. g. redditio depositi, quando, expoliata omni mala circunstantia, tum ex parte agentis, tum ex parte creditoris, & hoc bonum dicitur iustum naturale. Aliud vero, quod ideo est bonum, quia aliqua lege positiva præcipitur, & hoc dicitur bonum, quia præceptatum est, ut adæquare ius vendentis hanc, vel illam rem tanto, vel tanto pretio, hic, & nunc ex præcepto Principis, vel reipublicæ, & hoc dicitur bonum iustum positivum.

8 Con-

8 Conclusio 2. optimè etiam ius sumptum pro facultate morali, tum etiam pro lege imperante adæquationem iuris alterius dividitur in ius naturale, & positivum.

9 Probo 1. conclusionem, quoad secundam partem, nempe de iure sumpto pro lege; quia sicuti in intellectu speculativo dantur quædam principia formalia procedentia a lumine naturæ, ut est hoc dictamen rationis, v. g. *Quodlibet est, vel non est*: cuius obiectum est ipsa veritas obiectiva; ita a pari in intellectu practico, dantur quædam principia formalia practica procedentia ab ipsa intellectus natura, dictantia ipsam rem ex natura sua bona, ut est v. g. hoc aliud exemplum: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris:* dicitur ius naturale, sive lex naturalis circa iustum: & quemadmodum in intellectu speculativo dantur quædam conclusiones, quę difficiliter, & per multos discursus deducuntur ex principijs per se notis, & probabilibus: ita etiam in intellectu practico dantur huiusmodi conclusiones, de quibus infra in solutione argumentorum. Quod si istę conclusiones practicæ sint circa rem commensuratam cum iure alterius, dicuntur lex, sive ius positivum, ut est pactum, conventio, edictum publicum, vel privatum circa valorem rei venditæ: ergo ius sumptum pro lege imperante, ut debitor adæquet ius creditoris, aliud est naturale, aliud positivum, ut satis ex dictis iam clarè patet.

10 Probatur 2. quoad primam partem, scilicet, quod ius sumptum pro facultate morali, quem unusquisque habet in rem suam; quoniam quod creditor habet ius ad tantam, vel tantam rem; vel est ex rei natura, itaut, vel æqualitatem tantam, & talem dictet ipsa ratio naturalis, & hoc dicitur ius naturale, vel hoc ex hominum opinione prudenter existimantium, ut Principis decreto condito, aut pacto publico, vel privato. Exemplum primi sit in mutuo, & deposito; in hoc enim illud idem reddi debet ad æqualitatem iuris, in illo tantum, quantum hæredum est; & hoc ex rei natura, ita dictante naturali lumine rationis. Exemplum sit in rei emptione; & venditione, tanto, vel tanto

pretio. Primum dicitur, ius, seu facultas moralis naturalis. Secundum ius, seu facultas moralis positiva; unde nomine iuris venit etiam consuetudo, quando non est contra legem, ut in l. *de quibus* ff. *de legatis* 1. n. 39. & 82. fol. 19. & in l. *præscript.* C. *si contra ius, vel util. pubblic. num.* 9. nomine autem iuris communis, etiam si propriè veniat ius civile tamen in eo continetur etiam ius gentium, ita in l. *omnes populi* ff. *de iustitia, & iure* num 19. verum est, quod ius commune potentior est iure singulari, vel particulari; ita in l. *huiusmodi* §. *si Titio, & Mevio* ff. de leg. 1. num. 21. quod quidem ius commune potentius est, quam privilegium militis l. *Centurio* ff. de vult. & pup. num. 12. ius canonicum servandum est in foro civili, quando agitur de peccato in l. 11. §. *ex pluribus* ff. *de acquirenda possessione* num. 5. & 13. & hoc ius canonicum prævalet iuri civili in materia iuramenti, *in auth.* sacra publica C. *si advert.* ven. num. 24. dictum ius canonicum servandum est etiam in foro civili, quando clarè per illud reperiatur decisum in l. *naturaliter* §. *nihil commune* ff. *de acquir. possess.* num. 11. fol. 76. & in l. 11. *eo titulo* in §. *genera* num. 22. fol. 66. & idem contra C. *qui feuda* post. num. 36. sed ut cuncta usque modo dicta magis clarescant sit.

SVBSECTIO II.

Rationibus in contrarium respondetur.

11 OBijcies 1. datur aliquod ius naturale, quod non est comprehensum in supradicta divisione; ergo, &c. nam alio modo ius sumi potest; ergo sub membris dividentibus huiusmodi divisionem continetur aliquod, quod non continetur sub diviso. Consequentia sequitur; antecedens probatur, quia ius hic divisum, est ius politicum, quod videlicet convenit homini, prout est animal sociabile, sed datur ius naturale, quod non convenit homini, ut animal sociabile: ergo, &c. maior est certa; minor probatur; nam docet Vlpianus in l. *iusti* ff. *de iustitia,*

& iure.

& iure. §. *huius studij*, & Angelicus Magister art. seq. docet ius naturale dari, quod convenit etiam brutis, cum ius naturale dicat esse illud, quod convenit non solum hominibus, verum & irrationalibus animalibus; sed hoc ius, quod convenit bestijs non convenit hominibus, prout homines animalia rationalia, & sociabilia sunt; ergo non est rectè divisum.

12 Respondeo, dicendo, quod acceptio iuris naturalis secundum sensum Vulpiani, non est extremum divisionis iuris hic accepti. Latius enim patet ius naturale in sensu Vlpiani, quam ius politicum, quod hic dividitur in divisione supra data. Sed ius naturale hic accipitur propriè accepto nomine iuris, quo pacto solum erit illud, quod homini convenit politicum *quod*; brutis autem non convenit ius propriè acceptum, sed solum naturalis instinctus, quod dicitur ius per analogiam ad ius propriè dictum; quo pacto dicuntur etiam prata ridere, unde si rectè loquamur, & in rigore nomine iuris naturalis etiam ius municipalis intelligitur, ut si fuit data potestas alicui iudicandi de iure, & de iure speciali; dicitur iure, & de iure speciali secundum statutum loci, intelligitur, ut not. Baldus l. *illa institutio* ver. *sed pone* ff. de *hered. instit.* Abbas in rubr. *de consuetudine*. Paulus de Ca. in dict. l. ius pluribus modis, &c. nec Beatus Thomas loc. cit. ait ius naturale propriè sumptum, convenire brutis, sed solum secundum quædam, quæ sunt iuris naturalis, etiam brutis convenire per analogiam supra iam explicatam; quare ad argumentum.

13 Respondeo in forma, distinguendo antecedens, ius naturale propriè dictum, nego, impropriè, & per translationem, concedo, & ad eius probationem concedendo minorem, eodem modo distinguo maiorem, undè argumentum nullo pacto affligit meipsum.

14 Obijcies 2. Deum esse colendum, & depositum servandum, sunt aliquod ius, & tamen tale ius non continetur sub iure naturali; neque sub iure positivo: ergo dicta divisio iuris, non est adæquata. Respondeo, quod sicut ius naturale non accipiatur

pro instinctu omnibus animantibus commune, ut est apud iuristas: sed prodictaminibus naturalibus, tum formalibus, tum terminativis, seu obiectivis luminis rationis, re vera pertinere ad ius naturæ, è contra vero non.

15 Obijcies 3. ius divinum non est ius naturale, cum excedat humanam naturam, & non initatur voluntati, nec authoritati humanæ, sed divinæ: ergo malè facta est supradicta divisio.

16 Respondeo, dicendo, cum Angelico Magistro hic ad tertium, ius divinum partim esse de his, quæ sunt naturaliter, iuxta ea, quæ sunt a Deo promulgata, & sic esse ius naturale; partim vero esse de his, quæ sunt iusta institutionem divinam, & sic erit ius positivum.

17 Obijces 4. ius naturale non datur; ergo male fuit divisum ius in naturale, & positivum; consequentia sequitur: antecedens, quod est probandum Phylosophorum authoritate ostenditur. Aristoteles enim 5. Etic. cap. 7. nullum aliud ius agnoscebat præter ius positivum, & multi Heretici ab Augustino citati lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 14. idem dicebant; &c. probatur etiam ratione; quia ut patet ex dictis, ius naturale est illud, quod cum a natura emanatum sit, semper, & ubique eamdem vim habet, & semper immobiliter firmum stat; sed nullum ius tale videtur esse; ergo, &c. maior propositio est plusquam vera; minor probatur, quia nulla obligatio afferri potest in palestra, ex his, quæ communiter dicuntur esse de iure naturæ; etenim rerum communitas in mundi exordio erat de iure naturę, & tamen licitè sublata est, per rerum divisionem. Tum quia libertas est de iure naturæ, & nihilominus licitè introducta est servitus. Tum etiam quia de iure naturæ est per mutuum consensum viri, & fæminæ fieri matrimonium: similiter de iure naturæ est liberum esse unicuique, vel per donationem, vel per testamentum, vel per venditionem alicui rem suam tradere, & tamen hæc omnia mutantur iure humano, addentes alias plures circumstantias, & conditiones. Tanto magis, quod Arist. 5. Et.

cap. 7. ait: *apud nos ius naturale esse mutabile, quamvis non omne, non autem apud Deos*, & S. Thomas prima secundæ quæst. 74. artic. 5. & hic in responsione ad primum ait: *Legem naturæ mutari, non solum per additionem cum propter humanam vitam multa iuri naturæ, tam per humanam, quam per divinam positivam legem addita sint; verum etiam per subtractionem, itaut id, quod prius erat secundum leges naturæ non sit amplius tale*: ergo ius naturale non datur.

18 Respondeo, cum communi aliorum responsione, & dico, quod id, quod dicitur de rerum communitate, & hominum libertate, ex Div. Thoma infra quæst. 66. artic. 2. ad 1. & 1. 2. quæst. 44 ad 3. rerum communitatem non esse de iure naturæ præceptivo, sed permissivo inquantum contrarium non est introductum a natura: hoc autem ius mutabile est, cum per ius positivum illud ordinatur, quod non est a natura dispositum; dummodo hoc non fiat contra naturæ dictamen; quamvis possit esse contra naturæ permissionem. Ad id autem, quod afferunt de matrimonio, & rerum dominio: dicunt similiter non esse per leges positivas aliquod constitutum contra ius naturæ, sed contra id, quod natura dictat aliquod aliud additum, ad quod ius naturæ permissivè, & negativè se habet.

19 Ad id autem, quod affertur ex Angelico Magistro, & Aristotele; dicunt communiter falsum esse antecedens, & sic contra eumdem S. Doctorem 1. 2. q. 91. art. 2. unde ex c. 20. ad Romanos probat oppositum illis verbis: *Gentes, qui legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, servant huiusmodi leges non habentes, sibi ipsis sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: & ad eius probationem distingunt maiorem; ius naturale primarium, nempe quod stat per se, quod statim ratio naturalis perceptis terminis dictat esse agendum, aut fugiendum, cuiusmodi sunt: *Quod tibi non vis, alteri ne facias. Omne bonum est appetendum, & omne malum est fugiendum*: concedunt maiorem; ius naturale secundarium, illud videlicet, quod ex prin-

cipijs

cipijs ex se notis evidenter, & infallibiliter per necessariam causam deducitur, ut sunt: *rem alienam esse restituendam: iusiurandum implendum, standum promissis: secretum servandum:* iterum distingunt maiorem, quod prædictum est immutabile formaliter spectatum, & quoad ordinem ad intrinsecas circunstantias, concedo; naturaliter, prout est in illis, vel his circunstantijs, quę per accidens annectuntur, vel ratione conditionis personæ operantis, vel ratione conditionis creditoris; vel ratione materiæ negant: & eodem pacto distingunt minorem, & negant consequentiam. Si autem S. Thomas, & Aristoteles loquntur dè iure secundario, materialiter sumpto, non autem de iure primario, aut de secundario formaliter accepto.

20 Dicendum est responsioni, quod primis duobus planè acquiesco, quoad tertiam autem nullo pacto: unde sic argumentor; ideo, ut dico in logicis, in intellectu speculativo, concessa maiore, & minore in debita forma, negari nequit consequentia, quia hæc ipsa formaliter, quamvis in confuso, continetur in maiori propositione: ergo similiter in intellectu practico, ideo consequentia hæc, *hic, & nunc debeo reddere Francisco depositum*, sequitur ex his præmissis, *quod mihi volo, alteri facere debeo, sed mihi volo ut depositum reddatur*, vel saltem in illa, *debeo facere alteri, quod mihi volo* includitur formaliter, quamvis in confuso, hæc particularis, singularis, *debeo reddere alteri depositum*, nam ly, *omne id, quod mihi volo*. Significat in particulari, quodcumque mihi volo, inter quæ est depositi redditio: ita, & taliter, ut si falsa esset hæc particularis; *debeo alteri reddere depositum*, falsa esset universalis; *quodcumque mihi volo, debeo alteri præstare*. Ita enim se habent propositiones subalternæ, ut si particularis sit falsa, necessario falsa sit etiam universalis.

21 In forma ergo contra distinctionem maioris sic arguo. Ius secundarium est mutabile ratione circunstantiarum per accidens illi adiunctarum: formaliter vero immutabile, videlicet de vero in falso: ergo similiter primarium. Probo consequentiam: in nullo alio pacto, differunt ius primarium, & secundarium, sicuti

maior syllogiſmi in debita forma redacta cum conſequentia, ſed ſi conſequentia eſt falſa, eſt etiam maior falſa; ergo ſi mutabile eſt ius ſecundarium, mutabile erit, & primarium: maior patet ex ſupra dictis numero antecedenti, minor probatur ſic; nam maior propoſitio, ut dixi in logica, idem eſt ac propoſitio univerſalis, & concluſio eſt propoſitio particularis, aut ſingularis reſpectu prædictæ maioris propoſitionis, verſans circa idem ſubiectum, & prædicatum: ſed ſi propoſitio particularis eſſet falſa, falſa eſſet propoſitio maior univerſalis de eodem ſubiecto, & prædicato; ergo ſi conſequentia eſt falſa, falſa eſt etiam ex eodem capite maior propoſitio. Vel ergo dicendum eſt, quod utrumque ius naturale ſit immutabile formaliter, mutabile vero materialiter, vel utrumque eſſe omnimodè fiſsum, & invariabile.

22 Hinc patet falſitas doctrinæ illorum, qui docent iura naturalia primaria, ideo eſse invariabilia, etiam materialiter, & per accidens, non autem ſecundaria iura; quia illa non præcipiunt ſimpliciter bonitatem, & adæquatam ex omni capite. Conſiſtit enim moralis bonitas in quadam perfectione, ſive integritate actus in genere moris, quæ non conſurgit niſi ex collectione omnium circunſtantiarum, & taliter, quod ſi una tantum circunſtantia ponatur, quæ non pertineat ad bonum honeſtum, *bonum namque ex integra cauſa eſt* hæc autem non præcipiunt bonitatem ſimpliciter, & adæquatam, ſed ea, quæ formaliter eſt, ſpectata natura propria actus, non autem ad reliquas circunſtantias; ergo, &c.

23 Patet, inquam, falſitas huius doctrinæ, quia ius ſecundarium eſt concluſio clarè deducta, a iure primario, vel non. Si ſecundum: ergo ius ſecundarium non erit ius naturale; ſi primum: ergo debet conſtare ex eodem ſubiecto, & prædicato, quo conſtat primarium; quamvis cum hac differentia, quod ius ſecudarium explicitè dicat id, quod in confuſo includitur in primario, ut ſemper evenit in propoſitione ſubalternata, & ſubalternante, & conſequenter ſi ius primarium præcipit bonitatem adæquatam in genere, vel ſpecie, ius ſecundarium præcipiet

hanc bonitatem acceptam; sub eodem genere; si vero ius primarium pręcipiat bonitatem spectato ordine tantum ad propriam naturam actus; ita etiam, & ius secundarium, propter eandem rationem; quia propter eodem prorsus modo, quo variabile, vel invariabile est ius primarium, ita est, & secundarium.

24 Patet etiam falsitas alterius doctrinæ asserentis, iura naturalia negativa, sive primaria, sive secundaria esse invariabilia, & obligare semper, & ad semper, non vero affirmativa; quia ius naturale negativum prohibet obiectum de se ab intrinseco malum, sed quod est malum de se antecedenter ad prohibitionem, non potest per coniunctionem cuiuscunque circunstantiæ bonæ fieri bonum, quia bonum est ex integra causa, ut pluribus in locis dixi, tùm hic, tùm in alijs meis operibus, & malum ex singulis defectibus, non ita vero præcepta affirmativa, quæ cum præcipiant obiectum de se bonum, quod per connexionem alicuius circunstantiæ malæ vitiari potest, non obligat semper, & ad semper,

25 Patet, inquam, falsitas huius doctrinæ; quia præcepta naturalia, sive affirmativa, sive negativa, sive universalia, & primaria; sive particularia, & secundaria præcipiant, vel prohibeant obiectum facturum secundum se bonum, aut malum; vel bonum, & malum spectatis circunstantijs, si primum eodem modo se habent: sicuti enim præceptum affirmativum non obligat semper, & ad semper, quia est variabile, eo quia obiectum de se bonum, potest per accidens vitiari: ita & præcepta negativa sunt variabilia, quia eorum obiectum de se malum, quamvis non possit per aliquam circumstantiam positivè bonum fieri, potest tamen per aliquam bonitatem negativam, sive entitatem extrinsecam fieri rectum, & conveniens, ut patet in iusto Lot offerenti viris Sodomitis proprias filias, adhoc ut se a peccato nefando abstinerent, & per consequens potest etiam præceptum negativum per accidens non obligare, Si secundum; ergo sicuti præceptum negativum prohibet amorem obiectum de se malum, quando non rectificatur per aliquam circunstantiam, &

ideo

ideo est invariabile, ita etiam præceptum affirmativum cum præcipiat obiectum de se bonum, quando ab aliqua circunstantia non vitiatur, erit etiam in ea invariabile, & obligabit semper, & ad semper. Concludo: ergo, vel ullum ius naturalem esse mutabile, vel omne esse per accidens mutabile, & nullum obligare semper, & ad semper.

26 Respondeo igitur ad argumentum supra positum sub n. 15. & nego antecedens, ad eius probationem nego minorem, & ad probationem illius nego antecedens: ad casus autem allatos dico, quod ea, quæ aliquando videntur mutari, esse de iure naturæ permissivo, non vero præceptivo: aliquando immutari per additionem ad ius naturę, non autem per eius derogationem. Aliquando denique per subtractionem conditionum aliquarum, non vero per subtractionem veritatis, & obligationis ad observantiam, & consequenter per desitionem obiecti; non enim ius naturale, etiam particulare præcipit operationem, nisi stante certa materia, & conditionibus. Ad authoritatem Aristotelis, & D. Thomæ dico, quod loquuntur de mutatione obiecti per detractionem conditionum; non autem de mutatione, seu derogatione præcepti; cum autem huius materiæ subtractio accidat in particulari, non autem in communij, idcirco hæc mutatio admittebatur a iure secundario, non vero a iure primario; cui si accidet, non accidit immediatè, & per se, sed mediatè, & per aliud; ideo enim in hoc casu deficit obiectum iuris secundarij.

27 Obijcies 5. si daretur ius naturale, hoc ius esset indispensabile, indelebile, & inemendabile; sed numquam datur huiusmodi ius naturale; ergo malè dividitur ius in naturale, & positivum. Maior propositio est D. Thomæ prima secundæ quæst. 100. art. 8. minor probatur; quia aliquando iura, quæ dicuntur naturalia dispensantur aliquando ab homine; nam a votis, & iuramentis dispensat Summus Pontifex Romanus: idem dispensare habet ab alligatione inter coniuges, quando videlicet non est consumatum matrimonium, ut dixi in Commentario meo in secundum librum Institutionis Canonicæ, cum de matrimonio locutus fui, dum-

modo solum sit notum. Idem dispensat ab obligatione, quàm habet Episcopus ad residentiam in propria Ecclesia, quæ omnia sunt de iure naturæ; aliquando a Deo, nam 22. imperavit Abrehę filij immolationem, & consequenter dispensavit illum in præcepto, *non occides &c.* Exodi 11. imperavit Isdraelitis, ut auferrent Ægiptijs vasa aurea, &c. & consequenter dispensavit cum illis in præcepto, *non furaberis, &c.* Oseæ 1. iussit Prophetæ, ut accederet ad mulierem fornicariam, & faciat filios fornicationum, & per consequens dispensavit cum illo in sexto præcepto, *non fornicaberis*. Concessit in Veteri Testamento pluralitatem uxorum, & fortasse prioris divortium, quod est contra ius naturale; ergo illa omnia, quæ dicuntur esse de iure naturæ, possunt, & solent, vel ab hominibus, vel a Deo dispensari.

28 Item interpetratio Legis per Epicheiam dicitur emendatio legis, & illius correctio; sed aliquando interpetramur legem naturalem: ergo lex naturalis est emendabilis, atquè corrigibilis, ut patet apud iuristas, & semper debet esse favorabilis, sic in l. *verbis civilibus* ff. *de vulg*, & *pup.* num. 5. & in l. 2. ff. *de lib.* & *posth.* num. 5. & in l. si *Ancilla* ff. *de leg.* 1. n. 3. & in legem *si post mortem* ff. *de leg.* num. 9. & *de leg.* 1. l. *si quis testamento* n. 5. & ff. *de usucap.* l. *si ijs*, *quis pro emptore* n. 323. fol. 102. & in l. *manumissiones* ff. *de Iustitia*, & *Iure* num. 15. & non deficiunt in hac re leges, quæ legum omnium interpetrationem admittunt. Probatur minor, quia aliquando interpetrantur, leges non occidendi, quæ sunt naturales, quod scilicet non intelligantur in casu defensionis propriæ. Legem non accipiendi rem alienam, non intelligi in casu necessitatis extremæ, legem reddendi depositum, & promissum servandi, non intelligi, quando resultat in damnum tertij, Innocentis vel patriæ: ergo ius non rectè dividitur in naturale, & positivum.

29 Respondeo, iuxta superius dicta, concedo sequelam maioris, & minorem nego, ad omnes allatos casus respondeo, & primo, de dispensatione dico, quod hoc contingit, per mutationem materiæ, vel detractionem circumstantiarum, quibus

positis est obligatio, eo quia sunt obiectum præceptorum naturalium, quibus ablatis, tollitur præceptum; sicut etiam præceptum naturale de non occidendo, non obligat ad non manducandum, ita nec obligat in casu nostræ defensionis, in omni eventu; sed cum adsunt omnes conditiones ræquisitæ, non autem per dispensationem præcepti hoc contingit in propria materia, in qua obligat, ita D. Thomas prima secundæ q. 100. art. 8. ad 2. quapropter lex naturalis præcipit, ut promissum adimpleatur, nisi ille, cui iam facta est promissio, relaxet. Pontifex autem habet authoritatem relaxandi, ex parte Dei, promisionem Deo factam per votum, & iuramentum, & simimiliter potestatem dissolvendi contractum, ex parte fæminæ, & viri in matrimonio rato, & relaxandi promissionem factam ab Episcopo residendi in propria Ecclesia. Item Deus cum sit absolutus dominus vitæ, & mortis hominum; & rerum omnium, potuit licitè præcipere Abramo sui filij Immolationem, & filijs Isdrael ablationem bonorum Ægyptiorum, non dispensando in lege naturæ, quæ tantum præcipit, nequis propria, & privata authoritate alium occidat, & rem alienam diripiat invito Domino; ita etiam lex prohibet, nequis accedat ad mulierem non suam; at potuit Deus dare Prophetæ aliam non suam, sed fornicatloni expositam, ut deinceps sit sua. Concessit etiam Deus in lege antiqua uni viro pluralitatem uxorum, & prioris dimissionem, ob varias causas, de quibus communiter agunt Theologi in materia de matrimonio, & præcipuè ob inclinationem quam tunc habebant homines ad idolatrandum, ne priorem mulierem propter id occiderent. Quare his stantibus, non cadit supra ipsius naturæ legem, quæ præcipit res cum omnibus conditionibus, & circumstantijs. Verum quidem est, has circumstantias, quandoque esse ab humana prudentia determinabiles; quandoque autem a sola divina. Ad emendationem autem, & correctionem dico, hanc verè esse circa leges positivas, quas interpetrare licet per Epicheiam, quæ est quædam æquitas, & bonitas præsupposita de mente Principis, qui legem tradi-

tradidit, & supponitur illum non intellexisse in tanto rigore verba legis; cum autem ius naturale per se verbis non feratur, consistit enim in dictamine interno rationis; propterea in lege naturali non cadit perfecta interpetratio in casibus adductis, vel loquuntur illi textus de legibus positivis Civilibus, vel quod leges explicamus potius, & declaramus, quidnam in hoc casu recta ratio dictet, & hæc dicitur interpetratio, seu Epicheia legis naturalis improriè, hoc ergo modo accepta interpetratio, nempè non per modum emendationis, sed penes primariam intentionem v. g. explicamus naturam non dictare negationem occisionis alterius in casu, & ratione defensionis propriæ, non autem dicimus, ita debere intelligi per quandam æquitatem, & benignitatem legis de se rigorosè: sicut fit in interpetratione iuris positivi.

30 Obijcies *6.* pro Vviclefo Hæretico apud Concilium Constantiensem sess. 8. nec non pro Calvino, & Lutero, qui idem fecissent de Iure Civili, si non timuissent Magistratum sæcularem, quare argumentantur sic. Non datur ius positivum: ergo malè dividitur ius in naturalem, & positivum. Consequentia sequitur; Antecedens probatur, quia non datur inter homines potestas condendi leges: ergo, &c. Pobatur hoc secundum antecedens; quia si daretur inter homines aliquis, qui legislatoris munus fungi posset; vel esset ad condendas leges civiles, ad bona temporalia præordinatas; vel ad leges canonicas, ob bonum spirituale animarum per se spectantes; neutrum dici potest: ergo, &c. Maior est certa, dicunt impugnantes, minor probatur, & primo quoad primam partem; quia Deus Geneseos primo declaravit se fecisse hominem, ut præesset animalibus, non autem ut unus homo præesset alij: ergo non datur potestas condendi leges in hominibus, spectantes ad bonum temporale. Quoad secundam partem etiam ostenditur; quia in veteri testamento Deus iussit, ut nec adderetur, nec minueretur quidquam suis præceptis, ut habetur Deuteronomij 4. & 12. nam ibi repræhendit Achaz, & Manassem, ex eo quia Aras addiderunt

in

in templo, & 4. Regum 16. & 21. & Iudæos, qui venerabantur mandata hominum, Isaiæ 29. & in Novo Testamento 1. Corintiorum 7. 2. Corintiorum 5. Galatiorum 4. & 5. commendatur libertas fidelium, & liberatio a Iugo legum: ergo, &c.

31 Respondeo, & dico falsum esse antecedens, ad cuius probationem similiter antecedens nego, etenim in omnibus, & singulis supremis Principibus in locis sibi subiectis, & in quocunque Supremo Magistrato, etiam si ad tempus munus exerceant, & in sensu collecto ex primatibus, quæ potestas collata est illis ab ipsamet Communitate, ut evenit in Reipublica. Deus autem in illo loco Genesis, significavit id quod conveniebat omnibus, & singulis hominibus per naturam, nempe præstantiam super animalia, non negavit tamen inter homines, naturæ nobilitate æquales, talem ordinem moralem institui, ut unus præsideat, & imperet alijs: unde in Sacra Scriptura nominantur, & instituuntur Reges, & Iudices, quorum aliqui fuere insignis sanctitatis, & Christus in Evangelio dicit obediendum esse Principibus, & Magistratibus, supponendo eos habere authoritatem leges imponendi, potestatem autem condendi leges spirituales, & canonicas esse specialiter in Summum Pontificem Romanum, quia Iesus Christus in Evangelio commisit Petro curam, & gubernationem Ecclesiæ, & a Pontifice datur Concilijs. Item Episcopi in suis Diœcesibus respectivè huiusmodi potestatem condendi leges particulares, dummodo Sacris Canonibus a Pontifice Romano conditis, & a Concilijs non opponantur. Item Regulares Prælati facultatem talem habent in sua respectivè Religione, aut Provincia, &c. In Veteri autem Testamento, quamvis non fecerit in Synagoga Pontificalis potestas condendi leges, est tamen in Ecclesia Christi. Præterquamquod Iudit. 16. & Exter. 9. & 1. Machab. 4. statutæ sunt novem Festivitates, & Deuteronom. 17. dicitur: *qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, moriatur*. Et in alijs locis iussit Deus, ne quicquam adderetur contrarium suis præceptis: & merito repræhendit Achaz, & Manassem, quia erexerunt nova altaria, ad colenda Idola. Repræhendit

etiam

etiam illos, qui verentes mandata, & iustitiam hominum, negligebant præcepta Dei, ut habetur Matth. 15. *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* In Novo denique Testamento commendatur libertas a iugo veteris Legis; item libertas a servitute peccati, & damnationis, ut patet ex eiusdem scripturæ loca attentè legenti; ergo nullum est argumentum Calvini, Vviclefi, & Luteri contra iura positiva facta.

32 Obijcies 7. si daretur ius positivum, vel hoc ius esset iustum, quia sic homines voluere, cum alias de se iustum non sit; vel quia de se conformatur rectè rationi, & de se convenit naturæ rationali operanti. Si primum; ergo quidquid homines, qui alijs præsunt, sancire habent, iustum est, etiam si sit contra ius naturæ, & sic per ius positivum potest derogari iuri naturali. Præterea, non darentur leges, & precepta iniusta contra id, quod dicitur Isaiæ 10. *vea, qui conduut leges iniquas.* Si secundum: ergo ius positivum non distinguitur a iure naturali, & per consequens malè dividitur ius in naturale, & positivum, cum unum extremum includatur ab alio.

33 Respondeo, dicendo: quod ius positivum, vel est quid probabiliter, vel quid necessarium tamen post multos discursus ingenij acumine, & labore, a principijs legis naturalis per hominum coventionem deductum, impositum, & promulgatum, ut patet de simplici fornicatione in primo Concilio Ierosolymitano, cui præfuit Petrus, vel esse quid, quod homines habentes potestatem pro communi bono statuere, & præceperunt, non quidem contra ius naturæ, sed ultra, præter, supra, & iuxta illud, itaut absque conventione omnium populorum, aliquæ leges positivæ adeo sint legi naturali propinque, & accomodatæ, ut paulatim sint apud omnes nationes acceptæ. Vndè ad argumentum dico: ideo leges positivas esse iustas, quia putant superiores ad bonum communitatis convenientes esse, quod tamen non est contra ius naturæ. Et sic leges iniquæ sunt, quæ impositæ sunt hominibus contra ius naturale, nec quidquam a legislatoribus determinatum est, iustum est; quia aliquando esse potest contra ius naturale. Quapropter sit.

SE-

Num ius gentium ſit idem cum iure naturali.

1. QVemadmodum Phyloſophi, & Theologi ius in duo extrema adæquatè dividunt in naturalem, nempe, & poſitivum. Sic Iuriſtæ idem ius, in tria membra immediate ſecare habent; utpote in ius naturale, gentium, & civile. Iuſta tria genera diviſit Vulpianus leges, ut habetur ff. *de iuſtitia, & iure*, l. 1. & Iuſtinianus Imperator in ſuis Inſtitutionibus poſuit tractatum de iure gentium, naturali, & civili. Similiter Gratianus in decretis diſtinct. 1. cap. 6. Iſidorus lib. 5. etimolog. cap. 4. hinc oritur difficultas, ad quodnam membrum phyloſophicæ, & theologicæ diviſiones reducantur, nempe iuris gentium, & civilis. Et quidem de iure civili certum eſt, reduci ad ius poſitivum; nam ius civile ſunt illæ leges, quæ a quolibet Regno, Statu, Provincia, Civitate, &c. conditæ ſunt: de iure vero gentium dubium eſt: quare Angelicus Magiſter relicta quæſtione de iure civili, ſolum de iure gentium hic diſputare habet, an videlicet ad ius naturale, vel ad ius poſitivum reducatur, pro reſponſione igitur huius difficultatis.

2. Advertendum eſt, quod nomen iuris naturalis dupliciter ſumi poteſt; primo pro dictaminibus rationis, quomodocumque accipiantur, ſive formaliter, ſive obiectivis, ſive terminativis, ſive denique pro ea, quæ ſunt cæteris animantibus communia, quæ a ratione dictantur, non tamen ad rationem pertinent; ſed ſolum ad gradum ſenſitivum, v. g. filios procreare ad ſpeciei conſervationem, & coniunctionem maris, & fæminæ, manducare, & bibere, ad conſervationem, nutritionem, & augumentum individui, & in hoc ſenſu communiter a Iuriſtis nomen iuris naturalis accipitur: quapropter apud illos eſt celebre illud adagium: *Ea, quæ ſunt iuris naturalis, ſunt communia nobis, & brutis*: loquendo de iure obiectivo, & materialiter accepto, non autem formaliter; quia in brutis non eſt aliquod rationis dictamen, &

ita accipitur ius naturale in l. 1. ff. *de iustitia, & iure*, ubi dicitur, illud hominibus, & animalibus convenire. Secundo accipitur ius naturale pro quolibet dictamine rectæ rationis, sive versetur circa ea, quæ ad hominem secundum naturam sensitivam consideratam; sive secundum naturam rationalem, & in hoc sensu accipitur ius naturale, a Phylosopho, Tullio, & Iuristis locis citatis in antecedentibus. Quidquid dicat Aversa prima secundæ, quæst. 49. sect. 4. ubi eum, Lector benigne, videre potes, quare ad difficultatem decidendam sit.

3. Conclusio unica. Optima est divisio iuris naturalis propriè accepti in illud, quod spectat ad hominem, quatenus homo est, & in illud, quod spectat ad ipsum hominem, quatenus animal est, sive cum brutis convenit.

4. Probo sic conclusionem, ex una parte. Non modo sunt homini connexa ea, quæ ad ipsum secundum partem rationalem spectant, verum etiam ea, quæ ad eumdem secundum partem sensitivam pertinent; ergo non minus erit formaliter honestus actus internus voluntatis imperans, vel moraliter eliciens actum externum honestum homini secundum partem rationalem; quàm actus externus imperatus a voluntate eidem homini, & ab eodem elicitus secundum partem sensitivam. Sed verum, & proprium ius est id, quod versatur circa actum virtutis propriè dictæ; ergo lex, quæ præcipit actus voluntatis imperantis alios actus honestos hominis secundum partem sensitivam, non minus est lex, ac ius propriè dictum, quàm, quæ docet actum voluntatis imperantem alium actum honestum hominis secundum partem rationalem. Ex altera vero parte, non minus datur naturale dictamen docens actum virtutis, versantem circa ea, quæ hominis secundum partem rationalem, prout bona, aut mala sunt; sed etiam aliud dictamen docens actum virtutis, versantem circa ea, quæ hominis secundum partem sensitivam, in qua cum brutis convenit, honesta sunt. Sicuti duplex est virtus naturalis, ita duplex est lex; una videlicet, quæ spectat ad hominem, qua homo est, alia ad hominem consideratum secundum ea, in qui-

bus assimilatur brutis, sive animalibus carentibus ratione.

5. Dices: ergo in brutis est vera virtus, atque adeo in eis est vera lex. Respondeo, nego consequentiam; quia vera virtus consistit in actu voluntatis; lex autem in actu rationis, in brutis autem non est, neque voluntas, nec ratio, quamvis sit in eis id, circa quod ratio versatur, & voluntas; ita Turrecremata in c. humanum genus 1. dist. 5.

SECTIO QVARTA.

Num ius domesticum distinguatur specialiter a Paterno.

BReviter me expediam ab hac sectione; non quia res in ipsa tractandæ necessariè non sint, atque scitu dignæ; sed quia alia ad nostrum institutum spectantia, quæ mainris consideratio-nis sunt me ad se vocant, unde ita, tamquam minus utilia, relinquam, quamvis non in totum.

1. Queritur; ergo in hac sectione; num ius domesticum, nempe domini in servum, patris in filium, viri in uxorem, & è contra, participet veram iuris simpliciter dicti rationem, atque adeo sub iure superius diviso compræhendatur; an vero a tali ratione iuris ita deficiat, ut ab eo distinguatur, tamquam imperfectum, a perfecto.

2. Verum quidem est, quod iustum simpliciter dictum consistit in commensuratione rei cum iure alterius, ut in antecedentibus dixi, considerata debitoris facultate. Ex quibus capitibus deficere posse videtur aliquid a iusti simpliciter ratione. Primo ex defectu alteritatis personæ habentis ius a petsona habentis ius, a persona habente debitum. Secundò ex defectu iuris sumpti pro facultate morali, & consequenter etiam debiti. Tertiò denique ex defectu commensurationis rei cum iure: ideo sit.

3. Prima conclusio. Ius domesticum, quod dividitur in paternum, dominativum, & coniugalem, non distinguitnr specialiter a iure simpliciter dicto, ex defectu iuris, & debiti.

4. Probo 1. conclusionem positam sic. Pater debet filium nutrire, illi per totum vitæ cursum subvenire, præbendo illi necessaria, ipsumque instruere, &c. & filius habet ius ad hæc omnia accipienda a patre, filius debet patri obedientiam, reverentiam, obsequium, & subventionem, in casu necessitatis, itaut filius pecet contra iustitiam graviter erga patrem in hoc deficiendo; unde pater habet ius legiptimum ad hæc omnia a filio exigenda: ergo ius paternum non deficit a ratione iusti simpllciter, ex defectu iuris, & deblti. Similiter dicendum est in his, quæ sunt domini ad servum, viri ad uxorem, & è contra, cum ferè militet eadem ratio.

5. Probo 2. authoritate Beati Thomæ, qui quoties de his quęstionem agreditur, numquam assignat defectum ex parte iuris, & debiti: sed hic ex defectu alieritatis, infra vero quæst. 80 articulo unico, ex defectu æqualitatis affirmat prædicta iura, & maxime paternum, a veri iusti ratione deficere.

6. Conclusio 2. non omne ius domesticum, deficit a ratione iusti simpliciter dicti, ex parte æqualitatis rei ad ius, dixi non omne, nam ius filij ad patrem secundum mentem D. Thomæ infra quæst. 80. citata deficit ratione ęqualitatis, cum filius non posit reddere patri quantum accepit.

7. Probo conclclusionem. Servus potest dare domino suo, quantum ei debet, & similiter Hæros potest servo erogare tantum, quantum ei debet in victu, & vestitu, & superabundanter, & similiter uxor viro suo, & vir uxori suæ; ergo non omne ius domęsticum deficit a rarione iusti simpliciter accepti, ex parte æqualitatis.

8. Tertia conclusio. Omne ius domesticum, quod a D. Thoma hic specialiter distinguitur a insto simpliciter dicto, ex defectu alteritatis personarum habentium ius, & debitum; est expressa sententia ipsius Angelici Magistri hic per totum.

9. Probo ratione ipsiusmet Sancti Doctoris hic: filius est aliquid patris, ut habetur 8, Etic. & servus est aliquid domini, ut dicitur 4. Polit. uxor licet sit allquid viri comparatur enim ad eam

tamquam

tamquam caput ad corpus, ut affirmat Apostolus ad Ephes. 5. ergo ex defectu alteritatis provenit, quod nec patris ad filium, nec domini ad servum perfectum, & simpliciter ius esse quæat & per consequens illud ius domesticum, quod a iusto simpliciter dicto specialiter hic distinguere habet S. Thomas, ex solo alteritatis defectu excluditur a prædicto iusto simpliciter accepto.

10. Conclusio 4. ius domesticum, quod hic Angelicus Doctor excludit a iusto simpliciter dicto, non est ius domesticum extrinsecum, quod dicitur reale, quia est circa res, quæ communiter commutantur, & distribuuntur.

11. Probo conclusionem ita; illud ius domesticum hic Beatus Thomas excludit a ratione iusti simpliciter, quod est iustum secundum quid, atqui iustum domesticum reale, vel est iustum reale, vel est iustum simpliciter, vel nullo pacto; ergo, &c. maior patet ex ipsa littera, minor probatur, quia vel filius est emancipatus, cui scilicet pater dedit portionem suam, quæ illi contingebat, vel non est adhuc emancipatus; si non est emancipatus, vel habet peculium castrensem, acquisitum, nempe, iure belli, vel quasi castrensem, acquisitum, publico stipendio; vel nullum habet sibi huiusmodi peculium; si sit emancipatus, vel non emancipatus, habens tamen peculium castrensem, vel quasi castrensem, inter patrem, & huiusmodi filium potest esse iustum simpliciter, cum inter illos possit esse verus civilis contractus, ut communiter asserunt omnes Theologi (quidquid dicat Caietanus hic §. *sed hæc responsio*) si vero non est emancipatus, nec habet peculium castrensem, vel quasi castrensem, inter patrem, & filium huiusmodi nullum potest dari iustum, quod prædictas conventiones circa similia bona, nisi forte negativum, in non ledere bona patris, & si leserit restituere, si adhuc habeat, & non dissipaverit, quæ est actio iusta simpliciter: ergo inter patrem & filius vel nullum datur iustum reale circa bona externa, vel si datur, erit simpliciter iustum, vel positivum, vel negativum. Similiter, vel servus habet aliqua peculiaria bona, in quæ habet peculiarem ius, & verum, ut si ser-

vus, & dominus paciſcantur, ut ex ſuo labore tantum ferat domino ſingulis diebus, reliquum vero ſervus ipſe ſibi retineat. Vel ſi dominus det aliquid ſervo, ad hoc ut ſervus non modo uſum, verum etiam de illa re perfectum dominum habeat; vel ſi pro damno illato in his, quæ dominio Heri non ſubijciuntur, aliquid illi reſtituatur, vel denique ſi aliquid illi gratis detur ab aliquo Principe; vel alia perſona, non intuitu domini: vel ſervus nulla habet huiuſmodi bona. Si primum, poteſt inter ſervum, & dominum circa ſimilia bona, iuſtum ſimpliciter intercedere contractum, quod idem valet de marito, & uxore: cum inter ipſos poſſet circa ea iniri civilis contractus. Si ſecundum, nullum iuſtum intercedere poteſt, inter dominum, & ſervum neque ſimpliciter, neque ſecundum quid niſi forte negativum, ledendo bona Heri, & ſi læſerit reſtituere, ſi poteſt, quod eſt iuſtum ſimpliciter. Similiter denique, vel uxor, ut dixi habens quædam bona ſibi propria, quæ dicuntur palafrenalia, & ſint extra dotem, ut inſcio marito, vel etiam invito, poſſit ex illis facere pro ſuo libitu, quidquid licitè ipſi placuerit, ut ælemosynas dare pauperibus, dotare filias, maioratum alicui ex proprijs filijs conſtituere, &c. vel huiuſmodi bona palafrenalia non habet. Si dicatur primum, inter virum, & uxorem, ſine dubio, poteſt intercedere verum iuſtum, circa huiuſmodi bona realia, quale exigitur ad contractus, & conventiones civiles, & talia bona, maritus non poteſt ullo modo auferre ab uxore, cum ipſa illarum ſit domina, & pro ſuo libito de illis diſponere; undè ſi maritus auferret illi talia bona, ipſa non conſentiente liberè, teneretur reſtituere, etiam quoad fructus naturales, ita ut ſi tales fructus vir expenderet in ſuos uſus reſtituere teneretur: ſi verò uxor bona palafrenalia non habeat, non poteſt circa bona externa, inter virum, & uxorem intercedere iuſtum, neque ſecundum quid, niſi forte negativum promittendo, videlicet marito, non inſumendi bona dotalia: bona enim dotalia ſunt bona domeſtica, quatenus domeſtica; ergo, &c.

12 Neque obstat 1. Filium esse aliquid Patris, Servum Domini; Vxorem viri, iuxta Scripturam, vir & Vxor, erunt duo in carne una; Non obstat, inquam, quia respectu talium bonorum, & peculiorum, neque filius est aliquid Patris; neque Servus aliquid Domini sui; neque Vxor sui viri, cum huiusmodi bona tales personæ non habeant, ut filius; neque ut Servus, aut ut Vxor, sed quateuus personæ à Patre, Domino, & Marito distinctæ, nempè ratione iuris proprij, idest non ut Filius, non ut servus, non ut Vxor, sed tamquam personæ à Patre, à Domino, à Marito alienæ, quia talia bona possident, ut sua propria, & proprio iuræ, lege particulari, aut conventione sivè contractu particulari, undè nullo modo in hoc adest ius Patris, Domini, aut Mariti, sed ius illorum proprium est in rem suam.

13 Neque obstat 2. Quod numquam tollitur, quod Filius non sit semen abscisum à Patre; Servus partem possessionis Hæri, & Vxorem esse viri compartem.

14 Non obstat, inquam, hoc argumentum, quoniam quamvis regulariter ratio essendi à Patre, possessionis Domini, unitas corporis mistici cum capitè in se contineant negationem iuris particularis in aliquam rem, ex qua sequitur negatio iusti simpliciter dicti circa res exteriores, inter Patrem & Filium, Dominum & Servum, esto etiam inter virum & uxorem; tamen, ut patet in casibus supra allatis, fallitur huiusmodi regula; intelligitur enim cum hac clausula, nisi (ex lege, aut privilegio, vel conventiòoe, vel denique ex aliquo alio capitè) habeant supra explicata peculia, sive bona.

15 Neque obstat 3. Inter Patrem, & Filium non esse æqualitatem, & consequenter, nec iustum simpliciter.

16 Non obstat, inquam, quoniam in huiusmodi casibus, quamvis non adsit æqualitas personarum, adest tamen æqualitas iurium, nempè quod, sicut pater habet perfectum ius ad disponendum de rebus suis independenter à voluntate filij; ita filius habet ius, in huiusmodi peculium Castrensem, vel quasi

Castrensem independenter à voluntate Patris, quod idem valet de servo respectu domini sui, ac de uxore, respectu sui mariti.

17 Neque obstat 4. Aristotelem, & D. Thomam asserere, inter Patrem & Filium, Dominum, & Servum, virum & uxorem non esse verum iustum.

18 Nam hoc dictum nihil quidem obstat, nam circa Aristotelem illum irrideo, ad Beatum Thomam, quem veneror, non solum ut Sanctus, sed ut Doctor eximius dico, non intellexisse de bonis externis infra enumerandis, nempè de non Castrensibus, sivè quasi Castrensibus, & non palefrenalibus inter virum,& uxorem, quia de illis non est iustum, nisi secundum quid, vel regulariter, quia regulariter filius non habet propria bona, vivente patre, nec servus; de uxore autem vivente marito, est alia ratio infra discutienda.

19 Neque obstat quinto: servum reputari ut mortuum, & esse parem Monacho. Non obstat, inquam, quia servus non reputatur ut mortuus, quia non potest habere alicuius rei dominium, sed quia dum bello capitur, potest occidi, quamvis non possit postquam in servitium est redactus, & tamen non reputatur ut mortuus, maximè in ordine ad ea, quarum habet dominium. Differt autem a Monacho, Monachus namque est omninò incapax dominij alicuius rei.

20 Neque obstat denique 6. non facere ullam iniuriam dominum servo, si ab illo auferat rem suam, nec patrem a filio etiam emancipato, nec denique uxorem a marito, & è contra, ac si auferret ab alieno.

21 Non obstat, inquam, quia si dominus fraudat servum; maritus uxorem, pater filium, & è contra in ijs, quæ sua sunt, & erit peccatum contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, quod valet de religioso erga res religionis, cum religiosus sit purus servus quicunque ille sit, & nihil de proprio habeat, neque castrensia, nec quasi castrensia, sed quidquid acquirit, religioni acquirit, & nescio quomodo se possint salvari illi religiosi, qui res religionis dans parentibus, & alijs, tamquam si bona religio-

nis,

nis, essent bona sibi propria, & quamquam verum sit; quod inter patrem, & filium, &c. non datur actio personalis, & famosa furti in foro externo, & forte etiam maior summa requiritur ad peccatum mortale, cum factum sit inter personas coniunctas, non inter extraneas, hoc tamen non provenit, eo quod inter illos verum iustum circa huiusmodi res non intersit: sed quia dominus rerum non censetur adeo invitus cum filio, &c. ac cum extraneis, non sic evenit in religione, quia nullus est qui habeat dominium rerum illius, nisi Ecclesia.

22. Conclusio 5. iustum domesticum, quod hic S. Thomas specialiter distinguit a iusto simpliciter dicto, non est bonum vitæ, & famæ, circa quod filius, servus, & uxor habent perfectum dominium, quidquid dicat Caietanus §. *ad primum*. Sed hæc responsio, præterquamquod est communis omnium Theologorum, & probatur eodem pacto proportionaliter, quo probata fuit supra conclusio quarta.

23. Dices. Si pater occidat filium, dominus servum, maritus uxorem, faciunt sibi ipsis iniuriam, cum pater perdat partem a se decisam; dominus partem possessionis suæ, & vir partem proprij corporis; ergo patrem occidere filium, dominum servum; maritum uxorem non est committere verum, & simpliciter iniustum, eodem quasi pacto, quo quis se habet occidendo seipsum.

24. Respondeo. Patrem in tali casu, ex eo quod efficeret aliquid contra seipsum, peccaret contra virtutem propriæ Charitatis, immo, & peccato impietatis, cum tunc operaret contra sanguinem iunctum, & similiter dominus, & vir peccarent contra virtutem propriæ Charitatis, ex eo vero, quod pater tolleret vitam filio contra illius ius, efficeret actum iniustitiæ, & similiter dominus, & maritus: non implicat autem unum, & eumdem actum habere duplicem, vel multiplicem malitiam contra duas, vel multas virtutes.

25 Conclusio 6. iustum domesticum, quod hic Sanctus Thomas specialiter distinguit a iusto simpliciter dicto, est tantum il-

lud, quod consistit in his bonis, quæ pater filio, dominus servo, vir mulieri, & è contra debent, quatenus tales personæ sunt.

26. Probatur conclusio; quia illud ius hic excludit S. Angelicus Magister a iusto simpliciter dicto, quod est iustum domesticum, ut domesticum, quod scilicet ita versatur inter personas unius domus, quæ est quædam perfecta communitas, ut non possit versari inter personas perfectæ communitatis, sed huiusmodi sunt bona, quæ pater filio, servo dominus, uxori vir, & è contra, quatenus tales personæ sunt, debent; ergo, &c. maior probatur: quia de alijs bonis eadem est ratio, ac de iure politico.

27. Conclusio 7. Non omne ius domesticum, etiam ut domesticum, voluit hic Sanctus Angelicus Doctor a iusto simpliciter dicto distinguere, sed tantum illud, quod est domini ad servum, & patris ad filium; non autem, quod est servi ad dominum, filij ad patrem, uxoris ad maritum, & mariti ad uxorem.

28. Probatur conclusio, quia illud ius voluit hic specialiter distinguere S. Doctor, quod deficit a iusto simpliciter accepto, ratione deficientiæ altereitatis; sed quamvis ius patris erga filium, domini erga servum deficiat a perfecta altereitate, etenim, & si est ad diversum suppositum, non est tamen ad illud, tanquam habens ius, seu potestatem moralem ad obtinendum talem iustum, cum hoc resideat in donantem; tamen ius filij versus patrem, servi erga dominum, mulieris erga virum; viri erga mulierem non deficit ab alteritate perfecta ad ius,& iustum simpliciter requisita; ergo, &c. Probatur minor, quoad secundam partem, quoad primam vero patet, ex supradictis, &

29. Primo de iure filij erga patrem, quia altereitas sufficiens ad iustum simpliciter, & propriè acceptum est, ut sint duo distincta supposita, seu naturæ rationales, quarum una habeat rigorosum ius sumptum pro legitima potestate, altera vero rigorosum debitum; itaut neque ius unius sit ius alterius; neque debitum alterius sit debitum illius; sed in patre est verum ius

erga

erga filij substantiam, itaut ille eam vendere possit tempore necessitatis, quamvis illum non possit occidere, ut carnibus eius saturetur, ut communiter docent Theologi, quidquid dicant aliqui. Et circa actus honoris, & reverentiæ exibendæ a filio, quod ius non est filij, & filius habet debitum non fugiendi, & se subtrahendi a potestate patris, & dandi ei debitum honorem, & reverentiam, quod debitum non habet pater; ergo, &c. quapropter Angelicus Sanctus Doctor, hic asserit, patris ad filium non dari simpliciter iustum, ex defectu altereitatis; numquam autem dicit ex prædicto defectu filij ad patrem simpliciter iustum dari non posse, sed hoc si deficit, erit ratione aqualitatis, ut asserit idem Beatus Thomas infra q. 80. art. unic. quod si filius se patri subiectum exibeat, non ad hoc, ut debito quem, quatenus filius habet, satisfaciat; sed pro satisfactione, &c. victus, & vestitus, & instructionis, quam a patre habet, & habuit, tunc tale ius deficit a simpliciter iusto, etiam ratione altereitatis, quia videlicet illa subiectio non est iuris alterius personæ ab illa, cui satisfit pro alimentis.

30 Secundò, de iure servi erga dominum, quia in domino est strictissimum ius in subiectionem, & actiones serviles servi, itaut supra illam habeat perfectum dominium, quod nullo pacto est ipsius servi; ex alia parte in servo est strictissimum debitum se non separandi a potestate domini, & illi debitam servitutem impendendi; quod quidem debitum nullo pacto est in ipso domino; ergo nullo pacto ius servi ad dominum proprijssimi iusti acceptionem habet, itaut sicut iniustum facit quis furando mancipium, & actum iustitiæ in non furando, & si furaverit restituendo; ita actum iniustitiæ committet servus seipsum furando domino, seipsum scilicet substrahendo a potestate illius, fugiendo, illiquæ denegando servitutis actus; actum verò iustitiæ facit non fugiendo, & se promptum ad servitium reddendo, & si aufugerit redeundo. Quod si servus impendat servitutis actus non ad satisfaciendum obligationi, quam habet erga dominum, qua dominus est, sed ad satisfaciendum pro victu,

& vestitu, nullum erit iustum, defectu alteritatis, cum servitium sit aliquid illius, cui satisfit, non autem alterius qui satisfacit, cum domino sit tale servitium debitum titulo dominij, & servitutis, & idcirco Beatus Thomas Angelicus Magister, asserit domini ad servum non esse simpliciter iustum, ex defectu alteritatis; nullo verò pacto loquitur, de iusto servi erga dominum.

31 Tertio denique de uxore respecti viri sui, & è contra, inter quos ex parte utriusque adest primo simpliciter iustum quoad debitum coniugale, ut habet Apostolus 1. Corinthior. 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem, & uxor viro; mulier enim sui corporis potestatem non habeat sed vir: similiter autem vir sui Corporis potestatem non habet, sed mulier*: ergo, ius coniugale viri non est mulieris, nec ius coniugale mulieris est ius viri. Inde est quod non minus peccat peccato iniustitiæ vir, quam mulier, committendo adulterium; est enim Matrimonium perfectus contractus, quo fit mutua corporum traditio.

32 Quod autem pertinet ad ius reale dotis, & gubernationis domus, constat, quod quamvis vir habeat immediatum dominium, & ius ad illum sine dependentia a muliere, & mulier habeat ius immediatum ad eundem, cum dependentia tamen a marito, ut bene docet Apostolus Paulus ad Ephesios 5. *Mulieres viribus suis subditæ sit, tamquam domino, quoniam vir est caput mulieris, sicuti Christus Ecclesiæ*, & Phylosophus 5. Æstichorum cap. 6. quamvis tale ius appellet familiare, & diversum a iure civili, quia ius unius civis, non dependet ab altero concive, secus verò ius viri, & uxoris; nihilhominus; cum nec ius mariti resideat in uxore, nec ius uxoris resideat in marito, quamvis sit illi subordinata; nec denique circumstantia subordinationis aliquid obstet ad iustum simpliciter, ut patet, quia inter Civem, & Principem potest esse contractus rigorosus Civilis, etiamsi ius civis sit subordinatum, & cum dependentia a iure Principis, undè sequitur clarè, quod sicuti iniustum

sim-

ſimpliciter committit mulier impediendo maritum a domus gubernatione, & dotem diſſipando, maritus, iuſtum verò facit maritus dotem conſervando, & mulier iuſtum facit non impediendo maritum a gubernatione domus; ita etiam iniuſtum ſimpliciter committit maritus dotem diſſipando, ut dixi, & ſine legitima cauſa mulierem a domus gubernatione impediendo; iuſtum autem ſimpliciter faciet maritus, gubernationem domus a muliere non auferendo, dotemque eius conſervando; & ideò Phyloſophus loco citato, præfatum ius inter uxorem & virum, ait, magis accedere ad ius civile, quàm ad paternum, & dominativum; quia ſcilicet dominativum, & paternum non modo a iuſto ſimpliciter civili, verum etiam a iuſto ſimpliciter declinant, ius vero economicum, ſeu coniugale, quamvis deficiat a iuſto civili, non deficit tamen a iuſto ſimpliciter, hæc præ oculis habuit Sanctus Angelicus Doctor in huius Articuli præſcriptione dum nullum facit de tali iure mentionem; ſed tantum de dominativo, & paterno; nec in fine corporis voluit aliquo modo iuri dominativo, & paterno agregare ius coniugale, illud etiam excludendo a iuſto ſimpliciter, ut arbitrantur communiter Theologi, ſed voluit reſpondere cuidam obiectioni, quæ fieri poterat; & quia etiam ius coniugale non habet perfectam altereitatem, non poteſt propter hoc excludi a iuſto ſimpliciter, ad quod reſpondet S. Thomas his verbis: *uxor autem*: non debemus eodem pacto phyloſophare de uxore, ac de filio, & ſervo quamvis ſit aliquid viri, quia comparatur ad eum ſicuti ad proprium corpus, ut patet per Apoſtolum ad Epheſios 5. tamen magis diſtinguitur uxor a viro ſuo, quam filius a patre, vel ſervus a domino; aſſumitur autem uxor in quandam ſocialem vitam matrimonij, & ideò, &c. quorum verborum ſenſus eſt, quod quamvis mulier ſit aliquid viri, ſicuti corpus eſt aliquid capitis, cum ius uxoris ſit ſubordinatum iuri mariti, nihilhominus ius uxoris eſt in uxore, & è contra; non ita tamen ſervus eſt aliquid domini ſui, & filius patris, cum in illis nullum ſit ius: Deinde concludit Angelicus corpus

articuli,

articuli, quod quia prædicta coniugis utriusque iura habent immediatam relationem ad domesticam communitatem, ideò inter virum & uxorem non est simpliciter iustum politicum, sed iustum economicum. Vbi nota, quod ly *simpliciter*, non cadit supra ly *iustum*, sed supra ly *politicum*, ad quod clarius intelligendum.

33. Dices iustum simpliciter est illud, quod versatur inter unius perfectæ communitatis, sed ius utriusque coniugis in ordine ad dotem, nempè viri & mulieris, & ius servi ad dominum, patris ad filium non versatur inter partes perfectè communitatis; ergo, &c. Respondeo, distinguendo maiorem; iustum politicum concedo, iustum simpliciter, absque addito, nego, ad hoc enim sufficit, ut versetur circa duas personas quarum una habeat perfectum ius, altera rigorosum debitum, itaut ius sit unius, & non sit alterius, similiter & debitum, hæc quoad hanc primam quæstionem per me, in textu autem Divi Thomæ q. 56. in qua, quæ solum necessaria sunt ad institutum Theologicum in hac materia examinavi, reliqua reliquendo, nequis mihi aliquando diceret, quare posuisti falcem in messam alienam; modo ad aliam quæstionem accedam, in qua de iustitia, secundum se, sermonem faciam, utinam Deus det mihi spiritum sapientiæ, ut mecum sit, & mecum laboret in omni tempore, ut scribam tantum, quod coram eo esse potest acceptum.



QVÆ-

QVÆSTIO II.

De ipsa virtute iustitiæ.



Ostquam Angelicus Magister Sanctus Thomas, & ego cum ipso in antecedenti quæstione, quę apud me est in ordine prima, Angelici autem Doctoris 56. ipse per articulos 4. de iure habuit discursum, de obiecto iustitiæ, ac iuris divisione, sicut etiam ego de omnibus istis sermonem habui per tres lectiones, modo cum eodem D. Thoma in hac 2. quæst. apud me, secundum autem ordinem D. Thomæ 58. de iustitia ipsa discursum faciam, examinando videlicet, quid sit virtus iustitiæ, quæ inter Cardinales virtutes primum locum habet; & cum iustitia possit sumi pro habitu, sive pro actu, & semper ab obiecto dignoscatur, & a modo tendendi in illud, ut supra dixi; hanc quæstionem cum multis illi annexis breviter tractabo, non relinquendo necessaria, & si respuendo superflua. Sit itaque.

SECTIO PRIMA.

Quomodo definiatur virtus iustitia.

QVæstionis status est, quid sit iustitia, & an bene definiatur a Iustiniano, nec non in quanam animæ rationalis potentia (esto quod potentiæ in anima rationali dentur) sit ipsa, tamquam in subiecto, in qua re, cum claritate, Deo dante, conabor procedere. Sit itaque.

SVBSECTIO I.

Quid sit iustitia explodītur.

1. IVstinianus Imperator post 1. cap. in l. *iustitia* ff. *de iustitia, & iure*, demostrat hic in principio tituli quid sit iustitia,

dum ait: *Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tradens*, est etiam Vulpiani, hæc definitio in l. *iustitia* ff. *de iustitia, & iure*, explosa ab Agricola de inventione dialectica c. 5. quam tamen defendendam assumit Angelicus Doctor hic art. 1. Quapropter sit.

2. Conclusio 1. scilicet, quod iustitia, ut iam dixi; *& constans & perpetua voluntas unicuique ius suum tradens*.

3. Pro facili ergo omnium verborum intelligentia investigare oportet, num definitio ista de iustitia tradita habeat omnes partes, sive conditiones perfectæ definitionis, itaut impugnari non possit. Tria igitur definitio bona in se continere debet, ut tradidit glos. in l, 1. ff. *de capit. diminuit.* Bart. in l. 1. ff. *de Testament.* & Dec. in l. *omnis definitio*, ff. *de regul. iuris*. Etenim bona definitio, primo debet constare ex genere, & differentia; Secundo converti & subverti, cum suo definito. Tertiò non competere alteri, quam rei definitæ; & quia in hac definitione adest genus, nempè illud verbum *voluntas*, quod prædicatur de iustitia & iniustitia, sic stat loco generis, per ea, quæ tradidit Perferius in cap. *de genere*. Adsunt etiam differentiæ. Prima colligitur ex texu, dum in eo dicitur *constans, & perpetua*: quæ verba ponuntur ad differentiam iniustitæ. Dum postea dicitur: *ius suum unicuique tribuens*: elicitur alia differentia, & sic talia verba ponuntur ad differentiam aliarum virtutum Cardinalium. Excluditur enim prudentia, quæ non tribuit, sed bene se habet circa futura. Excluditur etiam temperantia, quæ circa prospera bene se gerit: Merito in hac definitione primum requisitum in esse concludendum est. Quod totum habetur etiam ex D. Thoma hic in corpore art. 1. & in responsione ad tertium, & quartum; quia ut Phylosophus ait 2. Etic. cap. 4. ad virtutis rationem requiritur, ut quis operetur; Primo sciens. Secundò eligens, & propter debitum finem. Tertiò quod operetur immobiliter; cum autem horum primum includatur in secundo, ut dicitur 3. Etic. cap. 1. ideo in definitione iustitiæ ponitur prima particula, *voluntas* ad significandum actum iustitiæ debere

esse a sciente, & eligente, aliter voluntarius non esset: ponitur etiam illa alia particula, *constans, & perpetua*, ad denotandum actus immobilitatem, non quidem formaliter, quasi quod actus iustitiæ, & cuiuscunque virtutis moralis debeat perpetuò durare, sive perpetuò terminari; sed ex parte obiecti, in quantum actus virtutis vult in quacunque actione executioni mandare suum obiectum, quod significatur per ly *: perpetua*, ly *constans* non significat idem, ac ly *perpetua*, ut advertit S. Thomas hic in responsione ad quartum, sed significat, quod hoc propositum sit firmum, ac stabile, itaut, quod si actus deficiat physicè, tamen remaneat moraliter, virtualiter, & totum hoc se habet, ut genus proximum, idem enim significat ac *virtus moralis*: dicitur denique, *ius suum unicuique tribuens*: ad denotandam differentiam ultimam iustitiæ ab alijs virtutibus; quæ quidem ultima differentia sumitur in ordine ad obiectum formalem per se, sive ad finem per se integralem, ut patet ex superiori quæst. 1. unde constat definitionem allatam optimam esse, cum constet, ut dictum est, ex genere proximo, & differentia ultima.

4. Advertit tamen hic Angelicus Doctor, præfatam definitionem posse in meliorem formam reduci, definiendo iustitiam sic; *Iustitia est habitus, secundum quem aliquis constante, & perpetua voluntate ius suum unicuique tribuit*: quæ quidem definitio omnino coincidit cum prima, & nihil ab ea differre habet.

5. Glossa tamen hic in verbo *Iustitia* sic argumentatur contra præsentem definitionem iustitiæ: Iustitia exercetur ab homine, ad quem non potest adaptari ly *constans, & perpetua*, cum septies in die cadat iustus; ergo, &c. ad quod varijs modis respondet glos. & in omnibus suis responsionibus repræhenditur, ut hic scribentes advertunt, magis communiter tamen consuevit responderi. Iustitiam dupliciter posse considerari, nempe in abstracto, & in concreto, advertendo quod considerando iustitiam in abstracto, nihil aliud est, quàm considerare iustitiam, quatenus virtus est de se; at considerando eamdem iustitiam in concreto, est illam considerare, quatenus virtus est in exercitio, quo stante,

concluditur, quod si Iustitia consideretur, tamquam una ex quatuor virtutibus Cardinalibus, tunc est constans, & perpetua, & sic hic definitur; si vero consideretur, prout a iudice administratur, potest variari, non tamen ex parte bonitatis iustitiæ, sed ex defectu administrantis illam. Ita loquitur Alber. in l. *iustitia* ff. *eod.* & illum sequitur Port. dans quoddam materiale exemplum, quæ responsio, & si communis sit, non tamen videtur bona, sed quodammodo inepta. Etenim Iustitia definitur, quatenus tribuit ius suum unicuique, quo casu in concreto dicitur considerari. Ad quod potest responderi scilicet, definiri iustitiam, quatenus tribuat, &c. non actu, sed aptitudine; vel de mente Bartol. in dict. l. *Iustitia*, quem sequitur hic Aldob.; dico igitur, quod illa verba, *constans*, *& perpetua* sunt intelligenda de illa constantia, & perpetuitate, quæ melius in homine adaptari potest.

6. Conclusio 2. clarius, & brevius dialectico modo hic iustitiam definio: *Iustitia est virtus ius suum unicuique tribuendi*, ubi ly *virtus*, quæ est genus, idem significat, quod ly *constans*, *& perpetua voluntas*, & per hæc patet etiam sensus doctrinæ supra positæ, tàm hic, quàm in antecedentibus.

SVBSECTIO II.

Num Iustitia sit in voluntate, tamquam in subiecto.

7. PRæsens difficultas procedit non modo de habitu iustitiæ, seù de virtute iustitiæ, verum etiam de actu positivo ipsius virtutis: & maximè cum in sententia communi, potentiæ ab actibus distinguantur, sed stante sententia probabili admittente unum actum esse ad plura obiecta terminabilem, præsens dubium, quod de actu procedit, sub his terminis explicandum erit, nempe, an Iustitia, sive actus iustitiæ sit volitio terminata ad ius alterius reddendum, nec, ne?

8. Conclusio est affirmativa, nempe quod iustitia, sive pro actu, sive pro habitu sumatur, est in voluntate, tamquam in subiecto:

biecto: est contra Flaminium Nobilem lib. 2. de fœlicit. cap. 6. dicentem, quod voluntas non operatur nisi ab intellectu mota ad proprium obiectum, cuius proponitur ab intellectu ipso eiusdem obiecti bonitas, vel malitia, qui quidem Flaminius secutus est Socratem affirmantem, quod omnes habitus morales tantum in intellectu residere habent, quod etiam multi alij ex scriptoribus affirmarunt, ut videre est apud Aversam 1. 2. q. 49. sect. 2. & alij apud eumdem citati dixerunt, manere in solo appetitu sensitivo, quamquam hoc contra omnem rationem dicant.

9. Probo conclusionem. Voluntas tendere potest ad reddendum unicuique, quod suum est, quod est obiectum iustitiæ; ergo Iustitia est in voluntate, tamquam in subiecto, quomodocunque accipiatur iustitia, prout supra dictum, & explicatum est. Probo antecedens; quia voluntas sequitur actum intellectus, & per consequens omne illud obiectum prosequi potest, quod ut bonum proponitur illi ab eodem intellectu; & illud è contra fugere valet, quod ut malum ab intellectu illi proponitur; sed intellectus potest cognoscere bonum, quod est in obiecto iustitiæ; ergo voluntas potest suo actu in dictum obiectum, ipsum amando, si est bonum, ut re vera est, & cum talis actus voluntatis sit immanens, necessario in voluntate recipitur, cum actus immanens debeat recipi in principio, a quo elicitur.

10. Dices. Aristotel. 1. Ethic. cap. ultimo, postquam animæ partes in duas divisit; unam scilicet intellectivam, alteram per se irrationalem, quamquam rationalem per participationem, nempe inquantum potest rationi subdi; per primam partem intelligendo Arist. loc. cit. partem intellectivam, per secundam appetitum sensitivum, de qua affirmat ex parte rationi obedire, ex parte vero resistere; deinde duo genera virtutum distinguit, scilicet intellectuales, quæ sunt in parte intellectiva, & morales, quæ sunt in parte sensitiva, seu irrationale; ergo nullam virtutem agnovit Aristoteles in voluntatem existere, tamquam in suo subiecto.

11. Respondeo 1. huic argumento desumpto ex Arist. & dico, argumentum esse desumptum ex authore in hac materia non bene discurrente: etenim 1. Ethic. c. 14. 15. & 17. male loquitur de anima hominum rationali, & inquit, illam esse mortalem, quod est contra fidem catholicam nostram, quæ tenet, prout verum est, illam esse immortalem, non mirum igitur si dicit Aristoteles, illam habere duas partes; quomodo enim duas partes habere potest anima rationalis nostra si est spiritualis, & quantitate expers? Dico igitur ad argumentum, dando antecedens, nego deinde totum id, quod sequitur, quia non potest arbor mala bonos fructus facere, nisi per accidens, & fortuito modo.

12. Respondeo 2. & hoc in gratia discipulorum Aristotelis, & dico, quod Aristoteles non intellexit de appetitu sensitivo solum, sed de omni potentia irrationali, de se, cuiusmodi est etiam voluntas, quæ de se non est cognoscitiva; quapropter communiter potentia ceca vocatur: unde, secundum hanc responsionem, apparet animam retionalem non habere duas partes, sed solum duas potentias; ad summum, vel duas terminationes ad obiectum in mea sententia, prout dixi in mea Phylosophia cum de Anima.

13. Conclusio 2. In appetitu sensitivo nullus datur actus versans circa obiectum iustitiæ, nec datur habitus in dicto appetitu sensitivo productus ab actibus, sive terminationibus frequentatibus circa dictum iustitiæ obiectum ab ipsa sensitiva potentia.

14. Probo conclusionem ratione fundamentali. Potentia namque sensitiva, quantumvis nobilis sit, & è conditionibus materialibus abstracta, semper est corporea, & nullum obiectum spiritualem per se potest attingere, etiam de potentia Dei absoluta, sed obiectum iustitiæ, saltem in parte, est aliquod spirituale; ergo sensitiva potentia non potest tendere in obiectum iustitiæ. Maior probatur, quia obiectum per se, *a quo*, & obiectum per se *cui*, quæ sunt ratio iuris, & debiti moralis, sunt aliquod spirituale, cum per se requirant obiectum ratione, & libertate dotatum, non enim possunt esse in brutis; ergo obiectum iustitiæ

ex parte ſpirituali percipi non poteſt, niſi a potentia, ſive a ſubiecto rationali, ſive intellectuali, ut ſubiectum illius, quatenus talis eſt, ut ſit etiam obiectum per ſe *ſcui*, & *a quo* virtutis iuſtitiæ. Cum ergo appetitus ſenſitivus ſequatur ductum cognitionis ſenſitivæ, ſi ita loqui valet, clarè ſequitur per conſequens veritas meæ concluſionis, illam ſcilicet circa iuſtitiæ obiectum, nempe virtutem ſenſitivam circa iuſtitiam verſari poſſe; hoc etiam oſtendit, & comprobat Angelicus hic in corpore articuli, his verbis: *Apprahenſio ſenſitiva non ſe extendit ad hoc, quod conſiderare poſſit proportionem unius ad alterum; ſed hoc eſt proprium rationis*. Nihilominus contra me inſurgunt aliqui, & argumentantur, inter quos Buridanus 5. Ethic. q. 1.

15. Obijcies: ergo 1. ex iſto Buridano, qui ſic format ſuum argumentum. Sæpe paſſiones appetitus ſenſitivi obſtant, quominus homo exercere valeat actus, & opus iustitiæ; nam experimur in dies, eſſe quoſdam homines nimis lucri cupidos, in avaritia, & rapacitate, &c. ergo ad iuſtitiæ virtutem pertinet has paſſiones moderare; ergo iuſtitiæ virtus erit in eadem potentia animæ, ubi tales paſſiones moderandæ ſunt; atqui dictæ paſſiones ſunt in appetitu ſenſitivo; ergo & ibi eadem iuſtitia erit. Pro reſponſioue ad argumentum.

16. Notandum eſt 1. Duplicem eſſe modum, quo poteſt aliqua virtus paſſionibus ſenſitivis aliquam regulam ponere. Primo formaliter, faciendo nempe, quod paſſiones non ità valide inſurgant, illas propellendo ratione, & iſte dicitur modus ponendi remedium formaliter. Secundo obiectivè, faciendo videlicet, ut inſurgentibus paſſionibus, vel etiam mortificatis, nihilominus homo non declinat ab obiecto, ſive ab extremo, ad quod paſſio inclinat; ſed obiectum, quod eſt medium inter extrema, a toto deviat, ideo dicitur, modus ponendi medium obiectivè. Quare dupliciter dicitur, quod virtus medium ponat; obiectivè nempe, primo directè, & in ſe, ſecundo indirectè, & in alio. Primum eſt medium, ſeu bonum eſſe obiectum virtutis primariæ directum, & in ſeipſo. Secundum eſt eſse obiectum in alio

bonum

bonum principaliorem per eumdem actum amatum, quod intantum amatur, inquantum amatur aliud obiectum, cum quo ipſum habet neceſſariam connexionem.

17. Notandum 2. dupliciter etiam paſſionem, & habitum vitioſum obſtare, & impedire poſſe, quominus homo modum habeat in aliqua natura, primo formaliter, ſcilicet faciendo, ut homo ſit proclivus ad extrema excludendo habitum oppoſitum virtutis ab eodem ſubiecto, quod per ſe ipſum præſtat. Secundo obiectivè faciendo ſcilicet, ut homo ad aliquod declinet extremum, medio relicto, & hoc etiam dupliciter, vel directe, & in ſe, vel indirecte, & in alio, ut in ſimili de virtutibus: his notatis.

18. Reſpondetur ad argumentum, diſtinguendo antecedens, paſſiones appetitus ſenſitivi obſtant formaliter, nego antecedens, hæc enim, ſicuti paſſiones, & vitia his correſpondentia ſunt in ſenſibilibus, ita, & virtus oppoſitiva, quæ formaliter his modum ponit: contraria enim ſolum in ſententia aliorum, mutuo ſe expellunt; in mea autem ſolum contradictoria, & contraria negativa, obiectivè item, ac iterum diſtinguo; directè, & in ſe, quaſi quod paſſiones inclinent directè ad non reddendum ſuum unicuique, nego: hoc enim cum non agnoſcat ſenſitiva facultas, non poteſt appetere appetitu ſenſitivo, ut dicitur in argumento; indirectè, & in alio, quatenus paſſiones inclinando directè ad retinendum hominem avidere pecunias, ob corporalem comoditatem, quam experitur in ipſis immediatè, & conſecutivè inclinant ad non reddendum alteri, quæ ſua ſunt, concedo, & eodem pacto diſtinguo conſequens; ergo ad iuſtitiam pertinet, vel modum ponere, vel moderare huiuſmodi paſſiones formaliter, nego, quantumcumque immoderatæ ſint dictæ paſſiones, adhuc ſaltem iuſtitia ſecundum actum; poteſt eſſe in homine nec mutuo ſe expellunt cum dictis paſſionibus ab eodem ſubiecto; ad has autem debito modo reducendas ponitur liberalitas in appetitu ſenſitivo. Obiectivè iterum diſtinguo, directè, & in ſe nego, indirectè, & in alio, nempe in redditione uni-

unicuique suum concedo. Iustitia namque ponendo modum proprio obiecto, utpotè faciendo æqualitatem cum iure alterius consecutivæ, ponit modum materię tenacitatis, quæ est species avaritiæ, impediendo, ne homo bona illa avidè sibi retineat. Itaque actus iustitiæ pro obiecto directo, & in se amato habet ęqualitatem cum iure alterius, in quo etiam amat medium liberalitatis, cui opponitur extremum avaritiæ; & quia implicat iustitiam tendere in obiectum amatum in alio, absque eo, quod tendat in obiectnm amatum in se, ad quod obiectum, ut supra probavi, est improportionatus appetitus sensitivus; ideo quamvis Iustitia modum ponat passionibus appetitus sensitivi obiectivè; non inde sequitur, Iustitiam esse in illo, tamquam in subiecto; quare neganda est ultima consequentia; ex quibus rationibus facilè (benigne Lector) potes respondere, ad illa omnia absurda, quę ex ptima consequentia deducta sunt a Gregorio de Valentia, quibus respondendum esset, multiplicitate verborum.

79. Instabis; Iustitia ponit directè obiectivè, & in se modum aliquibus passionibus sensitivis; ergo non solum in voluntate, verum etiam in sensu erit iustitia. Consequentia sequitur, quia admodum obiectivè positum passionibus, non modo se extendit voluntas, verum etiam appetitus; antecedens verò ostenditur, quia, ut in simili dixi, de legibus quæstione antecedenti; obiectum cuiuscumque virtutis non est tantum bonum in particulari materia, sed ipsam quatenus spoliata malitia, omnibus alijs virtutibus quibuscumque opposita, v.g. obiectum temperantiæ, non est solum temperatè vivere, utcumque, & quomodocumque, saltem quando ex ipso non oritur malum oppositum alicui virtuti, nec ipsum oritur ex illo, etiam per accidens, nec quomodo illi admiscetur, itaut privatio harum malitiarum non ametur indirectè a temperantia; sed directè, quatenus particulare constitutivum sui obiecti; quapropter cum aliqua malitia temperatæ vitæ annectitur aliqualiter, tunc vita temperata non est obiectum temperantiæ sed vitij, ad quod talis malitia obiectivè pertinet. Sumatur igitur actus iustitiæ,

eius obiectum in se amatum non erit reddere suum unicuique, ut sic, aliter velle reddere in quocumque mala circumstantia, esset actus iustitiæ, sed ut spoliatum omni malitia opposita omnibus alijs virtutibus, & per consequens, privatio talium malitiarum est obiectum iustitiæ in se, & directè volitum, inter quas malitias, cum enumerentur quamplurimæ, quæ sunt obiectum passionum appetitus sensitivi, privatio etiam earum erit obiectum per se, & in se directè volitum a iustitia; sed hoc est ponere directè medium, & modum in obiecto passionum istarum: ergo, &c. Maior est certa, minor probatur, & primò, quod hoc sit ponere medium, sivè modum in obiecto harum passionum, quia privatio malitiæ est medium, saltem negativum, quod prosequitur virtus opposita passioni per actum fugæ, & odij; ergo prosequi negationem talis malitiæ est ponere medium obiectivè talibus passionibus, & consequenter iustitiam per actum suum velle privationem malitiæ illius, quæ est obiectum passionis sensitivæ, est iustitiam ponere medium, sive modum in obiectis pasionum sensitivarum. Secundò quod hoc sit ponere directè, & in se modum prædictum patet; quia modus hic non in alio, & indirectè, sed in se, & directè amatur a iustitia; ideo enim supra dixi, iustitiam ponere in se, & directè modum prædictum obiectis pasionum inclinantium ad avaritiam, & tenacitatem; quia modum illum, qui non constituit, sed consequitur ad obiectum iustititiæ, iustitiam non in se, sed in obiecto proprio amat; ergo, &c.

20, Respondeo 1. distinguendo antecedens; Iustitia ponit directè medium, sive modum in obiectis pasionum sensitivarum adæquate, nego; inadæquatè, concedo, & nego consequentiam; ad cuius probationem distinguo assumptum, ad modum positum a iustitia se extendit appetitus, ad modum, inquam, adæquatum, nego, inadæquatum, concedo, & nego consequentiam. Iustitia enim, sicut esse non potest, absque eo, quod tendat ad obiectum formale adæquatum, ita nec reperiri potest in potentia, quæ ad prædictum obiectum adæquatum ferri nequit,

quit; inter obiecta autem partialia Iustitiæ, est ipsum reddere unicuique suum, ad quod appetitus sensitivus non potest tendere, quod autem ex hoc non sequatur, unicam tantum esse virtutem, vel omnem virtutem versari posse, immò necessario habere pro obiecto adæquato aggregatum ex obiectis omnium virtutum, ut videtur sequi ex hac responsione.

21. Respondeo 2. distinguendo antecedens. Iustitia ponit directè modum obiectis passionum, modum inquam, secundum omnem formalitatem, sive secundum rationem formalem, quatenus scilicet est modus in obiectis harum passionum, nego, aliter Iustitia directè amaret obiecta aliarum virtutum, & una esset tantum virtus, nempe Iustitia: ponit modum secundum rationem communem modi, & medij, concedo, & nego consequentiam. Hoc enim munus præstat Iustitia, non secundum id, quod dicit explicitè, ut Iustitia, sed secundum id, quod dicit implicitè, ut virtus est, nempe, cum sit hoc ipsum commune omnibus virtutibus, ut dicitur in argumento; unde distinguo assumptum; ad hunc modum ponendum passionibus se extendit voluntas, & appetitus; voluntas, inquam, quatenus imbuta ratione virtutis, ut virtus est, concedo; voluntas, quatenus imbuta ratione alicuius virtutis particularis, quatenus talis est, nego. Vnde quamvis sequatur, quod sicuti in voluntate est virtus; ita etiam in appetitu; non sequitur tamen, quod sicuti in illa est talis virtus, utpotè Iustitia, ita & in appetitu: eodem pacto, distinguo maiorem probationis antecedentis; obiectum Iustitiæ est bonum, ut spoliatum malitijs oppositis alijs virtutibus, quatenus tales malitiæ, talibus virtutibus oppositis, nego; hoc enim pertinet ad illam virtutem, cuius homo talis malitia opponitur, ut patet quando redditio depositi est imbuta malitia damni proximi. Tunc enim in argumento dicitur, abstinere a tali redditione, non pertinet ad Iustitiam, sed ad Charitatem, quatenus malitiæ sunt oppositæ omnibus virtutibus; quatenus virtutes sunt, concedo. Distinguo item minorem, hoc est directè ponere modum passionibus; ponere, inquam, secundum rationem

particularem, nego; secundum rationem communem, concedo; & eodem pacto, distincto consequente, primo modo concedo, secundo modo, nego consequentiam.

22. Objicies 2. Nulla est implicantia, quod circa idem obiectum sint habitus in diversis potentijs: in idem enim obiectum tendit voluntas, quod sibi proponitur ab intellectu, similiter appetitus respectu sensus; rursus intellectus complectitur omnia ea, quæ sensus cognoscit; ergo non implicat esse duas Iustitiæ virtutes, unam in voluntate, alteram in appetitu. Deludo consequentiam, a diversis enim non fit illatio, diversitas autem patet ex supra dictis.

23. Obijcies 3. si iustitia esset tantum in voluntate, esset imperfecta virtus; ergo, &c. Probatur sequela, quia S. Thomas 1. 2. 58. nisallor art. 3. ad 2. concedens voluntati virtutem continentiæ, & perseverantiæ docet hos habitus non esse perfectæ virtutes, sed esse aliquid minus virtutis, seu semivirtutes, & hic in 2. 2. quæst. 137. art. 1. ad 1. idem affirmat de persev. & quæst. 155. art. 1. idem repetit de continentia ubi Arist. 4. Etic. in fin. cit. asserentem, continentiam esse quid mixtum, & exponit inquantum habet aliquid de virtute, & in aliquo deficit ab illa, cuius rei fundamentum est; quia per solum habitum voluntatis, homo non redditur satis promptus ad actus bonos, nisi addatur alius habitus in appetitu: ergo si iustitia esset solum in voluntate, esset virtus imperfecta.

24. Respondeo 1. S. Thomas loqui de virtute, quatenus habitus est, non vero quatenus virtus est, unde quamvis iustitia sit habitus imperfectus, erit tamen perfecta virtus, quod patet ex fundamento sententiæ quam defendit Salas disput. 2. de virtutibus sect. 2.

25. Respondeo 2. Div. Thomam, & Aristotelem locutos fuisse de virtutibus versantibus circa obiectum passionum appetitus sensitivi, quæ saltem in ratione habitus, sunt quid mixtum, ex habitu existente in voluntate, & ex habitu existente in appetitu, qui ita se habent, ut habitus existens in appetitu, absque ha-

bitu

bitu in voluntate exiſtente, non habeat rationem habitus, & virtutis moralis, cum moralitas deſumatur per ordinem ad intellectum, & voluntatem; habitus autem in voluntate permanens, abſque habitu correſpondente in ſenſu non habet perfectam rationem habitus, ratione aſsignata in argumento; non autem de virtute verſante circa operationes, & maxime circa illas, ad quas appetitus extendi non poteſt, ſicuti eſt Iuſtitia, quæ totaliter in voluntate perficitur.

26. Reſpondeo 3. quamlibet virtutem habitualem in triplici ſtatu conſiderari poſse; primo, quando non præbet perfectam facilitatem ad operandum, & ut ſic eſt in homine, quia adhuc paſsionibus perturbantur, ſed incipit aſſueſcere ad illas reprimendas, & ſic virtutis ſtatus, dicitur ſtatus continentiæ; ſi autem, ſecundo modo conſideretur utpotè, quando præbet perfectam facilitatem, & ut ſic eſt in homine, qui ſufficienter paſsiones ſubiugavit, ne nimis inſurgant contra rationem, quamvis adhuc aliqualiter inſurgant, & hic ſtatus dicitur ſtatus propriæ virtutis. Tertiò, quando non modo præbet perfectam facilitatem ad operandum; ſed tantam, ut paſsiones nullatenus amplius inſurgant contra rationem: & hic ſtatus dicitur heroicus. Primus dicitur incipientium, ſecundum proficientium, tertius perfectorum. In primo quamvis virtutes morales per eſsentiam ſint, ſaltem regulariter annexæ cum prudentia, quamvis Scotus in 3. diſtinct. 36. §. *quantum ad iſtud*, velit neceſsario eſse annexas cum prudentia, etiam in hoc ſtatu, cum aſserat, elici non poſse actum virtutis moralis ſine actu prudentiæ, quamvis non è contra; non ſunt tamen modo neceſsario, ſed ne quidem regulariter connexæ inter ſe: in ſecundo ſtatu aſserit S. Thomas 1. 2. quæſt. 65. omnes virtutes morales eſse inter ſe connexas, ſaltem regulariter, ut optimè explicat Averſa 1. 2. quæſt. 55. ſect. 23. quamvis neget ſubtilis Doctor loco cit. cum ſuis Scotiſtis, idemque maiori ratione dicendum puto de virtutibus in tertio ſtatu conſideratis. D. ergo Thomas præfatis locis in argumento cum Ariſtotele locutus eſt de virtutibus in primo ſtatu, in quocumque

subiecto reperiantur: licet enim qualitas hæc ab initio sit eiusdem rationis essentialis, tamen ob defectum dictæ perfectionis ab intrinseco, & occurrente postea maiore subiectione, ob istam, inquam, differentiam ammittit illa qualitas denominationis diversitatem, nempe, ut a principio appelletur semivirtus, postea vero virtus perfecta; sicuti ab initio vocatur dispositio, postea habitus; hinc quamvis his Thomistæ non assentiant, qui dicunt virtutes in primo statu non esse propriæ virtutes, sed in secundo, adhæreo tamen his, qui affirmant habere, quidem essentiam virtutis, non tamen virtutis statum, cum non habeant inhabilitatem alicuius momenti.

27. Conclusio 3. omnino concedenda est in intellectu virtus aliqua, que omnimodè cum Iustitia conveniat, quamvis Iustitiæ nomine non sit insignita; sed prudentię. Est D. Thomæ, hæc conclusio hic in corpore articuli: ubi hæc habet: *quia apprehensio sensitiva non se extendit ad hoc; quod considerationem possit proportionem unius ad alteram, sed hoc est proprium rationis,* quibus verbis id, quòd negat cognitioni, & appetitu sensitivo, concedit intellectui. sivè rationi communicationem, videlicet, in obiecto cum Iustitia.

28. Probo conclusionem sic; Sivè cum S. Thoma supracitato dictum est non posse esse actum virtutis moralis, sivè actu prudentiæ, sivè cum Scoto, esse quidem posse actum prudentiæ sine actu moralis virtutis, quamvis non possit esse actus virtutis, sine actu prudentiæ; sivè denique unum sine alio, nec è contra regulariter, quamvis aliquando vicissim, utrumque sine alio reperi posse, cum Aversa prima secundæ q. & sectione supra citatis. Rursus sivè cum eodem Scoto dicam, distinctas esse prudentias pro singulis virtutibus moralibus, cui non videtur dissentire Sanctus Thomas hic 2. 2. q. 47. art. 11. sivè cum Vasquez apud Aversam loco citato, unam esse prudentiam cum diversis modis extensionis ad varia virtutum obiecta; negari nequit prudentiam, quæ est in intellectu versari posse circa materiam Iustitiæ; Sed prudentia est virtus moralis; ergo datur

tur in intellectu virtus moralis, communicans cum Iustitia in obiecto; quoad actum etiam, si communicet talis virtus in obiecto cum Iustitia, tamen Iustitia non dicitur, sed prudentia. Probatione hoc non indiget: nec enim sola Iustitia ita se habet; sed omnes etiam morales virtutes: ratio autem quare eodem non insignitur nomine Iustitiæ, non satis mihi constat, præter liberam Phylosophorum, & Theologorum determinationem; sicuti nec constat, cur prudentia Temperantiæ, & prudentia Fortitudinis eodem prudentiæ nomine significentur, cùm sint specie distinctæ. Quod siquis dicat, quia prudentia est in intellectu. Contra, quia fortitudo, quæ est in voluntate, &, quæ est in sensu eodem fortitudinis nomine nuncupantur; & tamen sunt in diversis subiectis; licèt voluntas, & appetitus sensitivus non conveniant in ratione appetitus. Voluntas namque & intellectu conveniunt in eo, quod sunt potentiæ portionis intellectivæ, quapropter voluntas dicitur appetitus rationalis.

29. Hanc differentiam in nomine significare voluit auctor in argumento literæ; non enim eodem pacto negat, esse iustitiam in intellectu, de quo postea affirmat ferri posse in obiecto Iustitiæ, ac negat, esse in appetitu sensitivo; de hoc enim ait effectum Iustitiæ non posse procedere ex appetitu sensitivo; de illo verò nos dicimur iusti ex hoc, quod rectè aliquid cognoscimus: ubi loquitur clarè de nomine Iustitiæ, postea autē agit de cōmunicatione in obiecto cum Iustitia, ut legenti Auctorem in litera patet clarè.

30. In quo autem subiecto Iustitiæ virtus reperiatur, nempè in qua substantia, an videlicet sit Angelis, an in hominibus & in quo statu, an etiam in Brutis? Certum esse debet, Angelis inesse Iustitiæ virtutem, tum inter se, tum etiam cum hominibus: quamvis enim Angeli non possint exercere omnes Iustitiæ contractus in humanis negocijs occurrentes, potest tamen Angelus occidere hominem, illi bona auferre, & ablata restituere. Item potest unus iniuriam alteri inferre, diffamare, revelare secretum; & similiter homo famamque restituere. Item possunt desiderare, ut homines iustè vivant, quo pacto habent

alium

alium genus Iustitiæ, iuxta sensum Aversæ q. superiori, certum etiam debet esse, hominibus in hac vita, in statu liberæ rationis, non autem in pueritia, nec in amentia, Iustitiam in esse. Similiter sive cum Durando in 2. dist. 29. q. 2. dicam, virtutes Theologicas; ac morales, quæ circa operationes versantur: non autem virtutes morales, quæ sunt circa passiones moderandas, hominibus in statu innocentiæ, & beatitudinis concedam, mihi favet Gregorius, Lectio 35. Moralium cap. 22. sivè cum communi Theologorum Schola, omnes virtutes morales tum existentes in voluntate, tum in appetitu; tum versantes circa operationes, tum circa passiones, hominibus in statu innocentiæ, & beatitudinis in esse dicam; sivè denique virtutes sensitivi appetitus formaliter, sivè radicaliter esse in statu separationis, & resurrectionis affirmem, certum esse virtutes intellectus, & voluntatis nullo pacto uniri in obiecto cum virtutibus sensum communicantibus, ut est Iustitia, præter eas, quæ peculiariter ex ijs tribus repugnant, ut fides, & spes cum beatitudine, esse in hominibus pro omni statu, tùm scilicet innocentiæ, tùm Beatitudinis; tùm in statu separationis Animæ, tùm resurrectionis; cum nulla sit ratio in contrarium; & Damascenus 2. fidei cap. 12. asserit, primum hominem factum fuisse à Deo, omni virtutum genere cohonestatum, & communiter asserunt Theologi, Deum Beatis virtutes, quas non acquisierunt, vel simpliciter, vel in statu perfecto, illis in futurum fore, quo magis igitur iam acquisitæ virtutes permanebunt. Denique S. Thomas quidquid dicat in 3. dist. 33. q. 1. art. 4. & hic q. 67. art. 1. *ad tertium* affirmet eas virtutes, quæ sunt in parte sensitiva futuras in Anima separata, tanquam in radice, sed post resurrectionem futuras actualiter, ut nunc sunt; ergo virtutes intellectus, & voluntatis cum eorum subiectum nullo pacto desinant, remanebunt in statu separationis. De statu autem damnationis, dicendum puto, quamvis in ijs remansurum habitum Iniustitiæ; aut habitum, si quem acquisierunt in via, vel divina Iustitia expoliabuntur, vel post modicum temporis, suis

acti-

actibus Iustitiæ, saltem conditionatis, spoliabuntur. Certum est etiam ex supradictis; nullam inesse brutis Iniustitiam, vel Iustitiam; utrum autem sit Iustitia formaliter in Deo, aut in Christo Domino; iam satisfeci, cum egi de Incarnatione.

SUBSECTIO III.

Nam Iustitia semper sit ad alterum, & sic circa passiones.

31. DVas partes habet præsens subsectio, sivè duas difficultates complectitur, quæ quidem difficultates moventur a D. Thoma in quæstione, secundum suum ordinem, LVIII. per duos articulos; nempè in 2. & 9. ni fallor, quærit an Iustitia semper sit ad alterum, & an eadem Iustitia circa passiones versetur.

32. Conclusio responsiva, secundi articuli est affirmativa, negativa verò conclusio noni Articuli, non quia, ut putat Valentia, idem intelligatur nomine passionis, ac actio terminata ad ea, quæ pertinent ad ipsum operantem; nomine verò operationis actio versans circa ea, quæ ad personam pertinent, aliter frustra per duos Articulos examinaretur a Beato Thoma præsens Doctrina. Tum quia, dantur, ut supra dictum est, passiones sensitivæ erga alterum; cum etiam inter bruta, per passionem amoris, odij, & iræ unus afficiatur erga alterum. Tùm denique, quia voluntas etiam Angelica, ubi nullos appetitus sensitivi inest passio, potest versari circa bona proprij subiecti. Sed quia nomine passionis venit actus appetitus potentiæ sensitivæ, nomine verò operationis venit actio partis rationalis, quia vero habitus iustitiæ cum subiectetur in parte rationali, ita ut nullo pacto sit in appetitu sensitivo, ita versabitur circa operationes eljciendas, in quibus consistit iustitia habitualis, ut nullo modo feratur ad efficiendos appetitus passiones. Ratio autem quare actus appetitus sensitivi vocentur passiones, variæ sunt Doctorum sententiæ, quas hic investigare meum non est.

33 Hoc autem, quod dicitur in primo argumento articuli 9. iustitiam, ex eo quod est in voluntate, non versari circa passiones, non ita est intelligendum, quasi quod voluntas nequeat habere virtutem versantem circa obiectum passionum: cum Angelicus Magister S. Thomas 1. 2. quæst. 58. art. 3. ad 2, assignet contientiam, & perseverantiam in voluntate: ita in hac 2. 2. quæst. 144. art. 1. assignat continentiam in parte rationali, & quamvis, ut notat Caietanus, illic non expresserit in qua parte, sive potentia rationali sit, expressit tamen postea quæst. 155. artic. 3. ubi ex professo docet, continentiam esse in voluntate, & idem sine dubio putavit de incontinentia, de qua statim agit q. 156. quidquid dixerit 1. 2. q. 56. art. 6. & q. 60. art. 2. Sed quod habitus virtutis voluntatis non versetur elicitivè circa passiones, quæ sunt in appetitu sensitivo, sed circa actus voluntatis, qui dicuntur operationes: id vero quod dicitur in secundo argumento, nempè, quod Iustitia habeat pro materia obiectiva ordinationem ad alterum, sequitur, quod non versetur circa passiones eliciendas; non intelligitur, quasi, ut virtus, circa passiones non possit respicere alterum suppositum, quod, ut in antecedenti prima quæstione dixi, est falsum. Sed quia virtus versans circa passiones, non potest respicere proportionem iuris, & debiti, cum hoc sit obiectum excedens proportionem appetitus sensitivi, ex quibus remanet clara doctrina posita, &c.

SVBSECTIO IV.

Ad medium Iustitiæ sit medium Rei.

34. EST communis Scolasticorum, cum Phylosopho 2. Etich. cap. 6. sententia D. Thomæ 1. 2. q. 64. virtutem omnem gaudere privilegio medioritatis, sivè hoc sit illi essentiale, ut videtur sentire Aristoteles loco citato, sivè proprietas, ut videtur affirmare S. Thomas; sive denique sumatur formaliter, sive radicaliter, sumendo virtutes morales, prout a Theologicis virtu-

tibus distinguntur; cuiusmodi sunt, Fides, Spes, & Charitas. Affirmant communiter medium inter vitia extrema esse,& sumunt fundamentum Doctores ex Sacra Sciptura, & præcipuè ex quintò capitè *Deuteronomij Proverb.* 4. *Isaiæ* 3. & alibi, ubi admonentur homines ambulare per viam rectam, & non declinare, neque ad dexteram, neque ad sinistram, & insuper probatur a D. Thoma ratione naturali loco supra cit. art. 1. ratio ab eo adducta est, quia quælibet virtus respicit mensuram, & regulam humanarum actionum, cui mensuræ conformari debet; sed dupliciter potest quis deviare, a debita mensura, vel per excessum, vel per defectum; ergo virtus est quid medium: excessus autem, & defectus extrema.

35. Vtrum autem omnis virtus habeat mediocritatem formalem, quam essentialem vocant, simul & causalem, sive obiectivam, ut putat Buridanus 1. Ethic. quæst. 13. ubi dicit, virtutem esse medium, inter duo vitia extrema v. g. temperantia inter intemperantiam, & stupiditatem: liberalitas stat inter prodigalitatem, & avaritiam, causalis vero, seu obiectiva est, qua virtus in proprio obiecto medium constituit, nempe inter plus, & minus, vel aliquam, tum causalem, tum essentialem, aliæ verò solum causalem, ut putat Caietanus, Medina, & alij Thomistæ in supra cit. loco Div. Thomæ, Valentia quæst. 7. de virt. punct. 1. Vasquez. disput. 86. cap. 8. Salas disput. 7. de virtutib. sect. 2. Conimbricenses disputat. 7. Ethic. quæst. 2. & alij, sive denique nulla paucis fortasse exceptis, essentialem formalem, immò autem causalem, & essentialem materialem; idest itaut unum vitium formaliter opponatur virtuti, aliud vero tantum materialiter, ut probat Aversa 1. 2. quæst. 55. sect. 22. hic non pertinet disputare, ubi solum posito, quod omnis virtus habeat medium causaliter, seu obiectivè, num hoc medium sit rei, vel rationis, quæritur, ut patet cum Div. Thoma ex præscriptione tituli.

36. Aristoteles ubi supra docet virtutis medium esse secundum rationis, seu prudentiæ dictamen, non autem secundum rem,

 quod

quod ipsemet explicat ibidem, & probat; quia statutum non est certum medium ex natura rei omnibus hominibus; immò, quod uni est medium, potest esse alteri excessus, vel defectus, & sic medium uniuscuiusque virtutis debet a recta ratione perfiniri, constitui, & fieri. Qua pro obiectum virtutis est illud, quod medium esse inter extrema recta ratio dictat, aut determinat, ponitque exemplum Aristoteles his verbis, decem minas commedere, erat proprium milonis, alicui vero nimium, & alicui extremum, quam doctrinam sequens D. Thomas quæstione cit. art. 2. addit. in obiecto Iustitiæ idem esse medium rationis, & rei; quia de ratione Iustitiæ est constituere æqualitatem rei cum debito, & ideo id, quod est in re medium, est etiam secundum rationem, & prudentiam hominum, quare hanc eamdem doctrinam repetere habet idem D. Thomas hic art. 10. per totum.

37. Vnde certum est, hanc Div. Thomæ sententiam ita defendi a Theologis, ut idem sit formaliter, in via Div. Thomæ, medium rationis, ac medium in ordine ad seipsum, medium vero rei, ac medium in re existentem in ordine ad personam externam.

38. Contra est. Tum quia Div. Thomas quæst. superiori artic. 1. asserit, ex hoc secundo sequi primum, videlicet, ex eo quod obiectum Iustitiæ sit per ordinem ad alterum, sequi quod medium Iustitiæ sit medium rei; secus vero medium aliarum virtutum. Tum, quia superfluum esset hic quærere, num medium Iustitiæ sit medium rei, sufficeret enim dixisse: Iustitiam sumi per ordinem ad alterum. Tum denique, quia infra q. 55; in responsione ad tertium art. 2. asserit obiectum temperantiæ per accidens, & præter intentionem, idest per ignorantiam invincibilem exercitum, similiter, & intemperantiæ, nec quidem materialiter esse temperantiæ, vel intemperantiæ obiectum; secus vero obiectum Iustitiæ non alia de causa, nisi quia Iustitiæ obiectum, ita consistit in medio realiter, ut nullo pacto determinetur, aut fiat a prudentia; Tum etiam ratione, cum, ut asserit

Caie-

Caietanus in hoc loco, medium rei, est medium firmum, & certum; & ita, quamvis a ratione repræsentetur, ut a voluntate ametur, ab illa tamen non fit, nempe a ratione, secundum esse determinatum, cum hoc habeat a parte rei; medium autem aliarum virtutum, non modo ab intellectu voluntati repræsentatur, verum etiam ab illo determinatur, & aliqualiter fit, ut loquitur D. Thomas quæst. superiori art. 1. in corp. idest in ratione medij, cum in se sit incertum, & varium. Verum quidem est, B. Thomam in eam esse sententiam hanc differentiam inter utriusque virtutis obiecta ex eo oriri; quia una terminatur ad alterum, altera vero ad proprium suppositum, ratione supra assignata, ex Aristotele, ut optimè explicat Caietanus eodem loco, a quo eamdem doctrinam sumpsit Scotus, & alij; ergo, &c.

39. Quod autem in corpore huius articuli dicat de obiectis aliquarum virtutum, in illis esse solum medium secundum rationem, quoad nos, noluit significare per ly, *quoad nos* idem, ac quoad operantem, sed significavit, aut explicavit, quid sit medium rationis, nempe medium ex parte nostri intellectus, quod ex eo patet; quia Aristoteles 2. Etic. c. 6. definivit virtutem in communi, *habitum electivum immediatè existentem determinata ratione*, *quoad nos*: quod si ly, *quoad nos*, idem esset, ac per ordinem ad passiones operantis, non posset convenire virtuti in communi, cum non conveniat Iustitiæ. Item S. Thomas hic in responsione ad primum, concedit medium Iustitiæ esse medium rationis, & quoad nos, eodem pacto, quo sibi proposuit in primo argumento, & ait hoc medium esse etiam rei, videlicet, quamvis approbatum, & propositum a ratione, effectum tamen, & constitutum a parte rei, ad differentiam aliarum virtutum, quarum medium obiectivum non modo est rationis, & quoad nos in repræsentando, verum etiam in esse determinato, & præstituto.

40. Hic aliquorum fluctuantiam, seu sibi ipsis inconsistentia præterire non valeo; qui cum expressè affirment, secundum

mentem D. Thomæ, & Aristotelis, medium rei esse id, quod a duobus extremis in reipsa æque distat, & esse unum, & idem in omnibus. Medium autem, quod est tantum rationis, seù quoad nos, esse id, quod a duobus extremis æque distat non in reipsa, sed secundum rationem nostram: quia in re non est semper idem; & similiter in medio rei non esse opus rationi comparante, deliberante, & constituente, sed tantùm simpliciter appræhendente, repræsentante, & approbante: quia est medium certum, & firmum, inter res ex se non autem in medio, quod est rationis tantùm, cum, inquam, similiter, immò his expressis verbis in initio huius quæstionis loquantur, in fine tamen einsdem articuli cum argumentis adversariorum præmantur, non satis sibi ipsis consistunt, respondendo medium rei idem esse, ac medium in ordine ad alterum, medium verò rationis, idem ac in ordine ad operantem.

41. Verum quidem est, quod contra prædictam sententiam iuxta Germanum sensum D. Thomæ explicatam validas in surgere difficultates.

42. Et primò; quia aliquando medium aliquarum virtutum est certum, determinatum, firmum, & stabilem a parte rei, itaut, virtutis actus circa ipsum ut versetur, non indigeat ratione constituente, & determinante, ipsum, sed tantùm approbante, & representante: ergo falsum est, solum medium Iustitiæ esse medium rei; consequentia sequitur, antecedens probatur; quia liberum non accedere ad mulierem non suam, etiam liberam, est medium temperantiæ, in re determinata pro omnibus hominibus, nec pro qualitate, & temperamento personæ variatur, atqui temperantia non est species Iustitiæ: ergo, &c. nec respondere quis potest, etiam in hac materia, medium esse indeterminatum, cum aliquando liceat ad conservationem, & restaurationem damni alicuius regni accedere ad mulierem non suam. Contra enim est, quia si medium est varium, non est varium per ordinem ad conditionem operantis, ut asserit auctor, & Phylosophus, sed aliundè, nempè ratione materiæ Iustitiæ,

ſeù pietatis, aut Charitatis, non autem temperatiæ. Tum etiam quia, in tali caſu non accederet ad mulierem non ſuam, ſed tenetur de non ſua facere ſuam medio matrimonio.

43. Secundò, quia, ideò medium Iuſtitiæ ſecundum doctrinam authoris eſt firmum, & certum; quia ſumitur per ordinem, vel rei ad rem, vel rei ad ius alterius; ſed ex hoc ordine, vel rei ad ius, vel rei ad rem non ſemper ſequitur immobilitas, & firmitas; ergo, &c. Minor probatur; quia eadem res poteſt commutari pretio rigoroſo, vel infimo; poteſt pro diverſo loco, & tempore, & pro multitudine, & paucitate vendentium, & ementium valde inæqualiter emi, & vendi, & ſæpè etiam, iuxta diverſitatem perſonarum, diverſum etiam eſt medium æqualitatis in Iuſtitia diſtributiva, & vendicativa ſervandum: ergo, non ſemper res ordinata ad alterum, habet ſibi honeſtam rationem medij firmi, & certi a parte rei.

44. Nec benè quis reſpondebit, ſi dicat, qualitates perſonarum in punitione, & ſatisfactione, ac diſtributione, ſimiliter qualitates temporis, loci, multidinis, &c. attendi ad hoc, ut determinetur qualitas in iure delicti, præmis, valoris, &c.

45. Contra eſt; quia hæc determinatio attentis conditionibus fit a ratione; ergo, in ijs medium fit a ratione determinante, non verò ſolum a ratione approbante, e repræſentante, cum ſecundum non ſit firmum, & certum.

46. Nec dicas: eſſe ſaltem firmum, & certum a parte rei tantùm deberi pro re, quantùm ipſa valet; tantam pænam infligendam reo, quantum fuit delictum: tantum præmium, quantum eſt meritum, &c. quamvis incertum ſit quantus ſit valor, quantum delictum, quantum meritum, hoc ſecundum determinatur a ratione, primum verò eſt in reipſa.

47. Contra eſt; quia etiam certum eſt, tantùm hominem debere commedere, quantùm exigit propria complexio naturalis hic & nunc; ex eo autem quòd incertum eſt, quantùm exigit eius naturalis conditio, fit, ut medium ſit rationis, non autem rei, quod ſi propter infirmitatem, tu vocas medium Iu-

ſtitiæ, medium rei: cur ergo, propter ſimilem certitudinem, medium temperantiæ ſimiliter medium rei dicere non potero?

48. Recurrent fortè ad commune confugium; quia obiectum Iuſtitiæ ſumitur per ordinem ad alterum, & eſt quid extra ipſum operantem, non autem obiectum temperantiæ; ſed quæſo, Lector amice, lege quod dico in initio huius ſubſectionis de mente D. Thomæ, & ſileat, qui contrarium ſentit contra me: nec melius reſpondebit contrarius meus, dicendo; obiectum Iuſtitiæ eſſe reddere tantum, quantum realiter debemus, non verò tantum, quantum recta ratio determinabit, obiectum autem temperatiæ eſſe tantum comedere, & bibere, quantum recta ratio determinabit expedire.

49. Contra eſt enim, quia ut ſupra dictum eſt, & conceſſum ab adverſarijs, prudentiam etiam determinare quantitatem valoris delicti, &c. cur etiam obiectum Iuſtitiæ non erit tantum reddere, quantum recta ratio debere determinabit? quod ſi his non obſtantibus, adhuc Iuſtitiæ obiectum eſt tantum reddere, quantum realiter debemus; cur obiectum temperantiæ non erit tantum manducare quantum realiter, hic & nunc, exigunt conditiones operantis cum militet eadem de utroque ratio?

50. Certum igitur ſit, ſecundum mentem D. Thomæ, medium Iuſtitiæ eſſe medium a parte rei, tam firmum, & ſtabile, ut ad ipſius executionem, & amorem non indigeamus ratione perficiente, & determinante medium, ſed ſolum ipſum repræſentantem. Medium verò aliarum virtutum, eſſe incertum, & varium; quapropter ad ipſius executionem indigemus ratione determinante hoc medium, itaut ſiquis prudenter determinet, hunc, & tantum vinum, v. g. bocionem unum plenum eſſe complexioni ſuæ congruum, non ſolum, ſi inebrietur, non faciet actum intemperantiæ, ſed temperatus erit, ut accidit Noè vini virtutem per ignorantiam invincibilem neſcienti.

51. Certum, inquam eſt: hanc eſſe authoris germanam mentem, & ſententiam, non ſatis conſtanter ab illis, quos adhuc vidi, penetratam. Vtrum autem veritatem aliquam ſibi vendicet

dicet

dicet, non satis mihi certum est; potius enim in contrarium declino, salva pace, & onorificentia tancti Doctoris, nec mirum, siquidem aliquando etiam bonus dormitat homerus.

SVBSECTIO V.

Vtrum detur Iustitia Generalis, seu Legalis distincta, a cæteris Virtutibus.

52. IN hac subsectione currendo cum ordine Angelici Magistri, esset quærendum, an Iustitia sit virtus Generalis, & quatenus sit talis, sit idem per essentiam cum omnibus virtutibus: an sit aliqua Iustitia particularis, & quatenus hæc, habeat materiam particularem; quæ omnia D. Thomas per quatuor articulos examinata, ut apud ipsum videre est hic quæst. 56. ego autem totum per plures conclusiones, ea brevitate, & claritate, qua potero, prout a Deo mihi, ut spero, concessum erit, resolvam.

53. Sententia est Angelica, duas deberi dari species Iustitiæ, in quas immediatè iustitia dividatur; particularem unam, legalem, sive generalem alteram, ut inquit artic. 5. & expressius art. 7. eo quod, cum Iustitia jus ponat homini ut bene se gerat, homo autem duplicem ordinationem ad alterum habet, cum possit primo comparari ad alterum singularem hominem, vel etiam multos; secundò ad totam Civitatem, aut Regnum; ad primum comparatur, ut pars parti; ad secundum comparatur, ut pars ad totum; igitur debet necessario poni virtus, quæ non modo perficiat hominem, ut bene se gerat erga alterum hominem, quæ dicitur Iustitia particularis: verum etiam alia species Iustitiæ, quæ perficiat hominem, ut rectè se gerat erga bonum communitatis, quæ dicitur Iustitia generalis. Tum quia respicit bonum generale; Tum etiam, quia præcipit actus aliarum virtutum propter communitatis bonum, & ius eodem pacto, quo Charitas, & obedientia virtutes generales nuncupantur, dicitur etiam Iustitia legalis, eo

quod

quod habet pro motivo iusto, seu rem commensuratam cum iure, quod habet communitas, velut eius leges serventur, vel ut eius bonum particularibus custodiatur, quod sæpius lege præscribitur. Iustitiam hanc auctor non modo distinguit a Iustitia particulari in art. 7. quia assignat specialem obiectum in art. 7. verum etiam a cæteris quibuscumque virtutibus specialiter disgregat, ut patet ex art. 6.

54. Ratio autem dubitandi circa præfatæ doctrinæ veritatem est, quia ad illud quod ponitur Iustitia hæc generalis, sufficienter videtur præstari per reliquas virtutes, quarum singulę habent, ut non solum ferantur circa proprium obiectum: verum etiam, ut illud ordinent in bonum communem, quando oportet v.g. fortitudo non solum facit, ut homo eligat subire mortem ad reparandum bonum honestum, verum etiam, quando oportet pro bono Reipublicę, quam mortem præclaram vocat Arist. loco infra citando; vel si hoc ipsum non habent particulares virtutes, præstari poterit a virtute pietatis, vel obedientiæ; vel denique Charitatis, undè alij putant, Iustitiam legalem esse idem, aggregatum omnium virtutum cum Burid. 5. Etic. quæst. 64. quem sequitur Lexius de iustitia, & iure lib. 2. cap. 1. saltem ex sentententia Aristotelis. Alij verò dicunt, Iustitiam hanc esse Obedientiam, alij verò pietatem in patriam: quænam autem sententia non improbabiis sit, idem Lexius, ubi supra concl. 2. 4. & 5. disserit, sit igitur

55. Conclusio prima pro me. Iustitia legalis distinguitur à virtute pietatis.

56. Probo conclusionem; quià ubi est diversa ratio debiti, ibi sunt diversæ virtutes Iustitiæ, sed inter Iustitiam legalem, & pietatem est diversa ratio debiti; ergo, probatur minor; quia, ut affirmat S. Thomas, Iustitia legalis respicit conservationem boni communis, qua bonum commune est, idest bonum communitatis, cuius homo eliciens actum talis Iustitiæ, est pars. Pietas autem erga patriam respicit eiusdem boni conservationem, quatenus est bonum Principis ortus nostri; sed hæc sunt diversæ alle-

obligationes, & debita; ergo, &c. maior est certa: minor probatur. Tum quia possunt invicem separari, utpotè cum quis incoluit Civitatem, quæ non sit eius patria; tum etiam quia strictius est debitum, quo homo, ut pars, obstringitur communitati, ut toti, quam obstringatur communitati, ut principio ortus sui, cum strictius sit debitum, quo quis obligatur patri, ut principio immediato ortus sui; quam patriæ principio mediato, & secundario; at strictius obligatur communitati, ut toti, quàm parenti, & sibi ipsi; debet enim homo bonum communitatis præferre, & vitæ suæ, quando est opus; ergo maius est debitum, quo homo obligatur communitati, ut toti, quàm eidem, ut patriæ.

57. Conclusio 2. Iustitia legalis distinguitur a virtute obedientiæ.

58. Probo conclusionem firmatam sic. Vbi sunt diversæ rationes honestatis obiectivæ per se intentæ, ibi sunt virtutes diversæ; atqui diversa est honestas obiectiva, quam per se intendit obedientia, ab ea, quam per se intendit Iustitia legalis; ergo, &c. maior est certa, minor probatur; quia obedientia per se spectat, ad præceptum, ut talis, præscindendo ab eo, quod hoc bonum sit bonum communitatis, sive alterius uniuscunque; Iustitia vero legalis respicit conservationem boni communis, quatenus est bonum illius totius, cuius homo eliciens talem Iustitiæ actum est pars: sed hæc sunt diversæ honestates obiectivæ per se spectatæ; ergo, &c. idemque dicendum est de Charitate: cuius honestas obiectiva præintenta est bonum proximi, seu alterius, quatenus bonum alterius est. Vnde quamvis quandoque respiciat communem bonum, tamen hoc non respicit debiti a parte toti, propter ius, quod totum habet erga partem, sed quatenus est bonum proximi. Nec obstat, quod quandoque respiciat bonum commune, ut commune, ut cum præfert bona privata bono communitatis. Non obstat, inquam; quia tale bonum, etiam ut commune, non respicit, ut debitum a se, ut pars iure communitatis, ut toti; sed ut alteri excellentiori, altero

privato; quod patet ex eo, quia Charitas debet præferre bonum commune etiam illius Civitatis, cuius homo non est pars; non autem sic Iustitia legalis.

59. Neque obstant, quæ Lexius de Iustitia, & iure lib. 2. citat conclus. 5. congerit primò Iustitię legalis obiectum esse id, quod sancitum est legibus. Secundo, quia obedientia, sicuti Iustitia legalis est in admiratione apud omnes, & non fit Lucifer, & Expertus; Tertiò, quia obedientia, sicuti, & Iustitia legalis dici potest virtus universalis, cum imperativè efficiat actus omnĩũ virtutum ad præceptum superioris exequendum; quartò quia respicit alterum, idest superiorem, & bonum communem, sicuti Iustitia legalis. Quintò denique, quia Phylosophus nullibi egit de virtute obedientiæ; ergo eam hic cofundit cum virtute Iustitiæ legalis.

60. Non obstat, inquam, primò; quia legibus sancitum est diverso modo obiectum iustitiæ legalis, ac obedientiæ obiectum; obedientiæ enim obiectum sub formalitate est explicata in ratione fundamentali pro mea secunda conclusione. Iustitiæ vero legalis est, quatenus debitum a parte toti. Secundo, quia nihil obstat duas virtutes esse in hominum admiratione maxima. Tertiò, quia nihil obstat duas virtutes esse universales in imperando, ut patet de Charitate, obedientia, & pietate. Quartò, quia omnes virtutes Iustitiæ annexæ sunt ad alterum; nec obedientia semper respicit bonum communem, & si semper respiceret, non respiceret, ut debitum a parte toti, sed ut præceptum a superiore. Quinto denique, quia auctoritas negativa nullam habet vim.

61. Conclusio 3. Iustitia legalis non est aggregatum omnium particularium virtutum, est contra Buridanum, ubi supra, & ex parte Lexium loco citato conclus. 5. est tamen communior cum B. Thoma hic art. 6. & præter ipsius authoritatem, quæ in re theologica magni momenti est.

62. Probo 1. authoritate Phylosophi 5. Ethic. cap. 1. ubi multa de Iustitia legali affirmat, quæ verificari non possunt, nisi hæc esset virtus ab alijs virtutibus specialiter distincta; asserit enim,

eam virtutem perfectam, præstantissimam, quæ imperativè in omnium virtutum materia versatur, & adeo clara, ut neque Experus, neque Lucifer sit adeo admirabilis; & subiungit: *Institia sola, ex omnibus virtutibus, esse alienum bonum videtur, quia ad alterum spectat; agit enim ea, quæ alteri conducunt:* ubi Iustitiam distinguit ab omnibus virtutibus, ut patet, quod autem non loquatur de Iustitia particulari, sed legali, addit: *aut Principi, aut Reipublicæ;* ergo, &c. item cap. 2. asserit Iustitiam particularem, & universalem, & oppositas Iniustitias inter se univocè convenire, quod verificari non posset; si Iustitia legalis includeret omnes virtutes, & consequenter Iustitiam particularem, ea enim, quæ univocè conveniunt, specie non distinguuntur.

63. Neque obstat ipsum ibidem asserentem Iustitiam hanc, non esse partem subiectivam, seù speciem virtutis, sed integram virtutem, & paulò post subiungere: *quid vero virtus, & Iustitia hæc differant ex dictis patet, utique enim eadem est, esse tamen utramque non est idem, nam quatenus ad alterum spectat Iustitia, quatenus talis, quidam habitus, virtus simpliciter est:* non enim intelligendus est, ut Buridanus, & Lexius volunt, Iustitiam legalem, & quamcumquem aliam virtutem essentialiter esse idem, & differre tantum ratione, sed ut asserit B. Thomas art. 6. in fin. corp. & Caietanus ibidem, quem citat, & amplectitur Valentia hic disput. 5, quæst 2. part. 2 virturem quamlibet non secuddum suam essentiam esse Iustitiam legalem, sed ut eius actus, & obiectum imperantur, & ordinantur a speciali virtute iustitiæ legalis ad boum communitatis, quo pacto eius actus habet specialem honestatem, & laudem Iustitiæ legalis, sicut habet laudem Charitatis, si a Charitate imperetur, quod est quamlibet virtutem esse Iustitiam legalem, non identicè, sed relativè per unitatem cuiusdam ordinis, & in hoc sensu loquitur S. Thomas sup. q. 47. artic. 10. ad 1. ubi ait, quamlibet virtutem moralem ad bonum communem esse Iustitiam legalem, eodem scilicet, pacto quo quælibet virtus dicitur obedientia, quando ab obedientia, eius actus imperatur, propter observationem præcepti. Sic etiam interpre-

trari debet idem Stagirità locis citatis a Buridano ubi supra pro sua sententia: quorum primus est ex 4. Ethic. cap. 6. ubi de magnificentia asserit, eius obiectum esse sumptum in bonum publicum. Secundus vero ex 4. Ethic. cap. 6. ubi de fortitudine affirmat, ad eam pertinere subire mortem in bello, nam per ly *præclaram*, intelligit pro bono communi; non enim loquitur de fortitudine, & magnificentia, secundum se spectatis, sed ut ordinatis, seu imperatis a Iustitia legali ad bonum communitatis; quidquid sit de peculiari bono.

64. Probatur 2. quia ubi adest peculiaris honestas obiectiva, distincta a peculiaribus obiectivis honestatibus, adest peculiaris virtus specie ab alijs virtutibus condistincta; sed quamvis quælibet virtus habeat pro motivo in proprio obiecto bonum communitatis; quod enim consequitur ex bono particulari, in se & directè volito, cum bonum partis sit bonum totius, nihilominus operari propter bonum communitatis in se directè volitum, post habito particulari bono; immò amare particularem bonum in obiecto, ad quod sequitur bonum totius, cum totius bonum sit bonum partis, non est honestas obiectiva communis omnibus virtutibus; sed quædam particularis honestas; ergo debet dari peculiaris virtus, quæ directè circa hanc peculiarem honestatem versetur, hæc autem alia non est, nisi Iustitia legalis; ergo hæc specialiter distinguitur ab omni alia virtute; nec consistit in aggregatione, & congerie omnium virtutum.

65. Cæterum, quæ Buridanus contra conclusionem Beati Thomæ opponit, sunt frivola, ac futilia, & ex data huculque doctrina facile diluenda. Primum ad comune bonum consequendum satis esse observantiam omnium legum, etiam ex formali motivo singularum virtutum: ergo non est necessaria specialis virtus ad prædictum bonum exequendum. Secundum omnem virtutem habere pro obiecto bonum totius, cum hoc sit inseparabiliter annexum bono particulari: ergo quelibet virtus est pars Iustitiæ legalis, & omnium complexum integra Iustitia legalis. Tertium, quia omne bonum respicitur a Charitate

erga

erga aliorum; ergo Iustitia hæc est Charitas. Quartum quia non datur virtus particularis versans circa bonum cõmune familiæ; ergo neque circa bonum communitatis, & reipublicæ, igitur non datur virtus particularis versans circa bonum proprium, ut sic, sed hoc præstant omnes virtutes versantes circa bona particularia: ergo neque datur specialis virtus versans circa bonum commune, sed hoc prestant omnes virtutes particulares, unaquæque in suo genere. Quintum, quia communitas nullum habet ius erga bona Civium; sic enim Cives non possent bona sua alienare sine consensu Reipublicæ: ergo nulla datur Iustitiæ virtus Civibus erga comunitatem. Sextum denique, quia omnis virtus debet habere actus proprios ab ipsa elicitos, Iustitia autem legalis non habet actus proprios, cum eius actus eliciantur a cæteris virtutibus; ergo, &c.

66 Respondeo his obiectionibus, & ad primam; distinguo antecedens, ad bonum communem consequendum directè, & in se, nego, indirectè, & in alio, concedo antecedens, & nego consequentiam, non enim virtutes sunt necessariæ ad simpliciter consequendam honestatem ipsarum obiectivam, aliter sola Charitas erga Deum esset sufficiens, cæteræ autem superfluæ; sed ad talem honestatem consequendam directè in se, & propter se illam amando. Ad secundum, eodem pacto distinguo antecedens, & consequentiam nego. Ad tertium, distinguo antecedens, respicitur a Charitate, quatenus est bonum alterius, præscindendo ab eo, quod operans sit aliquid illius, concedo, quatenus est bonum totius debitum ab operante, quatenus est eius pars, nego. Ad quartam dico, quod est dispar ratio, ut affirmat Angelicus Doctor art. 7. ad 3. nam comparatio partis ad totum in domo non est distincta a tribus coniugationibus, de quibus articulo superiori sivè subiectione, ut est inter Civem, & Rempublicam, neque tota familia habet ius distinctum a iure paterno dominativo, & coniugali; quod habet Respublica respectu Civium, ut totum erga partes. Ad quinctam; nego antecedens, datur enim Charitas erga seipsum. Ad sextam;

nego antecedens, habet namque Respublica in bona, & Civium actiones ius altum, quamvis non habeat ius bassum, seu immediatum, undè de illis non potest ad libitum disponere pro semper, potest tamen in casu necessitatis: ergo est etiam in Reipublica ius ferendi leges ordinantes talia bona ad communem utilitatem, quibus tenentur Cives in suarum rerum administratione se conformare, itaut si se non conforment, peccent contra Iustitiam legalem, si tamen ob ipsius contemptum hoc faciant; aliter enim conditio communis omnium peccatorum, sicuti est etiam contrarietas ad Charitatem, etiam si sit virtus specialis, quod autem ad restitutionem non teneantur, ut dicam infra q 6. nihil facit contra me. Ad septimam denique, dico, non esse necessarium assignare actus elicitos a Iustitia legali, sed sufficere ut sint actus in materia aliarum virtutum eliciti, propter finem boni communis, & consequenter imperati, ab actibus, in quibus consistit formaliter Iustitia legalis, quod commune est omnibus virtutibus generalibus, quamvis sint speciales habitus, ut patet de obedientia, præterquamquod, actus voluntatis, per quem quis vult bonum communitatis ut sic, tamquam quid debitum iuri illius est actus omninò pertinens ad Iustitiam legalem, nec immissus etiam imperativè actibus aliarum virtutum.

SUBSECTIO II.

Num Iustitia legalis sit propriè Iustitia.

67. Sensus quæstionis præsentis non est, utrum Iustitia legalis sit eadem specie cum Iustitia particulari, quæ est perfecta Iustitia; certum enim est esse inter se distinctas, cum habeant diversum motivum honestatis. Sed difficultas est: num Iustitia legalis, quamvis non sit Iustitia particularis, sit nihilhominus perfectæ Iustitiæ species, quæ principaliter, Iustitiæ nomine significatur; an verò deficiat ab illa, sicuti Iustitia domini ad Servum, Patris ad Filium.

68. Con-

68. Conclusio unica sit. Iustitia legalis non est Iustitia propriè dicta; sic Valentia, hic punct. 4. est tamen contra omnes alios quos ego, usquè adhuc viderim.

69. Probo autem sic primò Conclusionem hanc a me firmatam. Ad Iustitiam propriè dictam requiritur altereitas suppositorum iuris, & debiti, itaut in uno ita sit debitum, ut nullo pacto sit in illo ius, in alio verò ita sit ius, ut nullo pacto sit in eo debitum, sed hoc nullo pacto habemus inter Civem, & Rempublicam: ergo, &c. Maior est certa, & quasi axioma in hac materia; Minor ostenditur; quia cum Civis sit pars communitatis, quæ habet ius, ipse enim Civis habet tale ius, & cum tali iure satisfacit sibi ipsi, cum satisfaciat toti comunitati; & similiter, quando omnes Cives satisfaciant simul tali iuri, sibi ipsis prorsus satisfaciant, cum communitas aliud non sit, quàm collectio omnium civium, & similiter, si civis habet debitum, habet etiam ex parte communitas ad seipsam, cum civis sit quid illius; immò si accipiantur omnia debita, omnium singulorum civium, tota communitas habebit debitum ad seipsam habente ius sub diversa formalitate considerata; ergo idem erit habens ius, & habens debitum.

70. Nec valet responsio, quæ communiter circumfertur; videlicet civem non esse partem reipublicæ, & posse ab ea discedere, & fieri civis alterius, vel nullius. Non valet, inquam; Quid enim inde? qnando enim separabitur, erit in potens ad servandam Iustitiam legalem, dum non reponatur, de eo procedit nostrum argumentum.

71. Probo 2. quia inter Civem, & Rempublicam non potest intercedere perfecta æqualitas, cum officia Civis erga Rempublicam sint ex bonis provenientibus a Republica; Civis enim in communitate non potest conferre nisi particularem bonum, a republica verò in ipsum descendunt bona omnium: ergo, inter Civem, & Rempublicam non potest intercedere vera Iustitia.

72. Nec valida erit responsio, si quis dicat; Ad Iustitiam simpliciter non requiri æqualitatem adeò perfectam, & rigoro-

ſam in bonis, quæ communicantur; ſufficit enim quod Civis preſtet totum id, quod Republica ſecundum ſuum ius exigit a ſuo Cive ratione bonorum, quæ ad Civem a Republica deſcendunt; hoc autem poteſt Civis exactè ad æqualitatem ſervare.

73. Contra eſt enim; quia Angelicus Magiſter infra quæſt.80. art. unico affirmat, filij ad patrem non eſſe veram Iuſtitiam, quia filius non poteſt ad æqualitatem patri ſatisfacere; at poteſt filius ad æqualitatem tantum Patri preſtare, quantum ius exigit a filio, honorem, reverentiam; & decorem.

74. Tum quia non poteſt pura creatura ad æqualitatem ſatisfacere pro communi offenſa illata Deo, & poteſt creatura tantum præſtare, quantum eius vires ſuppetunt, & conſequenter quantum ius Dei exigit a pura creatura ad æqualitatem ſatisfacere pro communi offenſa illata Deo.

75. Tum quia per pænitentiam ſatisfacimus Deo pro noſtris actualibus delictis, tantum, quantum etiam cum divina gratia poſſumus, & per conſequens, quantum ius Dei læſum exigit a nobis, videlicet actus a pænitentia elicitos, vel imperatos, ut diffuſius ſuo loco dixi, & tamen pænitentia non eſt vera ſpecies Iuſtitiæ, ut aſſerunt communiter Theologi noſtri temporis; ergo ad Iuſtitiam, rigoroſè acceptam, non ſufficit adæquatio rei ad ius quomodocumque. Idem videri poteſt in virtute Religionis, & regulariter in omni virtute, quæ Iuſtitiæ annectitur ab illa deficiens ex circumſtantia æqualitatis. Iuſtitiæ igitur obiectum per ſe non eſt commenſuratio ad quodcunque ius, ſed ad ius æquale, & commenſuratum ſuo fundamento, non verò ad ius inæquale fundamento prædicto, fundamentum autem iuris Reipublicæ erga Civem ſunt bona a communitate tanquam a toto deſcendentia ad Civem tamquam ad partem; quibus bonis officium quod a Cive Reipublicæ præſtari poteſt, æquale eſſe nequit, & per conſequens neque ius, quod non exigit a Cive tantum, quantum accepit, ſed quantum poteſt.

76. Obijcies 1. ergo commenſuratio rei ad rem, non autem rei ad ius, erit obiectum per ſe volitum a Iuſtitia. Frivola con-

ſequentia, non enim res, ut immediatè rei commenſurata, ſed iuri quod debet eſſe æquale rei, quod eſt fundamentum ipſius, & Iuſtitiæ obiectum.

77. Inſtabis; quia aliquando eadem res eſt fundamentum iuris, ac id quod eſt obiectum virtutis Iuſtitiæ; ergo eadem res commenſuratur ſibi ipſi, ut patet in redditione depoſiti: Item non poterit explicari, num res ſit menſura iuris; an verò ius menſura rei.

78. Reſpondeo, diſtinguo antecedens, ſub eadem formalitate, nego, ſubdiverſa, concedo, diſtinguo item conſequens, mediatè, concedo immediatè, nego, item ſecundam conſequentiam, res enim ſub ea formalitate, ſub qua eſt fundamentum; v. g. in quantum depoſita, in quantum gratis data, in quantum empta, vel primo occupata, eſt menſura iuris; eadem verò ut ſervata illæſa, vel ut reddenda menſuratur iuri, itaut non ſolum redditio, verum etiam ipſa res ſtando ſub redditione, tamquam ſub conditione iuri menſuratur. Quod ſi ius eſt talis conditionis, quamvis ſit menſura rei ſervandæ illeſæ, vel reddendæ; nihilhominus, ius non ſit commenſuratum fundamento ſuo, ſivè hoc ſit eadem res, quæ ſervatur, vel medietas, ſivè eius pars, vel aliqua alia, tunc æqualitas rei reddendæ, ſervandæ, &c. ad tale ius non erit obiectum virtutis Iuſtitiæ perfectè acceptæ.

79. Obijcies 2. Siquis debeat centum, habens tantum quinquaginta, & reddat id quod poteſt, actus illæ voluntatis quinquaginta reddendi erit actus perfectæ Iuſtitiæ commutativæ: ergo ad veram Iuſtitiam ſufficit æqualitas minus rigoroſa, ut ſcilicet tantum reddat, quantum poteſt.

80. Reſpondeo, talem hominem utique facturum actum Iuſtitiæ, eo quia non requiritur æqualitas rei ad rem redditæ ad ius ſecundum ſe acceptum, ſed compenſatis viribus debitoris, præterquamquod dubium eſt, an per accidens tale ius ſit hic, & nunc adverſum; ius tamen hoc neceſſario debet eſſe talis naturæ, ut per ſe ſit æquale ſuo fundamento, quam conditionem

habemus in tali casu, ius enim creditoris certum, vel est actu ad centum, vel si per accidens, est hic, & nunc tantum ad quinquaginta, tamen secundum se, & ex natura sua est ad centum, quod non habemus in obiecto Iustitiæ legalis, aliarumque virtutum annexarum Iustitiæ; & si enim v. g. filius reddat ad æqualitatem iuri paterno, sicuti Discipulus iuri præceptorio, cum tamen hoc ius non sit æquale fundamento secundum suam naturam, ideò æqualitatem, quam præstat Filius Patri, & Discipulus Magistro, non est perfecta Iustitia, &c. econtra verò, si ius Patris, &c. èccontra Filium esset æquale fundamento, secundū suam naturam, ideò æqualitas, quam præstat Filius Patri non est perfectè Iustitiæ; econtra verò si ius Patris contra Filium esset æquale fundamento, etiam si Filius reddat dimidium, non valens per accidens plus efficere, efficiet actum perfectæ Iustitiæ.

81. Tanto magis, quia non requiritur æqualitas rei ad ius nullo habito respectu ad conditiones operantis. Tum etiam quia dimidium est via ad totum, æqualitas autem iuris ex natura rei cum fundamento, est quid necessario requisitum ad perfectam Iustitiam.

82. Obijcies 3. Inter Civem, & Rempublicam potest esse civilis contractus, & per consequens Iustitia commutativa. Item inter Civem, & Rempublicam potest esse distributio præmiorū, pro uniuscuiusque meritis, & laboribus: ergo inter Civem, & Rempublicam potest esse Iustitia distributiva, & consequenter talis altereritas, & æqualitas, quæ sufficit ad perfectam speciem Iustitiæ. Cur igitur non erit altereitas; & æqualitas adhoc, ut Iustitia legalis sit species Iustitiæ propriè dictæ?

83. Respondeo, & primo de Iustitia commutativa, distinguendo antecedens, circa bona communitatis, quæ obijciuntur Iustitiæ legali, nego antecedens, sic enim non solum Iustitia legalis esset vera species Iustitiæ; verum hæc distingueretur a Iustitia particulari: circa bona, in quæ Respublica se habet tamquam persona privata, concedo. Circa enim hæc bona adest & alteritas

alteritas iuris, & debiti, cum ius particulare Reipublicæ non sit ius civis; non enim est ius Reipublicæ, ut totum, nempe ratione bonorum, quæ a communitate, ut a toto, ad Civem descendunt, tamquam ad partem; sed ratione mutui, vel depositi, & per consequens ratione istorum particularium bonorum, quæ potest Civis ad æqualitatem satisfacere; non sic autem est in Iustitia legali, quæ respicit bonum communem, idest omnium Civium, & consequenter ipsius operantis, propter ius quod communitas habet in partes, fundatum in eo quod plurima bona a toto in partes descendunt, quibus nequit pars ad æqualitatem satisfacere. Secundo de Iustitia distributiva; dispar est ratio: nam in premiorum distributione ita ius est in isto Cive, ut non sit in alijs; debitum vero erga ipsum ita est in alijs, ut non sit in ipso, sed si quid est, erit erga alterum Civem; hinc est, quod in electionibns idem non potest sibi ipsi suffragari, & sic adest moralis distinctio in ratione iuris, & debiti, multoties explicata; at non ita in Iustitia legali, quæ est a parte debente ad totum habens ius; pars enim, ut pars, non potest considerari in ordine ad totum, quatenus tale est, nisi includatur in illo, & consequenter, ut habens etiam ius ratione bonorum, quibus numquam redditur æquale, unde nego consequentiam.

84. Obijcies 4. Arist. 5. Ethic. 2. asserit Iustitiam legalem, & particularem esse inter se oppositas, in ratione Iustitiæ, sed Iustitia particularis est Iustitia rigorosa; ergo, &c. idemque videtur deduci ex D. Thoma hic art. 5. ubi ait: *Iustitiam secundum propriam rationem Iustitiæ esse ad alterum, sive ad alterum particulare, sive ad alterum in communi*; Tum quia de Iustitia legali tractat hic, ubi agit de Iustitia distributiva, & commutativa. Tum quia hic art. 7. ad 3. distinguit Iustitiam legalem, a Iustitia economica, quia hæc non est simpliciter Iustitia; ergo putat Iustitiam legalem esse simpliciter Iustitiam.

85. Respondeo, concedendo utramquam consequentiam univocè convenire, item Iustitiam particularem, & maximè commutativam, & distributivam esse Iustitias rigorosas. Nego ta-

men consequentiam, ad univocationem enim in mea sententia non requiritur perfecta convenientia univocatorum in ratione univoca; sed sufficit, quod ab uno univocato participetur propriè, & ab alio per translationem, sive metaphoricè, sicut ratio fontis a fonte, sicut ratio venæ a vena, & rivali, & non rivali a rivulo, & vena. Iustitia autem legalis est verè Iustitia, sicuti fortasse et ā quęlibet alia Iustitię annexa virtus saltem a ratione alteritatis: non autem metaphoricè, quamvis imperfecta, imperfectio autem nihil afficit, ut patet de animalibus imperfectis, quæ sunt verè, & propriè animalia, de quibus aliquid dixi in meo Sertu Phylosophico suo loco.

86. Instabis; ergo omnes partes Iustitiæ sunt partes subiectivæ, & per consequens male distinguntur partes potentiales a partibus subiectivis. Concedo primam consequentiam, & distinguo secundam, malè distinguitur a partibus subiectivis Iustitiæ generalissimæ sumptæ, concedo, a partibus Iustitiæ perfectæ, nego. Hæc quoad authoritatem Aristotelis. Quoad D. Thomam art. 5. cit. dico, quod per ly, *propriè*, non intelligere idem, ac perfectè, sicut ego intelligo in mea conclusione, sed prout opponitur sensui metaphorico, & per translationem. Agit verò hic de Iustitia generali, non quia putat esse Iustitiam perfectam, sicuti commutativam, seù distributivam, sed ad maiorem intelligentiam Iustitiæ perfectæ, prout est Iustitia particularis, *opposita enim iuxta se posita magis elucescunt*; articulo autem septimo noluit distinguere Iustitiam legalem, utpotè Iustitiam perfectam, a domestica, ut imperfectam, cum inter domesticas etiam, ut domesticas, multæ sint perfectæ Iustitiæ, ut suo loco demonstravi: sed distinguit, ut Iustitiam perfectæ civilem, ab imperfecta civili, ratione cuius imperfectionis non adest inter domesticam communitatem; Iustitia lagalis, quia communitas domestica, ut supra dixi, non ita latè patet, sicuti communitas civilis, ut respondeat argumento tertio, quem sibi proposuit, & idem, quod subsectione superiori attuli pro Buridano, contra tertiam conclusionem; in subsect. 3. sequenti examinabitur, an Iustitia legalis

sit

SVBSECTIO VII.

Vtrum Iustitia legalis sit eiusdem speciei in Principe, ac in subdito. Et, an Iustitia praeemineat inter omnes virtutes morales.

87. DVpliciter potest secundum comunem Doctorum sententiam Princeps in communitate considerari; primò, prout est pars illius habens bona sua particularia, vitæ scilicet, & rerum externarum, quæ debet, quando potest, perdere ad conservationem totius communitatis; & sic certum est Iustitiam legalem eiusdem rationis esse in Principe, ac in subditis. Secundò, prout est pars principalis, seu persona publica, & caput comunitatis, quo pacto respicit ius comune, non per seipsum immediatè; sed per subditos, illis imperando leges, & edicta, illosque dirigendo ad conservationem, & augumentum boni totius, & sic dubium est; an Iustitia hæc legalis sit eiusdem rationis in Principe, ac in subditis, qui per seipsos, legibus parendo, tendunt ad conservationem totius. Tum in seipso, ut persona particularis, quamvis non parendo, tamen per seipsum immediatè, secundum propriæ conscientiæ dictamen, tendit ad conservandum communem bonum.

88. Conclusio unica negativa sit pro mea opinione, quæ non est absque fundamento.

89. Probo illam unica ratione fundamentali; quia aliundè diversa est virtus, quæ respicit bonum honestum exercendum ab alio, ab ea, quæ respicit idem bonum exercendum a seipso. Vnde diversa est virtus, qua quis vult se caste vivere, ab ea, qua quis vult alium castitatem servare, ut optimè arguitur Caietanus 1. 2. q. 66. art. 5. contra Scotum in tertium dist. 36. q. 1. §. ad 1. Sed ita se habet Iustitia legalis quæ est in Principe, cum ea, quæ est in subdito; ergo Iustitia legalis quæ est in Principe, non est eiusdem rationis cum illa quæ est in subdito.

90. Hoc

90. Hoc ipsum significare videtur B. Thomas hic art. 6. ubi docet Iustitiam legalem architectoricè esse in Principe, ministrativè verò in subditis, quamvis non sit verè architettoricè, cum non habeat finem proximum altiorem, fine proximo Iustitiæ legalis subditorum, sicuti est sequentis frænefactivè comparatam; cum habeat eundem finem in bonum communem servandum a subditis, erit tamen, ut explicat idem author in litera, quasi architectoriæ, idest habens tamquam finem, a quo alteram personam a proprio supposito distinctam.

91. Hinc patet solutio ad argumentum, quod pro contraria sententia communiter in scholis circumfertur, quod sic procedit. Iustitia legalis, sivè sit in Principe, sivè in subditis habet idem motivum, & obiectum formale: ergo, &c. Negatur enim antecedens, cum in obiecto formali adæquato, includatur tamquam finis a quo persona a qua debet tale ius ad æqualitatem reduci.

92. Circa secundum punctum difficultatis tituli antecedentis, nempè an Iustitiæ virtus præemineat inter omnes virtutes morales, quæstio procedit de perfectione essentiali, nam de perfectione intensiva patet Iustitiam non modo comparatione ad ceteras virtutes posse esse intensiorem, & minus intensam illis, loquendo de acquisitis tamen; Infusæ enim simul augentur, & diminuuntur, verum etiam respectu suipsius, nunc esse magis, nunc verò minus, intensam. Supponendo autem potius hic est iquam probandum cum Sancto Thoma 1. secundæ q. 66. art. 1. næqualem esse perfectionem essentialem, inter differentes specie virtutes contra Stoicos affirmantes, virtutes omnes esse essentialiter æquales, quibus constat eorumdem Stoicorum, altera sententia quæ affirmat omnia peccata esse æqualia.

93. Supponenda item sunt quæ Sanctus Thomas, ubi supra art. 3. docet de ordine dignitatis virtutum intellectualium, & moralium, includendo etiam inter intellectuales prudentiam, circa quod videri potest Aversa 1. secundæ q. 65. sect. 17. item virtutum pure moralium, & Theologalium circa quod legen-

dus

dus est Aversa ubi supra sect. 24. mihi autem hic cum S. Thoma comparanda solum est Iustitiæ virtus cum cæteris purè moralibus.

94. Vnica conclusio affirmativa est D. Thomæ, tum hic tum 1. 2. quæst. 66. art. 1. ubi virtutes Cardinales hoc ordine disponit, ut scilicet primo loco ponat Prudentiam, secundo Iustitiam tertio Fortitudinem, quarto Temperantiam.

95 Probo autem conclusionem, cum eodem D. Thoma hic non modo de Iustitia legali, quam esse præstantiorem cæteris ostendit ex Arist. 5. Ethic. cap. 1. verum etiam duplici ratione de Iustitia particulari; quarum prima sumitur ex subiecto, quia Iustitia est in voluntate, cæteræ autem virtutes in sensitiva appetitiva; voluntas autem est nobilior appetitiva facultate; ergo, &c. quam rationem perperam calumniatur Aversa ubi supra; quia Fortitudo, & Temperantia, etiam sunt in voluntate, nam cardo difficultatis est in eo, quia Iustitia est nobilis essentialiter, ut non reperiatur nisi in appetitu rationali; secus vero Fortitudo, & Temperantia. Lege, oh Lector Carissimè, Gregorium de Valentia hic punt. 5. secunda vero ratio deducitur ex parte obiecti; quia scilicet Iustitia, est circa operationes, quibus homo non modo ordinatur in seipso, verum etiam ad alterum, unde ab Aristotele ubi supra. Iustitia dicitur præclarissima virtutum, quam etiam immerito parvi pendit ibidem Aversa, asserens Charitatem etiam dirigere operationem ad alterum; quæ etiam ex hac parte est virtus purè moralis in ordine ad proximum; nam certum est, dari virtutes Iustitiæ annexæ ipsa perfectiores, ut Religio, Pietas, Charitas, &c. respectu quarum Iustitia particularis dicitur Cardinalis, non quia sit illis præstantior, sed quia in ratione significata per hoc nomen Iustitia, est illis perfectior cum habeat omnes conditiones requisitas ad perfectum significatum, non sic illæ; sed intentum D. Thomæ est comparare Iustitiam, virtuti Temperantiæ, & Fortitudinis, & virtutibus his annexis, ut legenti attentè patet, ex ipsa littera.

96. Obijcies pro Buridano, Fortitudo, & Temperantia versantur circa bonum proprium operantis, Iustitia circa alienum: ergo

ergo istę sunt perfectiores illa, quia magis inclinant homine ad bonum proprium, quam erga alienum, sicuti Charitas incipit a seipso.

97. Respondet Valentia, distinguendo consequens; ergo temperantia, & fortitudo sunt perfectiores Iustitia, secundum quid, idest secundum ordinem, ad se, & ad alterum concedo; simpliciter nego, alijs enim perfectioribus excellit Iustitia reliquisque, præponderat eos in quibus superatur ab alijs. Sed hęc responsio ad minus est contra Angelicum Doctorem, ut patet ex argumento supra allato.

98. Respondeo ego igitur, distinguendo primam partem antecedentis. Temperantia, &c. versatur circa bonum proprium, operantis bonum, inquam, ita excellens sicuti bonum alienum Iustitiæ, nego in generali concedo, econtra, distinguendo secundam partem antecedentis, & nego consequentiam, & ad eius probationem, concedo antecedens, & consequentiam primam, nego deindè secundam, quia sunt nobiliores conditiones hominis, secundum quas est Iustitia, a conditionibus eiusdem, secudum quas sunt aliæ virtutes, eodem pacto transeat aliud antecedens, & nego consequentiam.

99. Quoties enim Sanctus Thomas loquitur de ordine ad alterum incluso in virtute Iustitiæ, non loquitur de ordine ad alterum, quomodocumque, in hoc enim potius Iustitia separatur, ab alijs virtutibus, quam econtra, sed de ordine debitoris ad creditorem, iuxta superius dicta de subiecto Iustitiæ, undè quæ dixi usque modo de Iustitia satis sint; modo de Iniustitia Iustitiæ virtuti oppositæ faciam quæstionem.



QVÆ.

QVÆSTIO III.

De Iniuſtitia.



Ommune Phyloſophorum adagium eſt, quod (oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt) unde præ oculis habens Angelicus Doctor, illud alterum [contrariorum eadem eſt diſciplina, & ratio] poſt explanatam Iuſtitiæ naturam, de Iniuſtitia illi oppoſita per quatuor habet articulos diſputare; in primo quęrit an Iniuſtitia ſit vitium ſpeciale, in ſecundo: an quis pati poſſit iniuſtè valens, in tertio, an quis dicatur iniuſtus, ex eo quod faciat iniuſtum; in quarto articulo quęrit, an quicunque facit Iniuſtitiam peccet mortaliter, de quibus, omnibus ego meo ordine ſolito, reſolutionem faciam.

SECTIO VNICA.

Ea, quæ eſſentialiter ad Iniuſtitiam pertinent examinantur.

1. QVÆ a Thæologis, & præcipuè a D. Thoma hic in hac queſt one, quę in ordine ipſius eſt quinquageſima nona, advertendum eſt, quod hic nomine Iniuſtitiæ ſignificat vitium appoſitum, virtuti Iuſtitiæ etiam legali, de qua affirmat author art. 1. eſſe vitium ſpeciale, cum opponatur ſpecialibus virtutibus, eiuſque actum eſſe de genere ſuo peccatum mortale affirmat artic. 4. Advertit tamen artic. 1. in Iniuſtitiam legalem tunc eſſe ſpeciale vitium quando fit ex contemptu boni communis, alioquin non erit diſtinctum peccatum, ab ijs, quæ committuntur contra virtutes illas, quarum actus ſunt exercendi imperio Iuſtitiæ legalis; ſed erit quædam generalis conditio, omnium peccatorum, ſicuti communis omnium peccatorum conditio eſt eſſe,

contra Deum, & ſeipſum, & contra obedientiam, niſi quando directè fiant propter Dei, ſui ipſius, & ſuperioris præceptorum conſenſum; quando autem erit vitium ſpeciale, erit etiam generale imperativè, quia propter communis boni contemptum impellit in omnia peccata; dicitur itaque Iniuſtitia utraque de genere ſuo peccatum mortale, quia ab utriuſque malitia poteſt homo per accidens ſe excuſare, v. g. ob parvitatem materiæ, vel ob imperfectionem deliberationis. Dicitur denique peccatum Iniuſtitiæ, maxime particularis ſpeciale, non quidem ſpeciei infimæ, ſed ſubalternæ, cum poſſit in varias ſpecies dividi, ſicut ipſa Iuſtitia particularis; cui opponitur titulus ſecundus.

SVBSECTIO VNICA.

An Iniuſtitia ſit vitium ſpeciale, & an, qui Iniuſtitiam facit peccet mortaliter.

2. EX parte enim eius, qui Iniuſtitiam facit affirmat Auctor art. 2, poſſe quempiam iniuſtum facere, abſque eo quod iniuſte faciat; ad primum enim ſufficit, ut quis faciat inęqualitatem alteri; ad ſcundum autem, ut hanc inæqualitatem, ſcienter faciat, quam doctrinam S. Thomas ſumpſit ex Ariſtot. 5. Ethic, cap. 6. & 8. qui addit quod ad hoc, ut aliquis dicatur iniuſtus, non ſufficit, ut iniuſtum iniuſtè operetur, ſed præterea, ut ex habitu iniuſtitiæ operetur, & ex iniuſtitiæ motivo; ſed de hoc ultimo ponit ſolum quæſtionem de nomine, ut advertit Valentia hic punct. 2. quapropter concludit, non ex eo præcisè aliquem dici iniuſtum, quia iniuſtum efficit; ſed requiritur præterea, ut iniuſtè operetur, aliter non efficit actum iniuſtitiæ, a quo iniuſti ſumitur denominatio.

3 In reſponſione vero ad tertium affirmat non poſſe hominem intemperatum facere abſque eo, quod intemperanter operetur fundamento ſumpto ex doctrina artic. 4. quæſtionis ſuperioris, quia ſcilicet obiectum Iuſtitiæ, & Iniuſtitiæ cum ſit ordinatum

ad ius alterius, est quid formaliter constitutivum, & determinatum in re ipsa, & sic est formaliter iustum, & iniustum independenter a deliberatione prudentiæ: secus vero temperatum, & intemperatum, cuius forma, & determinatio a ratione; unde deducit non posse hominem materialiter facere intemperatum formaliter, absque eo quod faciat intemperatè, ut supra dixi; quia scilicet intemperatum determinatur non in re, sed ab intellectu operantis; aliter neque erit temperatum, neque intemperatum formaliter, sed solum materialiter, & physice, posita autem determinatione, & cognitione intellectus, si facit intemperatum, facit intemperatum formaliter, & materialiter, itaut sicut advertit Caietanus hic, ly, *formaliter*, *cadit*, *non modo supra* ly, *temperatum*, sed etiam supra ly, *facere*, quod idem est, ac ly intemperatum intemperanter facere. Verum cum in negotio artic. 4. cit. licet non defecisse videatur S. Thomam dicendum puto, quod quando medium virtutum est medium rei, tunc poterit homo iniustum formaliter sumptum facere, & tamen materialiter facere, itaut ly *materialiter*, supra modum, & ly, *iniustum*, quod idem est, ac iniustum facere, non tamen iniustè; & similiter discurrendum est de temperato, & intemperato, secus vero, quando medium virtutum, est incertum, & consequenter rationis.

4. Ex parte vero eius ad quem est Iniustitia docet Angelicus art. 3. requiritur, ut sit invitus, unde concludit non posse hominem iniustum pati si velit, per voluntatem enim renunciatur iuri, & consequenter actio non erit contra ius, neque iniusta, unde est commune adagium, *volenti, & consentienti nulla fit iniuria*, quod intellige de voluntate, quæ sit huiusmodi conditionis, ut suum ius transferat, ex quo multi particulares casus, in hac materia occurrentes explanari possunt, exemplis.

5. Primo Christi, & Martyrum interfectores, verè Iniustitiam fecisse certum est, non enim voluerunt isti actiones interficientium, sed solum ipsos æquo animo ob amorem Dei libentissimè ferre voluerunt, atque adeo non cesserunt iuri suo.

 6. Se-

6. Secundò, si quis volens seipsum interimat, aut alterum volentem, & petentem interimi, nequaquam interimens peccaret contra Iustitiam particularem; quamvis peccet contra Charitatem, sicut, & contra Iustitiam legalem, tum contra Iustitiam erga Deum, Dominum vitæ, & mortis.

7. Tertiò, quando quis virginem volentem, & planè consentientem violaret non peccaret contra Iustitiam, quamvis Iniustitiam faceret parentibus, si illis inscijs, aut invitis illam violaret, secus vero, si illi etiam violationi assentirent.

8. Quarto, nec adulterium commissurum, qui consentiente marito ad eius coniugem accederet, quamvis committeret distinctum specie peccatum, nempe peccato Iniustitiæ respectu Sacramenti, & gravius a simplici fornicatione in eodem genere intemperantiæ, atque adeo in confessione exprimendum, saltem in sententia probabili, quamvis sit etiam æque probabilis opinio hoc esse peccatum adulterij, quia ius viri erga corpus uxoris non potest transferri, per simplicem illius voluntatis actum.

9. Quinctò, nec qui in aliquo contractu plus iusto accepit ab altero plane volente dare, & minimè decepto, *qui enim ipsius sua dat nulla afficitur iniuria*, ut habet Aristoteles 5. Ethicorum cap. 9. Homerianum illud expendens, in quo describitur glaucus biondi dans, *aurea pro ferreis, ac pro centena, novenis*. Si vero quis tantummodo, exterius, & ad tempus vult dare ad redimendam vexationem, vel suæ consulendum necessitati, non autem interius, tunc iniuriam patietur, & accipiens tenetur ad restitutionem; ut quando quis dat pæcuniam latroni ad fugiendum, vel subditus superiori, ut illum iniustè non privet suo officio, aut non mittat, in aliquem Conventum cum periculo vitæ. Vel pauper dat usurario ad fugiendam eminentem egestatem, de qua re melius Deo dante cum de restitutione.

10. Sexto, quod etiam si pupillus velit, aut aliquis accipit de bonis suis iniuriam patietur, & ille pupillo tenebitur restituere, nam pupilli voluntas est talis conditionis, ut non possit a se bona sua transferre, cum sit impedita lege superioris, quæ

est

est ff. de solut. l. pupillo, & hæc de materia, de vitio Iniustitiæ ad laudem Dei B. M. cum tamen sint alij casus curiosi in hac materia a me, non sunt relinquendi.

11. Septimo, si quis violenter percutiat clericum, aut occidat, ita putans sibi fieri dum est rationis compos, certum est, quod taliter percutiens, aut occidens incurrit pænas illas in Canone, ob violentas manus iniectas in Clericum, &c. quia, & si cessit iuri suo per talem suum liberum consensum positivum, non tamen cessit iuri sui status, cui renuntiare non poterat, quare illa pæna excomunicationis, non posita fuit solum ad favorem illius clerici, sed ad favorem status clericalis, unde sicuti unus civis iuri Reipublicæ cedere non potest, ita ille clericus iuri clericali cedere nequit; cum talis status secundum se consideratus, ita se habeat, sicuti non poterat renunciare suæ exemptioni, v. g. ut non iudicetur a laico, absque eo quod iudex laicus in excomunicatione incurrat, ut constat ex c. contingit 1. de sententia excomunicationis, & cum multis docet Molina tom. 3. tract. 3. disput. 51. num. 3. immò tenent aliqui, quod clericus si seipsum violenter percuteret, non solum committeret letale peccatum, sed innodaretur Canonis excomunicatione; sic firmat Panormitanus, Navarrus, Caietanus, Sylvester. Paludanus, Clarus, & alij quamplurimi gravissimi scriptores.

12. Excipe tamen cum Caietano casum unum, nempe cum monialis potione, aut venæ abscissione abortum in seipsam procurat, quia tunc non incurrit hanc excomunicationem, illa manus iniectio, non inde est peccatum grave, eo quia iniuriosa sit personæ monialis, seu statu religioso, sed ex alio capite, nempe ob damnum particularis personæ.

13. Excipiendus est etiam alius casus, nempe in materia adulterij, nempe quod quamvis maritus accedens ad mulierem alienam, seu coniuge consentiente libere, committat adulterium, & tale peccatum sit distinctum specie a simplici fornicatione, quia supra ipsam reddit specialem malitiam; tamen dictum adulterium differt specie ab adulterio completo, quia caret malitia

illa

illa iniuriæ propriæ coniugis, quam quidem malitiam includit adulterium completum, unde est circumstantia in confessione aperienda, itaut si illa non exprimatur, confessio erit invalida, & reiteranda, in qua re credo, quod multi ex Confessoribus non advertant, nescio qua de causa, scio, non exprimo, quia nolo alias ex tali professione censurare sed dico, quod gravissimam culpam committunt cum propriæ, & aliorum animæ perditione.

14. Dixi, quod cessio iuris ex parte patientis, sive coniugis tollit rationem propriæ iniuriæ, & credo quod rectè dixerim; sed hoc intelligendum est de cessione facta voluntate valida, validè, libera, liberè, omnimoda libertate ad cedendum iura: nam si voluntas sit talis, ut non possit habere talem effectum, adhuc habemus rationem iniuriæ propriæ dictæ, v. g. qui absque consensu tutoris non potest validè donare, nec puella corpus suum alijs tradere dum sub cura genitoris, vel genitorum stat, quia in ea voluntas non est sui iuris, unde si quis accipit ab eis contra voluntatem non validam, invalidè accipit, atque adeo fit eis iniuria accipiendo, &c. & hoc etiam in foro conscientiæ, verum est; quod Magister meus Reverend. Pat. Bonaventura Perremutus mei Ordinis Theologus insignis in hac materia contrarium docet, qui tenet, quod solum pupilla puella faceret iniuriam parentibus non consentientibus (ut ait de strupro) non autem puellę, quia sic ipsa voluit ait ipse nescio tamen, quo fundamento, nam se habet tunc puella sicutipupillus, & non alias, neque corpus eius est sui iuris absolutè.

15. Verum est, quod struprator puellæ non dicitur ille, qui habet rem cum illa ipsa liberè consentiente, quando est domina sui, ut dicam, cum de strupro, tenetur tamen talis deflorans illam in uxore ducere, si promisit, etiam si promissio fuerit ficta, nisi defloratur sit valde nobilior ipsa, & opulentior, ita Sanch. de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 10. & alij communiter, & in tali casu tenetur illam dotare secundum gradum, & statum dictæ puellæ. Vbi notandum est, quod si deflorator promisit fice illam du

cendi

cendi in uxorem, non tenetur illa in uxorem ducere; nam promissio ficta non ponit obligationem, & damnum illatum reparari potest per pæcuniam. Sic Diana in Summa pag. 382. verbo stuprum num. 3. sed melius infra de hac materia, ubi examinabo, in quo vere stuprum consistat, in qua re est maxima controversia inter doctores,

---

QVÆSTIO IIII.

De Iudicio, Accusatore, Teste, Reo, & Advocato.



ON satis fuit B. Thomæ Iustitiæ essentiam, tum per cognitionem obiecti, tum per eius definitionem, & divisionem a Iustitia universali, tum denique per eius oppositum vitium declarasse, ad maiorem claritatem, agit etiam in hac quæstione de aliquo actu, & obiecto Iustitiæ, quæ quidem quæstio apud ipsum Angelicum est 60. nempe de iudicio de quo per sex articulos investigare habet, a nobis autem per unicam sectionem, & subsectiones, quæ de iudicio dicenda sunt, resolventur.

SECTIO VNICA.

Qid veniat nomine Iudicij, & quotuplex, &c.

1. IVdicij autem nomen secundum suam primam impositionem, si Angelico Magistro hic volumus fidem præbere, in suo artic. 1. significat determinationem iusti sua sententiam, nempe iudicis de materia Iustitiæ, qua qui talem potestatem habet, statuit quid iustum, & æquum sit inter partes; inde extenditur idem

no-

nomen ad varia significanda, quædam quidem metaphoricæ, quæ ad institutum non pertinent (legendus est Valentia hic puncto 4.) quædam etiam propriè, ut est quæcunque sententia, & secunda intellectus operatio a quam plurimis vocatur, versans circa bonitatem, aut malitiam alterius personæ, & utroque ex his modis hic sumitur Iudicij nomen, & si S. Thomas directè agat de iudicio, secundum primam acceptionem, indirectè vero de iudicio iuxta secundam significationem, ego autem de iudicio utroque modo sumpto directè discurram.

SVBSECTIO I.

Vtrum Iudicium sit actus Iustitiæ.

2. IVxtà Paulum Lancillottum in principio tertij Libri Instit. Canonicæ §. 2. dividitur Iudicium in Ecclesiasticum, & Sæcularem; Secundi generis sunt illa Iudicia, quæ coram Iudice Laico inter personas sæculares exercentur. Ecclesiastica verò sunt, quæ coram Iudice Ecclesiastico inter personas Ecclesiasticas agitanter. Duo enim sunt quibus principaliter Orbis regitur, Auctoritas sacra Pontificum, & Imperialis, ac Regia potestas; unde sicut Civilium Legum non nisi civilis debet esse executor, ità etiam Ecclesiasticarum Ecclesiasticus Iudex est administrator. At quia de hac re, cum Librum 3. Iur. Canon. explicabo, sermonem sim facturus, hinc est, quod cum Divo Thoma Angelico Magistro aliam viam tenebo.

3. Loquar hic de Iudicio, secundum positam explicationem supra num. 1. cum eadem sit ratio de utroque.

4. Est autem Divi Thomæ Sententia affirmativa, quia cum quævis virtus Iudicium immediatè, & physicè proferens sit in intellectu, nihilominus virtus imperans, vel saltem physicè moraliter eliciens talem actum, est causa existens in voluntate; cum Iudicium, de quo loquor, versetur circa materiam Iustitiæ; sicuti quando Iudicium est circa materiam fortitudinis, & tem-

peran-

perantiæ, actus ille est actus fortitudinis, & temperantiæ; tale Iudicium est fortitudo, & temperantia; ergo Iudicium de quo hic loquitur, est actus Iustitiæ imperatus; vel moraliter elicitus. Sequuntur autem S. Thomam Angelicum ad literam, omnes Scolastici, quos adhuc vidi, maximè ex Dominicana Familia, & Societatis Iesus, primo aspectu intuentes ea, quæ in huius articuli doctrina continentur penetrantes.

5. Duplicem Iudicium possumus in proposita materia distinguere, primum quod determinamus nos prudenter, & secundum Iustitiam effecturos, si iudicamus Petrum non peccasse; Antonium esse probum Religiosum; Petrum esse reum mortis, quod quod ita potest efformari (est iudicandum Petrum esse reum mortis, debeo habere bonam opinionem de Francisco) in quo actu iudicium, vel formaliter, vel dispositivè consistit actus prudentiæ, si sit circa res dubias, & post aliqualem discussionem; & saltem in sententia D. Thomæ erit actus, *sinesis*, quod est iudicium de altero iudicio sequente, vel immediatè post ipsum, vel post actum imperij, in quo formaliter consistit ratio prudentiæ, in via saltem D. Thomæ: secundum autem est quando iudicamus Petrum peccasse, Antonium esse virum probum Petrum esse reum mortis, hoc posito fit.

6. Conclusio 1. secundum iudicium est per se actus imperatus, vel moraliter elicitus a virtute iustitiæ, dixi *per se*, quia nisi fiat ex motivo, & imperio iustitiæ, non erit actus iustitiæ, sed hoc eveniet per accidens.

7. Patet autem, quia est obiectum iustitiæ, sed obiectum virtutis fit ab illa imperativè, vel elicitivè moraliter; ergo tale iudicium, est actus inperativè effectus a iustitia.

8. Conclusio 2. primum iudicium non est per se actus, aut obiectum virtutis institiæ, quamvis possit esse per accidens, sicut & quilibet actus cuiuscumque virtutis. Secunda pars est per se nota, prima vero.

9. Probatur primo, quia actus primi iudicij est actus prudentiæ, quæ est virtus distincta a virtute iustitiæ, de qua hic loqui-

tur, habens peculiarem motivum honestatis obiectivè per se distinctum a motivo iustitiæ, etiam quando versatur circa motivum illius; ergo non est actus per se imperatus a virtute iustitiæ. Consequentia sequitur; antecedens probatur; quia honestas peculiaris obiectiva illius est per se scire, quid sit sentiendum in hoc casu, quod pertinet ad iustitiam, præscindendo ab eo, quod homo velit, deinde rem iudicatam exequi, sicuti de quocunque actu prudentiæ circa materiam virtutis cuiuscunque, etiam si sit actus imperij intellectualis, in quo maximè formaliter consistit perfectissimus prudentiæ actus, ut optimè probat Aversa prima secundæ sect. 3. ergo iudicium illud est actus per se spectans ad prudentiam, habens peculiarem motivum honestatis distinctum a motivo iustitiæ, sive de reliquo, hæc prudentia sit diversa pro diversitate virtutum moralium parum refert.

10. Probatur 2. quia iudicium, quo quis iudicat res, quas ille vendit, aut emit, sit ponderis, aut valoris. Iam est iudicium varsans circa materam iustitiæ per se imperatum, sed est per se elicitum a prudentia; ergo similiter dicendum est de iudicio, quo quis determinat, num benè, aut malè sit de Petro iudicandum; idemque decernendum de iudicijs circa materiam aliarum virtutum ferendis.

11. Quod si adversarij contendant, adhuc iudicium illatum pro argumento pertinere ad particularem respectivè virtutem, circa cuius materiam versatur, infero ego, debuisse Div. Thomam, non modo agere de iudicio hic, non modo particulari, sed publico, tam circa bonitatem, quam pravitaten, condignitatem ad premium, & pœnam alterius personæ; verum etiam de iudicio versante circa quamcumque materiam iustitiæ, & tractando de alijs virtutibus moralibus, debuisset agere de iudicio versante circa materias illorum, immò sequeretur non dari prudentiam distinctam a virtutibus moralibus, sed debere ad illas reduci, ut pars integralis illarum, ut consideranti patebit.

12 Probatur 3. quia actus imperatus a iustitia cum sit iustitię obiectum, debet esse alteri debitum, atqui tale iudicium

non

non est alteri debitum ; ergo maior est certa , minor probatur . Tum quia si quis absque prævio examine , & consequenter absque eo quod faciat primum actum iudicij ; sed ratione evidentis probabilitatis , vel ità voluntate imperante , haberet bonam existimationem de viro probo , nullam illi faceret iniustitiam , sed potius iustitiam ; ergo primum iudicium non est ab homine alteri debitum.

13. Tum quia quis invincibiliter pręvio examine, si determinaret esse malè sentiendum de aliquo , vel esse iudicandum Petrum esse reum mortis , cum tamen non ita res se haberet , suspenderet tamen secundum iudicium , adhuc non solum nullum efficeret actum in iustitiæ, sed neque facit iniustum materialiter . Secus autem res se haberet, si iudicium primum esset debitum vel indebitum ; ergo , &c.

14. Tertia Conclusio D.Thomas quamvis in corpore articuli, affirmando iudicium esse actum imperatum a iustitia , loquatur de secundo iudicio , loquitur tamen de iudicio dicente ius, seu determinante , & deficiente iustum inter partes , seu iustum exequendum a litigantibus civilibus , non autem de iudicio dicente iudicium de iusto , vel dicente iudicium de bonitate , aut pravitate ; tamen in ratione , quam affert pro conclusione , ac etiam in responsione ad primum , indifferenter loquitur de utroque iudicio .

15. Probatur , quia loquitur clarè de iudicio dicente ius , & deinde, ad compræhendendum utrumque iudicium, affert exemplum de iudicio circa Castitatem , & in responsione ad primum circa fortitudinem , in quibus non adest nisi iudicium , qui sit vel formaliter , vel dispositivè actus prudentiæ , quod ipse concedit , quod si est actus prudentiæ obiectivè , vel alterius virtutis circa cuius materia versatur tale iudicium.

16. Nec novum est in Doctrina Thomistica actum prudentiæ esse actum imperatum , vel moraliter elicitum a virtute circa cuius materiam versatur, ut videre est 1.2.q.58.art.4 &5.& q.65, art. 1. quod desumptum est ex Arist. 6.Ethic. cap.13. quibus in

locis probat necessariam connexionem inter prudentiam, & virtutes purè morales, ex eo, quod virtus moralis est habitus electivus earum, quæ sunt iuxtà rectam rationem; hæc autem sunt, quæ prudens prædefinierit, & asseruit idem Aristoteles secundo Ethicorum c. 6. ergo virtus moralis, quæ supponit prudentiam, quæ est recta ratio agibilium conformis appetitui recto; at qui appetitus est rectus per virtutes morales: ergo prudentia esse nequit sine virtutibus moralibus. Item Prudentia benè definit; aliquid conducens ad finem virtutum moralium; ergò supponit voluntatem benè affectam erga talem finem; sed non potest esse benè affecta, nisi per virtutes morales; ergo, &c. hoc ipsum repetit hic Angelicus in corpore, asserens non posse prudentiam aliquid benè definire circa ea, quæ spectant, v. g. ad Castitatem, nisi ad hoc ipsum inclinetur, & imperetur a Castitate existente in voluntate, ut concludat actum Iudicij, non modò, quo iudicamus Petrum esse reum mortis, verum etiam iudicium, quo affirmamus nos ita iudicare debere, quod ut plurimum est actus prudentiæ, & actus Iustitiæ per se imperatus.

17. Argumenta autem hæc Thomistica optime salvantur ab Aversa, ubi supra, virtutem nempe moralem esse electivam earum, quæ apta sunt per prudentiam præfiniri, non autem necesse esse, ut semper per prudentiam præfiniantur. Item prudentiam esse rectam rationem conformem appetitui recto, idest ijs quæ appetitus rectus prosequi debet, etiamsi non præsupponatur actus rectus in appetitu imperante actus prudentiæ; immò nec etiam sit futurus in eodem appetitu actus sequens prudentiæ ductum; Denique quamvis prudentia versans circa media benè definiat aliquid conducens ad finem moralium virtutum, non sequitur inde, supponi voluntatem benè affectamerga finem imperantem prudentiæ actum, nisi fortè per accidens; cum possit quis inquirere, quomodo sit recte operandum circa materiam alicuius virtutis, nullam habens intentionem exercendi illas.

18. Obijcies 1. Non est necesse in hac materia iudicij efformare duplex iudicium, nempè primum, quo affirmemus nos

debere, sivè publicè, sivè privatè taliter de Petro iudicare; alterum verò, quo iudicemus, Petrum esse probum, vel improbum: ergo, &c. Probatur antecedens, quia sæpe oculis videmus Petrum occidere Franciscum, subito efficimus actum iudicij de homicidio aliquo, eo quod determinamus prius nos debere, ita sentire; ergo, &c.

19. Respondeo 1. in tali casu esse iudicium indeliberatum de quo hic loquitur; item esse iudicium de obiecto evidente, hic autem est sermo de iudicio citra bonitatem, aut malitiam alterius, quando indigemus ratione deliberante, & determinante, quid sit iudicandum, cum hoc non sit de se clarum. In casu autem posito, adest medium rei, nec indigemus prudentia, sed sufficit clara facti repræsentatio.

20. Respondeo 2. & si aliquando post discussionem circa quid sit sentiendum, unicum tantum formetur iudicium, videlicet de bonitate, aut malitia alterius, vel de reatu pænæ, nihilhominus tale iudicium foret virtualiter duplex, quatenus enim sequitur ex præmissis, vel probabilibus, vel evidentibus, erit actus prudentiæ nullo pacto imperatus a iustitia. Quatenus verò est quid debitum alteri, erit actus iustitiæ per se imperatus.

21. Quæres, cui nam habitui intellectus correspondet elicitivè actus ille quatenus imperatur a iustitia?

22. Respondeo, nulli practico, speculativo verò, vel scientiæ, vel principiorum, vel erroris, vel opinionis;

23. Obijcies 2. Cum ad quemlibet actum deliberatum intellectus præcedat imperium voluntatis, debet dari in voluntate habitum, ad quem per se spectet talis actus intellectus imperare; at circa actus prudentiæ alicuius habitus voluntatis versari nequit, præter virtutem illam, circa cuius materiam est prudentiæ actus: ergo, &c.

24. Respondeo: sufficere ex parte voluntatis, vel innatum appetitum, quo quisquæ scire desiderat, qui non modò in intellectu, verum etiam in voluntate, est concedendus, vel virtutem studiositatis, ad quam per se pertinet cuiuscunque

actus intellectus, & maximè virtutis imperium, unde nego minorem.

25. Objicies 3. sæpe intellectus in rebus omninò evidentibus sequitur affectum voluntatis, & appetitus, undè dicitur hominem a passione excecari; ergo adhoc ut benè iudicet in materia cuiuscunque virtutis, debet voluntas, & appetitus benè disponi circa illa; Sed non potest disponi, nisi per virtutem moralem versantem circa materiam illam; ergo adhoc ut intellectus habeat formaliter actum prudentiæ circa materiam v.g. iustitiæ, non modo habitus prudentiæ ex parte intellectus, verum etiam habitus iustitiæ respectu voluntatis requiritur.

26. Respondeo 1. Bonam appetitus dispositionem non requiri simpliciter ad habendum actum prudentiæ ex parte intellectus, cum experientia constet, posse nos benè discurrere circa materiam virtutum, circa quam nos sumus malè dispositi; immò quandoque intellectum per vivam, & sedulam cogitationem excitantem voluntatem ad eliciendum actum non solum, sed ad faciliter habendum, non inquantum ad imperium, quod habetur per virtutem studiositatis, sed ad expellenda vitia impedientia facilitatem, quibus expulsis nullum aliud officium per se prebent morales virtutes ad actum prudentiæ, undè concesso antecedente, secundum datam doctrinam, distinguendum est consequens.

27. Ad authoritatem denique Divi Thomæ dicendum est, vel ipsum circa connexionem, & maximè circa mutuam dependentiam prudentiæ, & virtutum moralium defecisse, & consequenter hic circa dependentiam iudicij a iustitia; vel dicendum, ipsum non loqui de necessitate, sed regulariter, & de mutua dependentia, secundum distinctos actus, & partes habituum, nec loqui de dependentia imperativa per se, sed per accidens; quamvis hæc explicatio, quam affert Aversa ubi supra, mihi non arrideat, neque enim S. Thomas amat affirmantes ipsum sentisse, quod de facto numquam somniavit, neque aliquid ipso oportet, *Theodori nihil interest, homine, an*

subli-

sublimè putrescat: ponit hic Angelicus Doctor Articulos diversos, & præcipuè in Articulo secundo querit, utrum licitum sit iudicare? In quinto articulo petit, utrum semper debeat iudex iudicare secundum leges scriptas, in 6. articulo quærit, utrum iudicium per usurpationem reddatur perversum? in quibus Articulis, ut ex littera patet, agitur de iudicio publico, facto ab habente auctoritatem agendi, occasione igitur earum, quæ hic examinantur, ego omnia quoad fieri poterit, attingam, nempè omnia, quæ a S. Thoma discutiuntur, a q. 67. usque ad 71. primò de iustitia, & iniustitia iudicis; Secundò de iustitia, & iniustitia Accusatoris; Tertiò de iustitia, & iniustitia rei; Quartò de iustitia, & iniustitia testium; Quintò denique de iustitia, & iniustitia Advocati, omnes ad iustum, vel iniustum possunt intercedere, de quibus per distinctas subsectiones brevitate, qua potero, discurram, Deo dante, & primò de iudice.

SVBSECTIO II.

Vtrum Iudicium, ad hoc ut sit licitum, debeat semper fieri a Iudice habente potestatem.

28. SVpponendum est pro pace communitatis, quosdam homines esse debere, qui possint alios iudicare, & cogere, ut stent sententiæ ab illis datæ, de qua re aliquid dixi q. 1. siquidem sunt quædam personæ publicæ, & appellantur iudices, ad id destinati, ut secundum leges præscriptum, vel legis consuetudinem populi eius dictat, ex quibus quidem sunt iudices ordinarij, sicut Princeps, cui competit iudicare ex proprio iure & supremus Iudex dicitur, & Officiales subordinati, quibus Principis beneficio potestas competit: quidam vero sunt delegati, quibus Iudex ordinarius vices suas dedit.

29. Vtrum autem isti possint potestatem suam alteri committere, secundum varias variarum regionum leges, & consuetudines

nes providendum erit de modo, quo in hoc meo Ordine Minimorum proceditur, vide, benigne Lector, Laurentium de Peyrinis, varijs in locis, quidam enim sunt arbitri, qui ex partium consensu iudicandi habent potestatem.

30. Cooclusio unica, qui authoritatem non habet, non modo non licitè iudicium ferre valet, verum eius iudicium est irritum, & de genere suo est peccatum mortale. Conclusio quoad primam partem est D. Thomæ tum hic art. 2. tum alibi.

31. Probatur, quia nemo licitè legem ferre potest, nisi in subditos suos, sed iudicium exercere, est ferre legem, observandam ab hoc homine, qui iudicatur: ergo nemo potest iudicium exercere, nisi in suos subditos, quia authoritatem non habet in alium si iudicet: ergo qui authoritatem non habet non potest actum iudicij exercere.

32. Quoad secundam partem, patet, nam iudicare est actus iurisdictionis, ad actum autem iurisdictionis requiritur iurisdictio, quæ est moralis auctoritas; ergo si hæc deficiat, irritum erit iudicium.

33. Quoad tertiam partem illam ostendo, quia secundum communem existimationem, qui carens potestate iudicium exercet, facit gravem iniuriam, tum partibus, erga quas potestatem exercet; tum superiori, cui iurisdictionem usurpat; atqui gravis iniuria de genere suo est culpa letalis; ergo, &c.

34. Obijcies 1. si quis non subditus iurisdictioni v. g. Magni Ducis Ætruriæ patrasset delictum in locis sibi subiectis, punietur licitè, & iuridicè, ab Ipso Magno Ætruriæ Duce, cuius delinquens ille non est subditus. Item si quis iniuriam ferat subdito alterius Principis, si Princeps iniuriantis interpellatus negligit iniuriam vendicare, tunc punitur licite a Principe iniuriante, si est in manibus eius, etiam si non sit suus subditus: ergo ad hoc ut iudicium sit licitum, non est necesse, ut iudicium feratur ab habente authoritatem.

35. Respondeo, negando consequentiam, etenim in ordine ad illud delictum, tunc homo ille delinquens subditur Principi, cuius

cuius non est subditus, in re est tamen moraliter subditus, ratione delicti commissi, & sic licitum, ac iustum erit iudicium contra delinquentem illatum, dummodo fiat ad mensuram delicti ipsa sententia, quæ a iudice proferenda est.

36. Obijcies 2. in Sacris literis legitur, quod Daniel Moyses, & fines licitè iudicium exercuerunt erga suos non subditos, & absque ulla potestate; ergo, &c.

37. Respondeo; nego antecedens, acceperunt autem his interius potestatem a Deo ipso ex particulari Spiritus Sancti instinctu, ut colligitur ex 13. Danielis hijs verbis. *Suscitavit Dominus Spiritum Pueri Iunioris.*

38. Obijcies 3. Summus Pontifex, Leo Quartus, licitè fuit iudicatus a Nuncijs Ludovici Imperatoris, in causa Criminali iniustitiæ factæ, ut refert Div. Thomas q. 67. art. 1. in responsione ad secundum, & tamen Imperator non est Superior Pontificis Romani, nec in illum aliquam auctoritatem habet, immò potiùs Summus Pontifex Romanus auctoritatem habeat in Imperatorem, sicuti in Reges omnes, & Principes in spiritualibus, cum sit omnium caput, & Princeps: ergo, &c. Item Christus quamvis iniustè fuerit iudicatus a Pilato, non tamen iniustè fuit iudicatus ratione usurpatæ iurisdictionis, quamvis Christus non fuerit subditus Pilato: ergo, ad valorem iudicij non requiritur, ut sit ab habente moralem auctoritatem.

39. Respondeo ad utrumquem casum ex allatis in argumento, & primò. Circa illum Christi Domini, dico; quòd tamquam subditus Imperij Romani, a quo Pilatus habebat facultatem iudicandi, iustè ex isto capite iudicatus fuit, quamvis ex alio capite iniustè, nempe, quia Innocens erat, undè ispemet Christus pluries dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo:* quod quidem meum responsum confirmò; quia ipse Christus voluit tributa aliorum hominum, nempè sicut omnes Romani Imperij Subditi, Imperatori solvere, ut & etiam Discipuli similiter ut illa solverent, iussit, ut patet de statere soluto in ore Piscis invencto; Tum quia Pilatus desuper habuit potestatem a Deo,

Teste Christo Domino dicente Pilato: *non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Circa Summum Pontificem, dico, quòd Leo IV. fuit iudicatus ab habentibus auctoritatem: etenim ipsemet Summus Pontifex liberè se supposuit iudicio illorum iudicum: unde ab ipsomet Summo Pontifice auctoritatem sumpserunt. Quod etiam clariùs patet ex Decret. 2. q. 7. Can. *Nos si incompetenter*, potest enim Papa in ijs omnibus, quæ per se facit, alterius iudicio se submittere, non autem in ijs, quæ per seipsum facere non potest: sicuti in sententia excommunicationis; potest autem si infamavit, rapuit, aut occidit, seipsum (quamvis non plenariè) punire, tamen emendativè ad restituendum hæro quod illi tenetur: ergo, potest hanc potestatem alijs commictere. Vtrum autem illi Nuncij Imperatoris habuerint auctoritatem coactivam ergam Summum Pontificem prædictum, & similiter an illius superiores fuerint in illo casu, dico, fuisse secundum quid Superiores Pontificis, non autem simpliciter, & similiter dicendum est de vi coactiva iustitiæ, in quantum non poterat Pontifex transgredi sententiam illorum absque violatione iustitiæ, non autem de vi coactiva potentiæ; quia sicuti Papa potuit dare nuncijs iudicandi potestatem, vel non dare, ita ab illis poterat auferre, & si quandoque hoc nequeat sine peccato; idemque dicendum de potestate arbitri, & de vi coactiva illius: videatur Caietanus, ubi supra.

40. Circa aliam difficultatem, quæ in hac materia fieri potest, idest, quæ, & quanta auctoritas in Iudice requiratur, ad hoc, ut iudicium sit validum? Dico, quod plura, & diversa requiruntur.

41. Probatur. Vt iudicium feratur iustum, & rectum non est necesse, quod ibi sit medium rationis, & medium rei, nec quod tale a iustitia imperetur formaliter, sed sufficit, si materialiter, utpotè, ut fit iuxta illam. Advertendum est tamen, quod non propterea quod Iudex non examinet accuratè casum iudicium est illicitum, & nullum, dummodò ob defectum

com-

commissum, & si non examinatum, alias reus iudicatus reverà sit reus. Verum est quod Iudex sic iudicando, peccat letaliter, quia se exponit periculo iudicandi iniustè.

42. Quod autem Iudex sit Sanctus, non est necessarium; nam adhoc ut iudicium sit iustum, etiam factum ob existente in peccato mortali tenet, dummodò in se iustum sit iudicium; Advertò tamen, quod hoc est verum, quando peccatum non est scandalosum in ordine ad iudicium illud, quod fit, secus autem, quando peccatum est scandalosum in ordine ad iudicium, sivè sententiam, quæ profertur; ratio est; quia quando est scandalosum in ordine ad iudicium, non est iuxta aliquam legem; Secundò, est actio indignationis in ipsum Iudicem, & iudicium, atquè adeò est peccatum contra charitatem; undè concludo, quod in Iudice requiritur scientia, auctoritas, exemplum externum, ad hoc ut iudicium sit licitum, & teneat, dixi exemplum, circa iudicium de quo pronunciatur, de quo in sequenti subsectione, &c. & quia aliquando rei sunt sæculares, aliquando Ecclesiastici, hinc est, quod hic de hac re multa dubia proponam, & resolvam.

43. Quæres 1. an Iudex Laicus possit iudicare contra Clericum, aut alium Ecclesiasticum, qui fuit transgressor legum Civilium Principis, & an istæ leges Ecclesiasticos obligent?

44. Respondeo ad omnes has difficultates, & primo dico, quòd Clerici, & alij Ecclesiastici non tenentur ex vi coactiva legibus Civilibus Principum, cum Princeps Laicus nullam habeat iurisdictionem in illos, sic habetur in C. *decernimus de re iudicata* C. *Sæculares de foro competenti*, & C. *Ecclesia S. Mariæ de constit.* Sed tenentur Ecclesiastici omnes ex vi directiva illos servare, & hoc in conscientia, & præcipuè quando urgent in communem bonum, & minimè repugnant libertati Ecclesiæ, sic firmant *Vasquez* par. 2. disp. 167. cap. 4. *Molina* de iustitia tract. 2. disp. 31. conclus. 6. Cardinalis *Belarminus* lib. 1. de Clericis cap. 28. *Suarius* de legibus lib. 3. cap. 34. n. 6. *Bonaccina* ead. tract. disp. 1. q. 1. punct. 6. n. 29. *Emanuel sa* verbo Lex

n. 11. *Salas* disp. 14. disp. 8. n. 101. & alij communiter scribentes, ratio præcipua est, quia similes leges per Sacros Canones approbantur, ac quasi canonizantur, quoad hunc effectum, prout tradit Suarius loco citato num. 13.

45. Hinc colligo, quod Ecclesiastici non solum tenentur edicto Principis, præscribentis valorem mercium, & taxantis pretia frumenti, sed etiam alijs legibus Civilibus, latis ob commune bonum, ex communi bono, non autem ex vi coactiva, cum nullo modo sint subditi potestati laicali, tàm quoad forum, quàm quoad iudicia, & fori immunitate gaudeant, itaut nullo modo possint puniri à potestate laicali ob trasgressionem legum Civilium, quamvis possint puniri ob huiusmodi trasgressione a potestate Ecclesiastica, respectivè unusquisque a suo immediato superiore ob similes trasgressiones, si ita superior illorum expedire iudicaverit. Sic *Riccius* par. 2. coll. decis. 114. *Bellectus* disquisit. lClericor. par. 1. fol. 386. num. 34 *Vasquez*, *Suarius*, cum *Bonaccina* locis supracitatis, *Ambras* de immunit. cap. 21. n. 24. Bartholomeus a *Sancto Fausto* in specul. Confessor. disp. 6. q. 44. Antoninus *Diana* p. 1. resolut. moral. tract. 2. resolut. 7. & alij.

46. Immo addunt alij, nempe *Carolus* de Grais. eff. & 2. n. 266. & 505. *Molina*, *Bonaccina*, & Bartholomeus a S. *Fausto* loc. cit. cum alij, quod Clerici, &c. expendentes pecuniam ultra taxam, sive valorem a Principe præscriptum, peccant contra iustitiam, & ad restitutionem tenentur, quod firmat Antonius Rogus in vas Ecclesiasticæ disciplinæ sub titulo de dubijs curiosis quæsit. 43. & si pretia a Principe non taxantur, tenentur Clerici vendere, &c. secundum usum fori, quia tunc illud pretium est iustum, sic Bartholom. a Sancto Fausto locis citat. cum alijs non paucis.

47. Quod si Clerici vendant, vel alij Ecclesiastici falsis ponderibus, aut mensuris, sunt puniendi, a suo Iudice Ecclesiastico firmat Paulus *Squilant* de privilegijs Clericorum cap. 7. & cap. 8. & in l. mod. C. de suscept. præpositus, firmat Ignatius *Lopez* de Salzedo ad Diaz. cap. 55. vers. si tamen Clericus. Carolus

rolus de *Graffis* effect. 1. n. 945. quidquid dicat Cassaneus in consuetud. *Burgund.* rubric. 1. §. 5. in glos. n. 49. quem etiam refert Bovadilla 1. tom. liber 2. cap. 18. n. 129. nam Iudex Ecclesiasticus non tenetur punire Clericos pœnis a lege civili, sive a sæculari potestate impositis, ut tradunt *Salas* de legibus disput. 14. sect. 10. *Covarruvias* pract. quæst. 33. n. 7. *Bonacc.* de legib. disput. 10. quæst. 2. puncto 1. §. 1. n. 29. & alij a *Diana* citati par. 2. resol. moral. tract. 2. res. 76. fol. 65.

48. Quæritur 2. An Ecclesiastici, sive Clerici sint, sive regulares solvere teneantur decimas collectas, aut extimum ex bonis sibi obvenientibus, vel ex donatione, sive emptione, vel alio simili titulo, si per prius antequam talia bona obtinerent, patroni dictorum bonorum talia onera solvebunt?

49. Respondeo, quod & si aliqui partem affirmativam defendant, ego tamen dico, quod probabiliter, immò probabilior est pars negativa, nempe quod Ecclesiastici in tali casu non tenentur solvere dicta onera, & est sententia communis, nempe quod dicti Ecclesiastici, & bona gaudent immunitate a talibus oneribus, nec potest Iudex, aut Princeps sæcularis ad hoc cogere Ecclesiasticos, nec non solventes punire, aut condemnare, &c.

50. Probatur, quia eo ipso, quod bona transeunt aliquo iusto titulo ad Ecclesiasticam personam, eximuntur ab omni onere laicali, nam mutata persona, mutatur conditio rei, ita *Bart.* cons. 180. *Iason.* cons. 20 lib. 1. *Abbas* in c. fin. de vita, & hon. cler. Iacobus de *Graffis* pract. casuum reserv. lib. 2. c. 42. num. 44. Carolus de *Graffis* effect. 2. n. 13. & effect. 3. n. 26. *Sylvanus* cons. 40. *Megalius* cons. 61. *Thesaurus* decis. 234. *Caravita* in ritu 229. *Guido* Papa decis. 381. *Malfesius* summa p. 2. tract. 12. c. 22. n. 168 *Suarius* lib. 4 def. c. 24. Paulus *Layman* lib. 4. tract. 9. c. 6. n 9. & firmat *Diana* tract. 2. res. 42. quamvis si bona prædicta, quæ pervenirent in posse Ecclesiasticorum, essent affecta aliquo certo, & invariabili onere censuali, aut emphyteutico, tunc cum eodem transiret in quascunque personas iuxta textum in c. *pastoralis*, & c. *cum non sit* de decimis, &

docent

docent *Bonaccina* de contractibus disput. 2. quæst. 9. punct. 2. n. 4. *Molfesius Layman*, & *Diana* locis cit. *Durandus* in Bulla Cænæ lib. 2. can. 18. quæst. 6. *n.6. Megula* in par. 2. lib. 2. c. 17. quæst. 6. n. 98. *Ricc.* par. 2. decis. 298. & alij.

51. Non est tamen improbabilis sententia contraria, nam bona transeunt cum onere suo lege *alienatio ff. de contr. ab emptore c. pastoralis* &c. *cum non sit* de decimis. Tum etiam quia nemo potest plus iuris in alium transferre, quam ipse habeat: quæ ratio meo videri est potissima, adest etiam l. lex vectigalis ff. de *acquirendis domin.* & c. *nemo pluris iuris* de regul. iuris in 6. tum etiam quia bona descripta in estimo, sive libris decimarum, sunt tacite hypotecata pro decimis, ita *Bursatt.* consil. 16. n. 11. lib. 1. & alij relati per Bun a sole in compendio resol. proposit iur. in verbo fundus habens. Et hæc opinio mihi non displicet; quoniam habet suum fundamentum satis firmum, unde si Iudex sæcularis Ecclesiasticos transgressores in hoc damnaret, iuste condemnaret, quia si non sunt subditi ratione personæ, sunt ratione bonorum, unde sententia non esset lata contra ipsos, ut tales; sed contra bona illorum, & sic iustum iudicium esset.

52 Quæres 3. utrum Iudex sæcularis possit convenire Ecclesiasticos pro statuto iuris congrui, & è contra, nam de iure communi est libera potestas alienandi in extraneum, vel in proximum, aut vicinum, ut habetur in l. dudum c. de com. rei alien.

53. Sunt nonnulli scribentes, qui existimant, Ecclesiasticos activè, & passivè ligari huiusmodi statuto iuris congrui, ita in Neapolitana. consuetudine, ubi, *domus* in verbo Ecclesiæ, & in consuetudine, si Ecclesia, verbo, si quid de clericis. Sic *Capyc.* decis. 98. *Balthas.* Benedell. tract. de iure *prothomisis* ad princip. dictæ constitutionis, *Sancimus* num. 121, Ioann. de *Amic.* cons. 14. n. 6. *Marius* Giurba decis. 25. n. 10. & alij non pauci apud Car. de Grassis effect. 2. num. 383. ratio est, dicunt isti, quia tale statutum non est contra, neque præter dispositionem iuris canonici: sed secundum illa iura c. *constituimus* de integri rest. ubi *Butri*, & *Imola* per Matth. de Afflict. in constit. sancimus in princip. sub vers. item quero n. 10.

54. Alij autem firmant Ecclesiasticos non ligari tali statuto iuris congrui activè, neque passivè, ita *prof.* de Franch. decisis 285. quem etiam refer. *Ricc.* par. 1. coll. decis. 6. *Campanil.* in rit. 22. cur. Archiepiscopal. Neapolit. num. 17. D. Reg. *Top* in dicta constit. sancimus n. 66. & de *Thoro* in compend. decis. Neapolit. verb. Clericus fol. 93. & hac ratione æqualitatis servandæ, nam sicuti laicus contra Clericum non potest hoc uti statuto in foro Ecclesiastico: ita nec Clericus contra laicum, eo uti poterit in foro seculari, ita ait *Prosp.* petra in annot. ad *Capyc.* dicta decis. 98. & per Afflict. loco citat, num. 11. & Ricc. par. 3. decis. 180.

53. Alij tandem docent, Clericos posse uti tali statuto contra laicos, non tamen laicos contra Clericos, seu Ecclesiasticos; ratio est, quia Ecclesiastici possunt uti statutis, & consuetudinibus sæcularium, quatenus concernunt eorum favorem, non autem è contra, prout de iure sancitum est, ut testatur *Bal.* cons. 3. lib. 1. *Crav.* cons. 441. n. 6. lib. 3. *Malf.* in consuetitudine Neapolitana tom. 1. par. 2. quæst. 7. num. 41. & tom. 2. cons. 23. n. 7. & hanc opinionem veriorem esse dicit *Matth.* de Affl. in dicta constitutione sancimus §. 9. num. 17. nec obstaret ratio æqualitatis.

56. Quæres 4. An Clericus, vel alius Ecclesiasticus possit iudicari a Iudice sæculari pro contractibus, & obligationibus factis ab ipso Ecclesiastico, antequam Ecclesiasticus esset?

57. Respondeo, non posse, sed iudicandus est a iudice Ecclesiastico, sic firmat *Lapus* alleg. 118. *Federicus* de sen. cons. 97. de *Franchis* decis. 400. & alij non pauci apud Carol. de *Graffis* effect. 1. n. 1251. qui sic testatur servari in Curia Archiepiscopali Neapolit. fatentur etiam *Genuen.* in prax. cap. 16. num. 2. *Riccius* par. 1. decis. 155.

58. Quæres 5. an Iudex possit, sinè iuxta causa minuere pænam reo, quæ est iuris. Respondeo, nequaquam posse pænam iuris minuere, & si minuat sine iusta causa, ipse Iudex efficitur infamis secundum *Hostiens.* in C. de causis de officio

dele-

delegat adest text. optimus in l. *Servos*, qui in fine C. ad l. *Iuliam* de vi publ. de quo exclamat. *Rom.* in sing. 79. dicens; quo hoc est vilipendium legistarum, quod Hostiens. sciverit ante omnes illum textum, & addit quo Iudex punietur eadem pæna, qua reus puniri deberet, allegat Textum valdè sing. in l. *nulli hæreticorum* C. *ne Sancta Baptism. reiter.* & voluit *Felinus* in C. *qualiter*, *& quando*, extra de accus. num. 44. hoc est de Iudice sæculari erga sæcularem reum. Nam Iudex Ecclesiasticus erga Clericum potest pænam aggravare de iure canonico, habito respectu ad pœnas, quas imponit ius civile pro consimilibus delictis, & criminibus, ut voluit notabiliter *Innoc.* in c. *qualiter*, *& quando*, ele. Grande de causis, & docet communiter in dicto c. *at si Clerici de Iudice*, & in c. *cum ab non homine*, & confirmatur in consil. pet. de *Auchar.* 52. & Pau. in c. 1. *de ijs*, *qui fil. acc.* & *in* cap. 1. *de homicid.* & ita in simili dicit *Bartolus* in l. *famosi* §. *hoc tamen* ff. *ad l. Iuliam* Ma. quod si quis ostendit Principem in casu non expresso in Capitulis legis *Iulia*, ille punitur ad similitudinem Capitulorum expressorum in ipsa l. *Iulia.* & ita inquit Præpositus in cap. in primis §. de persona 2. q. 1.

SVBSECTIO III.

An Iudex debeat ferre iudicium secundum prudentiæ dictamen, & iustitiæ inclinationem?

59. QVatuor ad Iudicij rectitudinem requirit Sanct. Thom. 1. ut fiat a persona habente auctoritatem, ut supra dictum est. Secundò ut procedat secundum regulas prudentiæ; Tertiò ut sit ex inclinatione iustitiæ. Quartò denique ut Iudex non sit publicus peccator; de prima conditione iam in antecedenti subsectione satis dixi, de reliquis in præsenti titulo, quod necessarium est adducam in parte, cætera vero in sequentibus.

60. Conclusio 1. Ad hoc ut iudicium sit licitum, & honestum debet fieri secundum rectæ rationis dictamen, quod est scilicet medium rationis; secus vero sufficit evidentia obiecti.

61. Con-

61. Conclusio quoad secundam partem patet ex supra dictis, quoad primam autem ostenditur; quia, qui in rebus non evidentibus iudicat de altero, non observatis prudentiæ regulis, saltem se exponit pæriculo afficiendi iniuria proximum; sed se exponere periculo, est illicitum, & iuxta gravitatem periculi, saltem de genere suo, est peccatum a mortale: ergo quoad primam partem etiam conclusio patet certum esse.

62. Conclusio 2. Ad hoc ut iudicium sit irritum, & invalidum, non sufficit, ut sit illicitum ex defectu explicatæ conditionis.

63. Patet, quia quamvis iudex peccet, non exactè examinata causam alium damnando, ratione periculi, cui se exponit, tamen si propter causas non examinatas dignus est reus damnationis, nullum iniustum est illatum ipsi reo a iudice, sed admittendum, & validandum est iudicium, saltem in conscientia; quia ad iniustitiam non sufficit iniustè operari; sed requiritur præterea, ut iniustitiam operetur; ergo, &c.

64. Confirmo totum ex his, quæ dicta sunt in calce superioris subsectionis, ubi dixi de Papa validè revocante Iudices, quamvis aliquando iniquè. Beatus autem Thomas loquitur hic de peccaminositate Iudicij, non autem de invaliditate sententiæ illatæ ob rationes iam allatas in præsenti.

65. Tertia Conclusio; Ad hoc ut Iudicium sit actus imperatus a Iustitia, secundum inclinationem Iustitiæ, itaut ab illa imperetur, & sit propter motivum honestatis ipsius, ut patet ex supradictis.

66. Conclusio 4. Ad hoc ut iudicium sit licitum, & validum, non requiritur, ut sit formalitèr actus imperatus a Iustitia? sed sufficit, ut fiat secundum illam adæquationem ad ius alterius, quam iustitia exigit etiam ex alio motivo; alias non obligaret in conscientia; & qui per tale iudicium fortè ab alio aliquid acquisivit, tenetur ad restitutionem, etiam si ille alter non appellaverit: sic firmant *Panormitanus*, *Sylvester*, *Salas*, & *Valentia*, cum alijs non paucis.

 67. Obij.

67. Obijcies 1. contra primam conclusionem ; præceptum prudentiæ non est ita rigorosum, ut obliget ad peccatum mortale, ut est communior Doctorum opinio ; ergo falsa conclusio prima.

68. Respondeo ; non obligare per se, sed per accidens, videlicet ratione pæriculi, cui per ignorantiam se exponit.

69. Obijcies 2. contra secundam conclusionem. Est communis Doctorum opinio, quod iudicium etiam publicum ex mera suspicione procedens, est peccatum mortale : ergo est irritum, & nullum.

70. Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam ; non enim quodcumque peccatum Iudicis reddit irritum quodcumque iudicium, itaut eius conscientia non obliget, ut infra patebit. Sed quomodo poterit sciri num Iudex per ignorantiam causam veram, vel falsam iudicaverit ? per eiusdem causæ subtiliorem, & attentiorem discussionem, sive eiusdem partis, sive alterius hominis pij, & docti.

71. Obijcies 3. contra quartam conclusionem, hic S. Thomas assignat conditiones necessarias, ad hoc ut iudicium sit actus honestus ; ergo exigit ut sit ex motivo formali iustitiæ. Respondeo ; quod Angelicus Magister, loquitur de honestate materiali, non formali.

72. Obijcies 4. contra eamdem conclusionem ; quia iudicium hoc pacto procedere secundum inclinationem iustitiæ idem est, ac esse secundum regulas prudentiæ ; ergo superfluè ponitur tertia conditio.

73. Respondeo ; posse iudicium esse secundum inclinationem iustitiæ in sensu quartæ conclusionis, absque eo quod procedat secundum regulas prudentiæ, ut dixi. Potest item esse contra iustitiam scienter, & voluntariè, aliter dictante prudentia, & sic erit defectu inclinationis iustitiæ nulla deficiente prudentia ; quapropter nego antecedens.

74. Quæres. An, & quæ sanctitas requiratur in Iudice, ad hoc ut iudicium sit licitum ? & quia hæc difficultas non est

parvi

parvi momenti per duas tamen conclusiones dubium resolvam.

75. Conclusio 1. Ad hoc ut iudicium sit licitum, non requiritur, ut Iudex non sit in peccato mortali, etiam occulto. Patet: quia quod Iudex in peccato mortali existens occultè, non prohibet, ut iudicare non possit, sive lege naturali, aut positiva, neque humana, neque divina, neque alia mala circumstantia persuadente tali iudicio in huiusmodi statu; ergo ad hoc ut iudicium sit licitum, non requiritur, ut iudex non sit in peccato mortali, ut sic.

76. Conclusio 2. si peccatum letale Iudicis sit publicum, non autem scandolosum (quod puto hoc secundum impossibilem esse) in ordine ad actum iudicij, non reddit actum iudicij illicitum, præsertim si Iudex illud iudicium cum humilitate proferat; secus vero, si peccatum erit scandolosum in ordine ad iudicium ipsum.

77. Prima pars conclusionis patet, quia tunc iudicium illud non est contra aliquam legem; secunda vero ostenditur, quia est occasio indignationis in ipsum Iudicem, & iudicium, & consequenter est peccatum contra Charitatem.

78. Obijcies 1. Iudicium hominis peccatoris prohibetur ad Romanos 2. *Inexcusabilis esto homo omnis, qui iudicat; in quo enim iudicas alterum teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Matth. 7. *quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Ioannis 8. *qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat:* ergo quod peccator alium peccatorem iudicet illicitum est, cum a lege prohibitum sit.

79. Respondeo: Div. Paulum nolle significare peccatorem alium peccatorem condemnantem damnationis pæna, talem pænam sibi acquirere; sed quod iudicando alterum propter peccatum, se etiam esse dignum illa pæna ostendit, propter similem peccatum; quod habetur Matth. repræhendit Dominus Iesus Christus illos, qui exagerant culpas aliorum, ut ipsi sancti videantur. Ioannis autem 8. Dominus ipse Iesus Christus admonuit Pharisæos misericordiæ erga mulierem, cum etiam ipsi

propter similia demerita misericordia indigerent: alia autem loca, in quibus videntur prohibere iudicia, intelligenda sunt de iudicijs publicis factis a non habentibus authoritatem. Item dicta Sanctorum Patruum, quibus videtur significari, illicitum esse iudicium iudicis peccatoris, de eorum peccata intelligenda sunt, quæ scandalosa sunt in ordine ad iudicium.

80. Obijcies 1. Minister sacer, si existens in peccato mortali, ordinis ministeria peragit, peccat mortaliter; ergo, & Iudex iudicando in peccato mortali, cum iudicium exerceat, ut Dei minister, mortaliter peccabit, &c.

81. Respondeo: transeat antecedens, & nego consequentiam; quia ministeria ordinis ordinata sunt ad sanctificationem, non autem sic exercitium externi iudicij.

82. Obijcies 3. Qui in peccato est, indignus est, ut alios iudicet; ergo peccat iudicando. Distinguo antecedens, est indignus, idest non habet decentiam, & congruitatem, quam posset habere, concedo, indignus est, videlicet non habet dignitatem, & potestatem iudicandi, nego.

83. Obijcies 4. Qui in peccato est, ostendens se esse sanctum, peccat peccato hypocrisiæ, sed talis est Iudex peccator in iudicando delinquente; ergo Iudex iudicando, dum in peccato existit, peccat graviter, nego minorem, intendit enim tantum suo munere fungi, per accidens enim est, si faciat propter hypocrisiam.

84. Obijcies 5. si Iudex existens in peccato scandalizat in ordine ad iudicium, peccaret iudicando, sequeretur, quod sivè iudicet, sivè non peccaret: ergo,&c. Nego sequelam: potest enim, sivè dimittere officium, vel emendare vitam; si verò adesset casus necessitatis, celerrimã requirens expeditionem, propter bonum totius Reipublicæ, posset iudicare, & non peccare: ex duobus enim malis minus est eligendum; non enim inde sequitur, quod secundum se non sit peccatum mortale.

85. Obijcies 6. potest Paterfamilias existens in peccato mortali scandaloso in ordine ad correctionem, corrigere filios suos; & simi-

& similiter amicus amicum monere: ergo similiter, & Iudex iudicare. Nego consequentiam, quia in correctione privata potest facile scandalum vitare, dicendo se nolle alias ijsdem vitijs, quibus ipse est obnoxius, implicari, quod non potest facere Iudex in publico iudicio.

SVBSECTIO IV.

Num Iudex excommunicatus, vel a iure privatus, vel habens tantum titulum coloratum, ante declaratoriam sententiam licitè sententiare valeat?

86. HVcusque explicavimus conditiones requisitas in Iudice ad licitè iudicandum, nunc dubia quædam sunt, quæ sæpe occurrunt in iudicijs ex defectu unius, vel alterius conditionis, in præsenti autem de explicatis in præsenti titulo, in sequentibus autem de alijs.

87. Et primo de Iudice excommunicato, de quo breviter dico, cum Lexio de iustitia, & iure lib. 2. cap. 29. dubitat. 7. si Iudex sit excommunicatus occultus, licitè potest alios iudicare, eiusque acta, & decreta sunt valida; Tum quia non est privatus; neque suspensus ab officio, neque a iure, neque ab homine. Tum etiam cum eius excommunicatio ignoretur, sequerentur multa incommoda in Ecclesia, & Republica, quæ evitari non possent, neque adest aliqua mala circumstantia per se tali iudicio annexa. Si sit publicè excommunicatus, tamen tolleratus, potest alios iudicare validè; quia Concilium Constantiense, ut refert S. Antoninus tit. 25. cap. 2. statuit, præter nominatim excommunicatos, & publicè Clerici percussores, posse fideles cum alijs omnibus, in omnibus rebus tàm divinis, quàm humanis, tàm publicis, quàm privatis communicationem habere; Ex quo statuto infertur, eorum actus esse validos, aliàs esset illuxoria concessio; immò, & obnoxia, cum plurimi per eam deciperentur; ex hoc autem non fit aliquem teneri admit-

tere

tere Iudicem excommunicatum, cum possit contra ipsum tamquam excommunicatum excipere; quamvis Concilium concedat, ut possit cum illo habere communicationem, & ius ab illo petere, non tamen cogit, nisi fortè partes convenirent, sicuti cum sponte alieno Iudice, iure permittente, se subijciunt; hoc tamen intelligendum est post citatum Concilium, antea enim talis Iudicis sententia irrita erat, ut colligitur ex C. ad probandum 1.24. de sententia, & re iudicatoria, ubi iubetur Cassari sententia lata a pluribus iudicibus delegatis, ex eo quod, unus ex illis erat ligatus vinculo excommunicationis publicæ; eadem ratione post Concilium non peccat talis Iudex contra iustitiam iudicium ferendo, quamvis peccet peccato communicationis, nisi ex aliquo capite, a letifera culpa excusetur, peccabat verò peccato uxurpatæ iurisdictionis ante citatum Concilium. Si denique sit evitandus, peccat peccato usurpatæ iurisdictionis, eiusquæ sententiæ, & decreta sunt nulla, & casu, quia per præfatum Concilium similes excommunicati, vel sunt omninò privati, vel saltem suspensi ab executione iurisdictionis; quod non modo intellige, Lector benevole, de Iudicibus Ecclesiasticis, verum etiam de sæcularibus, ut fert communis Doctorum opinió.

88. Si verò Iudex similis excommunicatus vitandus pergat in partibus longinquis, ubi non est notus, neque habitatores illius regionis sciunt illum esse excommunicatum declaratum, vitandum, & à Principe illius status, sivè Regni Iudex constituatur, & sententias ferat, sine dubio tenent eius sententiæ; non eo quia ipse Iudex de se auctoritatem habeat, sed quia Ecclesia dat ipsi aliquam tacitam facultatem, negativè, utpotè supplendo defectum, ne incommoda innumera sequantur in damnum Reipublicæ l. Barbarius, adest in hac re favorabilis, peccaret tamen similis Iudex lethaliter, quia cum alijs communicat, & contra Iustitiam uxurparet sibi iurisdictionem.

89. De Iudice verò privato ipso iure ante sententiam declaratoriam, supposita communi doctorum sententia, ad se in homini-

minibus poteſtatem ferendi leges, obligantes tranſgreſſores ad pænas ipſo facto incurrendas, de qua re legendus eſt Averſa p. 2. q. 96. ſect. 3. & per conſequens quando præceptum ſuperioris promulgatur cum hac clauſula *ipſo facto*, *ipſo iure*, *eo ipſo abſque declaratione alia*, *ante ſententiam latam*, aliiſvè, & ſimilibus clauſulis tenetur ſtatim delinquens pænas impoſitas ſibi in ſeipſo exercere, ſi pæna ſit talis conditionis, ut ſupra ipſum cadere poſſit, ſenſus ſupradictarum particularum enumerantur omnes cenſuræ Eccleſiaſticæ, videlicet, excommunicationis, interdicti, ſuſpenſionis; aliæ etiam inhabilitates, & impedimenta ad ingreſſum Religionis, ad contrahendum matrimonium ad exercitium, & ſuſceptionem ordinum, privatio dignitatum, officiorum, beneficiorum, & incapacitas ad illa obtinenda, vel in illis alterum ad ſuffragandum, ut eſt privatio vocis activæ, & paſſivæ, & ſi non omnes doctores conſentiant, præter cenſuras, & irregularitates, & impedimenta ad efficiendum aliquem contractum, qui ſi validus eſſet, eſſet perpetuus, & nullo pacto a Iudice irritari poſſet; ut eſt ingredi Religionem, & matrimonium contrahere. Addunt aliqui privationem contractam ratione alienationis rerum Eccleſiaſticarum. Alij è contrario opinantur, hanc laſam non obligare ipſo facto, alias verò pænas, etiamſi in lege poſitæ ſint conditiones, ipſo facto, obligantes, non adſtringere delinquentem ſtatim ad illas in ſe exercendas; eo quia, ut ait Sanchez lib. 6. operis moralis cap. 5. num. 65. uſu ipſo, & praxi explicatum eſt, ut cenſuræ, & aliæ dictæ pænæ inhabilitatis ſtatim per ſe obligant, aliæ autem admittunt aliquam moderationem, ex benigna legum interpretatione, itaut particulæ illæ *ipſo facto*, & huiuſmodi erga cenſuras, &c. intelliguntur obligare delinquentem ſtatim poſt patratum delictum, ante quamcumquem declarationem in ſe illam ſubiendo, ſeu ſubeundo. Erga verò alias pænas intelliguntur cauſa mali tanti, quod non debeat expectari alia ſententia condemnatoria ad illam pænam; quamvis debeat expectari ſententia criminis, niſi forte hoc ipſum ſit expreſſum in ipſa lege;

Item

Item quando postea fertur sententia declaratoria criminis, habeat talem effectum, ac si lata esset a die commissi Criminis, & sententia dicitur retro trahi à die illa; undè fit, ut delinquenti iustè auferri possint omnes fructus, & proventus suorum officiorum, quos ex tunc perceperit, & omnia emolumenta, quæ in ferendo suffragium ei advenissent; & similiter, incurrisse in irregularitatem, quando excommunicatus declaratur, si in illo tempore sacramenta ministravit.

90. Dico tamen ego, quod Iudex ipso iure privatus officio, vel suspensus, validè exercet actum iurisdictionis ante sententiam declaratoriam; quia vel non est revera privatus, ut asserit secunda sententia; vel si est privatus, cum sit occultus, eius actus, non sunt invalidi. Tum quia quoad Leges Ecclesiasticas habetur declaratio Martini V. in extravaganti *ad evitandum, &c.* Obligare, inquam, ipsum reum, etiam si non sint a Iudice pronunciatæ sententiæ, non verò nocere quoad alia, quo verò ad alias leges habetur regula desumpta, ex lege Barbarius citata superius ff. de officio prætoris, ubi dicitur, quod actus facti ab inabili tollerato, vel non cognito tenent ob bonum communem, quamvis ipse peccet mortaliter, ut dixi supra, numero antecedenti, quia quantum est de se iurisdictionem non suam sibi usurpat.

91. Ex quibus habetur, quod si quis inhabilis, ut sunt amentes stolidi, &c. ut multi aliquando inveniuntur, qui ita sunt stolidi, ut non recordentur de nomine Religiosorum. aliquem eligentium, aut si esset superior promoveret aliquem ante sententiam Iudicis, si nullus ea electoribus contra illum exciperet ut advertit, & benè Peyrinus de Prælato q. 2. cap. 5. n. 16. electus, & promotus est validè electus, quod idem dicendum est de promoto a superiore putativo, ob rationes allatas.

92. De Iudice verò habente tantum titulum coloratum gaudente, communi errore putato superiore, ut V. G. si fuerit electus in statu excommunicationis etiam occultæ, vel per simoniam etiam nescientibus electoribus, & electo, nisi fortè

ob

ob ſubſpicionem, talis ſimoniæ quis ante electionem ſe oppoſuerit, vel ſimoniacus in eius odium ſimoniam commiſerit, de qua re videri poteſt Peyrinus loco ſupra citato a num. 2. & de ſubdito quæſt. 1. de obedientia c. 31. §. 9. & tom. 3. privileg. regul. c. 9. n. 7. & ſimiliter ſi alicui iuriſdictio occultè ſit ablata, ut ſi ipſo iure beneficium vacat; ſi per iudicium erit illi poteſtas abrogata, ſi delegata poteſtas revocata fuit, ſi delegans mortuus eſt, ſi delegantis iuriſdictio contingat ſuſpendi, aut per ſententiam auferri. Item ſi beneficium habeat ab eo, a quo conferri non poterat; vel ſi iam electus, non autem confirmatus aliquid agat, ut ſunt multi Superiores Conventuales antequam in definitorio Capitulo confirmentur, C. quamvis aliqui noſtri temporis hoc non curent, dum etiam antequam eligantur, officium ſuperioris faciunt minando fratres, &c. qui dicuntur intruſi, non ſic in mea Religione Minimorum ſunt Provinciales, & Generales; qui ſtatim electi poſſunt liberè, licite, & validè ſuum officium exercere iuxta noſtra Statuta a Papa confirmata, etiam ſi non ſint confirmati, unde,

93. Dico ergo, huiuſmodi regulariter, & generatim peccare mortaliter ratione uſurpatæ iuriſdictionis; quia quantum in ipſis eſt, ſibi uſurpant poteſtatem, quam non habent, non tamen illorum ſententias etiam excommunicationis, abſolutionis, delegationis, eſſe irritas dico, & caſſas, & colligitur ex l. Barbarius alibi citata, ubi expreſsè caſus hic ponitur. Cum enim iſte Barbarius eſſet alibi conditione ſervus, Romæ verò ubi liber habebatur a Populo, & Senatu, promotus fuit ad Prætoriatum, nihilominus approbati fuere eius actus, quandiu latuit ob utilitatem earum, qui apud ipſum egerant proprias cauſas, quia dum iuriſdictione utuntur, quam non habent publicam, & Eccleſia ſupplet defectum ob publicam utilitatem, ne ſequamur gravia incommoda inevitabilia, quod non modo eſt intelligendum de uſurpata iuriſdictione ordinaria, verum de delegata, ut ſunt Commiſſarij, Vicarij foranei, Penitentiarij, &c. etiam ſi ſint delegati ad unum caſum particularem, ut colligitur ex cap.

infamis, etiam si Superior conferens officium sciat impedimentum, nisi forte adsit impedimentum naturale, aut divinum, v. g. si sit fæmina, vel non sacerdos, quem defectum Ecclesia supplere non potest. Neque aliquid officit si, litigantes sciant impedimentum; quia sicuti scientia privata, quæ non impedit errorem communem. Denique non solum communem errorem, verum etiam probabilem opinionem, si sit falsa, efficere, ut Ecclesia suppleat defectum iurisdictionis; tenent Erriquez, & Suarius, quos sequitur Lessius loco supra citato, vel etiam si populus dubitaret, an superior sit privatus, vel legitimus; & hæc quoad forum contentiosum, Quid autem de foro sacramentali dicendum sit, cum de pænitentia, dixi in 2. Lib. Instit. Canon.

94. Hinc deduco, quod prohibetur Clerico excommunicato uti iurisdictione spirituali, v. excommunicare, suspendere, leges ferre, in ipsis dispensare, & similia, ut habetur in cap. *audivimus* 24. quæst. 1. ita gloss. in cap. *transmissam* de electione verbo de talibus; *Abbas* in cap. ad probandum n. 14. de sententia, & re iudicata *Io. de Selva* tract. de benef. par. 3. quæst. 4. n. 21. & quoties tales iurisdictionis actus exercet talis Iudex, peccat mortaliter, nisi ex levitate materiæ, ut si daret licentiam in re parvi momenti, & hoc etiam si sit occultus excommunicatus, nisi ipse non se ingeneret, sed requisitus aliquid faceret in aliorum, ut alibi dixi. Quare fit ut superior excommunicatus, sive sit laicus, sive Ecclesiasticus non possit delegare iurisdictionem, prout habetur in cap. 1. de *offic. vicar.* in 6. & ibi gloss. cum delegare sit usus iurisdictionis, qua est privatus, ut clarissimè sumitur ex l. *Imperium* ff. *de iurisdict.* omnium iudicum. Verum unum est, quod si Iudex, tàm Laicus, quàm Ecclesiasticus post delegationem fuerit excommunicatus, manente re integra, suspenditur delegatio, non ita, si res non est integra, ita Sayl. 2. tit. 6. n. 20. nam non censetur efficaciter transisse in ipsum delegatum iurisdictio, & deinde transire non potest, quia est excommunicatus delegans, ut colligitur ex cap. *licet undique*, & ibi gloss. verbo *re integra* & *Abb.* n. 8. de offic. deleg.

95. Ne-

95. Neque valent actus iurisdictionis ab excommunicato facti, ut probatur in dicto cap. *audivimus* 24. quæst. 1. cap. ad probandnm de sent. & re iudic. sic gloss. in dicto cap. 1. de off. vicarij in 6. & Toletus lib. 1. cap. 14. num. 4. intellige tamen, Amice Lector, de excommunicato vitando post estrav.

96. Quare fit, ut nullus ligetur sententia talis Iudicis excommunicati, cum sit ipso iure nulla, nec uti poterit dispensatione, aut licentia ab eodem data, aliàs graviter peccaret peccato communicationis cum excommunicato, immò incurreret censuram, vel pænam ipso iure impositam contra facientes aliquid sine ea licentia, vel dispensatione, cum dispensario, vel licentia a tali excommunicato, pro nulla habeatur. Idemque dicendum est de eo, qui utitur litteris dimissorijs ab excommunicato datas ad ordines suscipiendos, quia idem est ac si sine litteris dimissorijs ordinaretur. Si vero excommunicatus non sit vitandus, licet sit publicus, & dispenset, vel absolvat, &c. poterit acceptari a subditis tamquam validum, & utile; sed si aliquid præcipiat, non tenentur illi obedire, cum non teneantur cum illo communicare, nec si excommunicat, tenet excommunicatio, sic firmat Suarius disput. 14. sect. 1. n. 5. & 15.

97. Nec valet collatio facta a vicario Episcopi alicuius beneficij, vel authoritatis, dum Episcopus est excommunicatus vitandus; ratio est, quia vicarius tunc confert nomine ipsius Episcopi excommunicati, a quo eius iurisdictio pendet, in quo quidem Episcopo iurisdictio non est, & non habens dare non valet C. 2. *de consuetudine* in 6. quando enim in principali est suspensa iurisdictio, æque modo est in vicario illius. Est argum. in c. 1. de offic. vicar. in 6.

98. Excipe tamen, si talis vicarius aliundè iurisdictionem haberet, aut facultatem, ita docet in dicto cap. 1. & Say lib. 2. cap. 5. n. 3. hinc patet, Iudicem Ecclesiasticum, vel sæcularem, quando est excommunicatus, non posse aliquem eligere ad dignitatem, vel beneficia Ecclesiastica. Colligo hoc totum ex c. *unico*, & ibi gloss. verbo maioris, ne sede vacante in 6. & te-

nent Covarruvias c. alm. par. 1. §. 7. n. 8. verſ. 12. Novar. in manual. cap. 27. n. 21. Toletus lib. 1. c. 14. n. 4. cum alijs multis, cum eligere ad iuriſdictionem pertineat, qua tunc eligens caret (quod intelligo de excommunicato vitando, ut ſupra dixi) & contraveniendo mortaliter peccat, & electio eſt nulla ſic Abbas in cap. ad probandum cap. 14. de ſententia, & re iudicata.

99. Vnum dubium curioſum conſidera, & attentè lege, lector cariſſimè, quod inter Religioſos, & in Capitulis Cleri eſt notandum, nempè; an ſit valida electio, ſi inter electores ſit unus excommunicatus vitandus? opiniones diverſæ ſunt in hac quæſtione; nam multi negant valere talem electionem, ſi omnes electores, vel ſaltem maior pars capituli ſciret talem eſſe excommunicatum, atquè adeò illum expellere poſſent, & non expellerent, & hoc in odium illorum, qui ſciebant eſſe excommunicatum, & in capitulo admiſerunt. Alij negant, & deſpiciunt ſententiam, ſed dicunt eſſe veram primam opinionem, quando votum dicti excommunicati concludit, & ſine ipſius voto non fuiſſet electio illa ſecuta; ſecus verò, ſi abſquè voto ipſius adhuc eſſet ſecuta dicta electio in perſona N. &c. quia tunc eſt valida electio, &c. nam votum illius excommunicati, tamquam nullum habetur, & non eſt computandum, quamvis peccet votando ipſe excommunicatus peccato uſurpatæ iuriſdictionis, ſic firmat Ricard. in 4. diſt. 18. art. 17. q. 1. ad 3. Aſtenſ. 2. p. l. 7. tit. 9. q. 6. & Henriquez lib. 13. de excommunic. cap. 7. §. 2. ſed ait Sylveſter quod utraque opinio eſt probabilis, ita lib. 2. cap. 6. n. 5.

100. Sed diſtingnendum eſt in hac materia, iuxta Suarium diſp. 14. ſect. 2. n. 8. hoc modo videlicet ſi electio requirit certum numerum ad eius valorem (ſicuti in mea Religione Minimorum, ubi debent eſſe electores numero ſupra mediatem, ad hoc, ut fiat electio) & talis numerus per excomunicati ſuffragium completur, certè tunc eſt invalida electio, quando requiratur tunc eſſe omnes habiles, cum ergo excomu-

nicatus

nicatus ille inhabilis sit, hinc est, quod electio invalida sit, quia fit à minori parte, non à maiori, ita habetur in cap. ad probandum, de re iudicata, &c.

101. Si verò electio requirit omnium electorum consensum, quoad electionem convenerunt, sivè plures, sivè pauciores sint, tunc si omnes conveniant in uno, non est ulla ratio, cur non sit valida electio, quamvis unus eorum excommunicatus sit, cum electores habiles concordes sint omnes, & si pauci sint, nam si unus ex electoribus abesset electio teneret, sic itaque si unus esset excommunicatus non est cur sit illa electio invalida, nisi aliquo speciali iure irritetur.

102. Concludo tamen, in praxim servandam esse regulam communem; nempè, quod nulla electio est valida, quando est facta cum voluntaria admissione excommunicati ad eligendum, & hoc est in odium excommunicationis; quæ quidem determinatio mea sumitur ex cap. ultimò de procuratore.

103. Hic noto, quod si aliquis Clericus delinqueret in officio laicali, in quo à Principe, sivè Republica est constitutus, non potest puniri à Principe sæculari illum constituente Iudicem, vel ministrum, sed à Iudice Ecclesiastico (undè si mihi hoc esset licitum dicere, numquam vellem istando Principe, &c. Ministros Ecclesiasticos, non quia odium habeam erga ipsos, & inter illos non sint viri probi, sed ut omnia incommoda evitarem) sic Clarus §. fin. q. 36. n. 21. Bellectus disquis Clericor. p. 1. fol. 215. D. Reg. Tap. March. Belmon. de iure Regni lib. 1. tit. 2. in constit. de personis n. 6. Car. de Graffis effect. 1. n. 851. quamvis enim talis Clericus delinquat in Principis, aut Reipublicæ servitio, non amictit fori privilegium, sic Bonac. de legibus disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 24. Megala in 3. p. lib. 3. cap. 11. n. 26. & Diana p. 1. resolut. moralium tract. 2. resol. 18. Hic essent multa dicenda, sed brevitatis causa, relinquo, forsitan inferius aliquas alias proponam difficultates.

104. De

104. De Iudice Tyramno modo loquar. Tyramnus enim Iudex est in triplici genere Tyramnorum. De istis loquitur clarè Peyrinus meæ Religionis vir benemeritus, de *Prælato* q.1.cap.1. n.28. prima enim species Tyramnorum est illorum, qui usurpant sibi potestatem in Rempublicam, & cum homines ordinarij sint, ut superiores legiptimi faciunt, Rempublicam invadant, & oppressum tenent proprium Principem, de sede illum deiciendo, & alijs quasi deijciendo; ut notat auctor citatus; alia species Tyramnorum est eorum, qui Tyramni dicuntur usu regiminis quippe etiam si sint legiptimi superiores, tamen Tyramnicè gubernant, volentes esse proprij Domini, ac proprietarij rerum, vitæque omnium subditorum, &c. itaut subditi penes ipsos sint quasi, immò merè, mancipij, ac captivi, eo ferè modo, quo gubernant Turcæ, & Moravitæ. Tertia species Tyramnorum est illorum, qui quamvis intrusi sint in Gubernio, cum violentia, tamquam Patres erga proprios filios, se gerunt, & isti, possunt tollerari, &c.

Primi generis Tyramnus, sicut & secundi, non est tollerandus, & peccant exercendo officium Iudicis, & teneretur ad restitutionem omnium, &c. Et si occidantur, non fit iniustum, &c. Tertij generis Tyramnus peccat contra usurpatam iurisdictionem utique, sed non tenetur ad damna, quia damnum non infert; unde dicitur Tyramnus secundum quid, & non potest, nec debet occidi: sententiæ tamen tàm unius, quàm alterius tenent ob communem utilitatem, aliter omnia essent plena latrocinijs, & homicidijs, tanto magis, quod durante illo statu à Republica tacitè datur eis auctoritas iudicandi, & ut debito modo officium Iudicis exerceat, quamvis ille sibi violenter usurpaverit; Vndè sui inferiores non peccabunt peccato usurpatæ iurisdictionis, dummodo Tyramnidem eiusdem Tyramni non substentent, quia recipiunt validè hanc publicam auctoritatem à Republica consentiente. Advertunt tamen doctores, quod Tyramnus aliquem damnando ad mortem secundum leges non solum non peccat peccato usurpatæ iurisdictions, verum nec

peccato homicidij, quia ille non auctoritate propria, sed publica condemnat, nempè, Republica consentiente; nisi fortè intenderet, uti potestate illa, quam sibi violenter usurpavit, quia tunc essemus, in alio casu, & esset auctoritate propria, & privata, non publica, seu Reipublicæ concessione, aut permissione, & sic homicida esset.

SVBSECTIO V.

An Iudex, secundum allegata, & probata, possit licitè condemnare, quem scientia privata innocentem agnovit?

105. DIfficultas præsens, quæ est pulcherrima, militat quando Iudex, nec impediendo accusatorem, nec per intervalla Testes examinando, nec non dando captura, vel iam captus est, non aperiat carceres, aut non amictat officium Iudicis, & faciat officium Testis, ad favorem innocentis, vel loquatur cum accusatore, & Testibus hortando illos, ut desistant ab accusatione, & testimonio; vel demum relinquere Iudicium, aut causam ad Principem remittere, si alia via non potest carceratum Innocentem ab eo flagello, sivè periculo liberare. An verò iuxta alligata in processu, possit dictum Innocentem carceratum; ad mortem condemnare, quando Iudex videt, quod omnes supradictas diligentias facere debeat, & non possit eum liberare a iudicio, 5. pro responsione dubij sit.

106. Conclusio 1. In causis criminalibus maioribus, ut est pæna mortis, & membrorum mutilationis, Iudex nullo modo potest innocentem condemnare; sed potius officium dimittere, & quodcumque gravissimum damnum pati, etiam si hoc modo, nihil esset reo supposito proficuus futurus. Est contra Divum Thomam hic quæst. 67. art. 2. eiusque discipulos ibidem; est tamen ad mentem Lirani in cap. 23. exodi Adriani quodlibeto 6. art. 37. Angeli verbo iudicari num. 7. Petri Novarri cap. 3. n. 16.

n. 16. Ostiensis, Calderini, & Panormitani in c. pastoral. 28. de officio delegati, & aliorum quam plurimorum doctorum de hac materia discurrentium exactè, & cum maximo fundamento.

107. Probo conclusionem sic; quia directe humana authoritate occidere innocentem est intrinsecè malum, sicut est intrinsecè malum cognoscere non suam; ergo sicut quis non potest cognoscere non suam, nec illi reddere debitum, etiamsi millies millibus testibus probaverit esse suam uxorem, ita nec potest Iudex innocentem morti damnare, etiamsi per centum testes probatum in processu maneat, quod reus ille sit culpabilis, & per consequens pæna. Etenim tales probationes nihil detrahunt illius innocentiæ, nec faciunt illum pæna dignum; ergo a Iudice puniri non potest. Quod autem sit intrinsecè malum, patet; quia nullus habet authoritatem tollendi vitam innocenti, quando solus Deus sit Dominus vitæ hominis, dummodo contra leges non faciat; quia si contra legem facit, Deus dat homini facultatem puniendi homines malos, &c. & ita innocentem occidere, est malum intrinsecè, ut etiam propter bonum reipublicæ directè innocentem occidere non liceat, etiam si reipublicæ immineat periculum maximum, ut alibi dixi; ergo multo minus licebit ob hoc periculo remoto.

108. Tum quia, si talis condemnatio licita esset, posset per multorum relatorum conspirationem, tota una Religio v. g. accusari, & condemnari de proditione Principi; vel de Idolatria, &c. quod si Iudex, aliàs Religiosos illos Innocentes cognoscat, quis dicet, quod possit aut debeat illos morti condemnare? Tanto magis, quòd inquit Sacra littera *Innocentem, & iustum non occides*; ergo,&c. Quod etiam verum est, quàndo si Iudex eum non condemnat, se exponit vitæ periculo, quia occidere innocentem est intrinsecè malum.

109. Item dico de ministro iustitiæ, certè scientis mortis sententiam, seu membris mutilationem esse iniquam, sicuti miles sciens certè bellum esse iniustum, & iniquum, non posse se ascribere, & militare; ergo, &c. etiamsi urgeat Regis præ-

ceptum sub pœna capitis (quamvis Caietanus, & Covarruvias dicant hoc non esse verum) nam potiùs est mori, quàm fœdari.

110. Conclusio 2. In causis tamen civilibus, & criminalibus minoribus, ubi agitur de pœna pæcuniaria, exilij, vel privationis officij, aut beneficij, si Iudex non potest modis supradictis accusatum iuvare; potest tuta conscientia, iuxta allegata, & probata sententiam ferre: est sententia communis omnium Doctorum, Lyrano excepto, Angelo, & Panormitano, cum aliquibus alijs canonistis.

111. Probo conclusionem a priori, quia Respublica habet authoritatem disponendi de bonis suorum civium, prout bono publico expediens erit: hic autem adest iusta causa, ne cum populi scandalo iudiciorum ordo pervertatur; ergo, &c. unde de bonis pæcuniarijs, & similibus reus ita per sententiam privatur, ut eorum dominium amittat, scilicet, tantum quoad possessionem; quia sententia solum innititur testimonijs, unde potest occultè recuperare bona sua ab eo, cui sunt adiudicata; quia alia ratio non suppetit, ob communem bonum nisi tantum privatio possessionis, de alijs vero bonis, ut sunt beneficia, & officia, cum hic sit sufficiens ratio, etiam ad expoliationem dominij, ne videlicet dominia, & iurisdictiones sint incerta, nec his cui iniustè sublata sunt, potest illa recuperare, sed a superiore, qui cum de innocentia publicè constiterit, poterit aliter compensare de alio beneficio, aut officio, & hæc sunt bona publica, de quibus communitas potest liberius dispensare, quando quis falsis testibus in ipsa sententia illis privatur tum possessionis, tum dominij, & in hac materia, similes occurrentes casus declarari possunt.

112. Obijcies 1. habetur in Deuteronom. cap. 17. *in ore duorum, vel trium stat omne verbum*; ergo, &c. qui interficeretur per dictum testium numerum iustè inteficeretur, ex parte Iudicis. Respondeo, quod sensus illius scripturæ Deuteronomij, sicut, & Matth. 18. est, quod ad convincendum, condemnandum non sufficit testis unus, sed requiruntur duo, vel tres, non

tamen semper, sed quando adsunt, & sunt omni exceptione maiores posse occidi quempiam.

113. Obijcies 2. Innocentius III. cap. pastoralis §. quia vero, ait, *attendentes, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem, &c.* Respondeo, & dico, quod non ordinarius teneatur assequi delegato, & si sciat sententiam illam iniustam esse, exequi nihilominus eamdem, sed Pontifex loquitur de causis Ecclesiasticis, in quibus non agitur de supplicio capitis, aut membrorum mutilatione, vel de puro executore nullam habentem causæ cognitionem; cum enim videat damnatum non appellare, putat, vel illum cedere iuri suo, vel vim non agnoscere, non autem si certo sciat sententiam non esse iustam, vel esse nullam ex aliquo capite.

114. Obijcies 3. Div. Ambrosius serm. 2. in Psalm. 118. ait: bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges, & iura pronunciet, statutis iuris ottemperet, non indulget propriæ voluntati, nihil peccatum, & relictum, tum domo deserat, sed sicut audit iudicat; ergo, &c.

115. Loquitur autem de officio Iudicis, prout regulariter exerceri debet, positis circumstantijs, &c. maiorem declarationem benigne Lector, habes apud Lexium lib. 2. cap. 9. dub. 10.

116. Obijcies 4. facilè possunt Iudices pæcunia, vel alijs muneribus corrnmpi, & ita cooperire peccata rei, & illum innocentem declarare, vel saltem illum non punire; ergo, &c. Nego antecedens, rarissimè enim, vel numquam accidit, ut velit quis, tàm magnam habere diserimentum, quod si aliquando accideret, non esset tanti momenti, ut ad illud vitandum non esset remedium, ut in cap. plectendi, minus enim malum est liberare nocentem, quam innocentem condemnare.

117. Obijcies 5. sequeretur maximum scandalum populi, si Iudex liberaret, vel saltem non condemnaret, quem scientia publica, & secundum allegata, & probata apud omnes est sons; ergo, &c. Respondeo scandalum facile caveri posse, si reus detineatur in carcere, vel mittatur ad superiorem, vel si Iudex

officium

officium dimittat, si sit inferior; vel apud populum illius innocentiam testetur, si sit supremus.

118 Obijcies 6. Iudex non operatur, ut persona privata, sed ut persona publica; ergo sequi debet scientiam publicam, non privatam; ergo secundum allegata, & probata sententiare debet, etiam si aliàs privatè sciat reum suppositum esse innocentem. Respondeo, distingno consequens, quando scientia publica non vertit contra finem legis, & contra eius naturæ condignitatem, concedo, econtra verò, nego.

119. Quæres; Num Iudex possit ex privata auctoritate, sive scientia sua privata reum per sententiam publicam liberare, vel condemnare?

120. Respondeo. Non posse Iudicem inferiorem, qui in Legibus ad ordinem Iuris pertinentibus, non modo principalibus, verum etiam nec in minoribus dispensare. Supremus autem Princeps (si tamen crimen sit atrox, & valde expediat auctorem puniri, nec ab infamia, vel aliud grave, malum adiuncti, evenire possit) non potest reum sine peccato liberare: secus si scientia privata sciret reum suppositum, esse innocentem, potest; quia tunc potest eum liberare in conscientia: sed ego iudico, quod tunc debeat commictere causam alicui probo, ut ipse procedere, ut testis, quia etiamsi sit singularis, puto quod satis esset, iurando se scire illum esse innocentem, posset Iudex delegatus illum tuta conscientia liberare, & hoc ne detur ansa Iudicibus infertoribns iudicandi Tyrannicè, & dò vulgarem exemplum, v. g. accusatus est Franciscus, quod hora 20. occidit Petrum pugjone die 20. Septembris, in qua hora, & die Franciscus erat in presentia Magni Ducis discurrendo cum illo de negocijs, &c. certum est quod ipse certè scit Franciscum de illo homicidio esse innocentem, & remictit causam, & quærelam Iudici delegato; ut Franciscum in tali causa iudicet, & vult vocari, ut testis, & testificat innocentiam Francisci, certè Principi non potest dari ecceptio, quia est ad favorem rei, & non quærit consequenter proprium interesse, neque fieri, sed supponitur testis omni ex-

ceptione maior (etiam si iste quando sit singularis solum ad torturam inducit, qnoniam solum semiplenam probationem facit, via ordinaria procedendo) sic in l. *admonendi, ff. de iure iurando*. *Bartol.* ibid. num. 36. & communiter DD. *Glos.* in l. *bonæ fidei*, C. *de rebus credit*, & ibidem *Baldus*, cum aliis Doctoribus, *Glos.* in l. 3. C. ad l. *Iuliam maiest.* & ibi communiter Doctores, quas refert, & sequitur *Anton Gomez* tom. 3. variar. resolut. cap. 12. num. 2. circa finem, *Zabar.* consil. 9. num. 4. *Ias.* in 2. lect. num. 92. & alij. Cum ergo Princeps sit, & possit ex se, ut Iudex supremus iudicare, sententiare, condemnare, aut liberare, & non vult, supponitur dum non vult iudicare, sed causam delegare, non solum ut testis singularis omni ecceptione maior materialiter, sed duplex, idest quod sint duo testes formaliter omni exceptione maiores, deduco ex *Rom.* consil. 451. num. 4. *Gomez*, ubi supra cap. 13. num. 7. *Carrer.* in pract. criminal. num. 110. vers. 1. maius indicium *Clarus* loco citat. & q. 22. versicul unum tamen *Farinac.* q. 37. n. 54, 58. ratio est, quia ratione dignitatis Princeps absolutus, non est in tali casu una persona; & si materialiter, sed formaliter multiplex; atque adeo officium facit plurium, &c.

SVBSECTIO VI.

De Iustitia Iudicis in iuris forma servanda.

121. IVris forma in duobus principaliter consistit. Primò in modo procedendi, 2. in modo ferendi sententiam. Hactenus egi de Iustitia Iudicis, quæ fit indifferenter; tum informatione processus; tum in proferenda sententia. In posterum autem specialiter per varias dubitationes, in hac subsectione, de forma servanda in iudicio.

122. Notandum 1. tres esse modos iuridicè procedendi a Iudice, nempè via accusationis; Denunciationis, & Inquisitionis. Primus modus est, quando adversus Reum comparet aliquis

actor spondens se obiecta probaturum. Secundus modus est, quando quis defert Crimen subditi ad Superiorem, nolens tamen onus probandi suscipere, & hic modus duplex est, Evangelicus unus, & fit Superiori tamquam patri, seu Ministro Principis, tendens ad puram proximi emendationem; vel tamquam, Iudici, tendens ad delinquentis punitionem; aut mali impeditionem. Tertius modus est, quando Iudex ratione officij procedit, ad reformandum locum, seu illum purgandum, in quo Iudex est, de qua re potest videri Bonaccina de legibus disput. 12. q. 2. punct. 5. & Lexius lib. 2. cap. 29. dubit. 12. habetur etiam alius modus, nempè per exceptionem, ut colligitur ex C. *Super his iunctis*, C. *Inquisitionis*, & C. *qualiter*, *& quando Ele. 2. de accusat; Glosa* in C. *qualiter* citat, nam de modo in notorijs procedendi, quem pro quinto ponit specul. in princ. 3. part. superfluum duxi per tractare, cum in notorijs, & repertis in fragranti crimine, meo iudicio, non sit formandus processus, denunciatio namque non est distincta via procedendi, sed quoddam prævium ad procedendum iuridicè ex officio, sicuti est infamia personæ, vel facti clamorosa insinuatio, &c.

123. Notandum 2. specialis, & mixtæ. Primus est quando de persona in communi quæritur crimen in communi, v.g. an quis in civitate leges non observet; num quis comiserit aliquod delictum, & hoc modo, uti solent Prælati tàm Regulares, quàm Sæculares visitando suas diœceses, &c. Secundus modus est, quando de persona particulari crimen quæritur speciale, v. g. num Petrus occiderit Franciscum. Tertius modus est quando de speciali persona quæritur crimen generale, vel de persona in communi crimen quæritur speciale, v. g. num Ioannes leges servet, quis nam occiderit Petrum, &c.

124. Notandum tertio, quænam fit differentia inter infamiam clamorosam, insinuationem, inditia, semiplenam, & plenam probationem. Infamia est frequens vox bonorum virorum, quæ talem hominem de tali crimine suspectum reddit; non enim malorum, seu discolorum non efficit legitimam infamiam, ma-

ximè

ximè contra hominem bonæ frugis. Sotus, & Cravetta dicunt quod ad legitimam infamiam requiruntur decem homines, Petrus Navarrus ait requiri maiorem partem populi, vel vicinorum. Alij verò quos sequitur Bonaccina, ubi supra, cum Farinaccio de Iudicijs, & tortura q.47, num, 302. relinquunt arbitrio prudentis viri; Tum quia nihil de tali numero expressum est in Iure; Tum quia decem in magnis populis parvi videntur; plures verò in exiguis. Clamorosa insinuatio est vox totius populi, vel publicus rumor inter multos extrà iudicium; quapropter multi infamiam a clamorosa insinuatione non distinguunt, nisi fortè secundum magis, & minus; Inditia sunt signa, & circumstantiæ, ex quibus prudenter, & rationabiiter iudicamus qui nam sit auctor criminis, quæ quidem inditia sunt in quadruplici differentia; imprima sunt levia probabilia, quæ videlicet probabilem suspicionem de criminis patratione gignunt, ut sunt assertio dubia vulnerati morientis; aliqualis inimicitia præcedens, assertio socij suspecti, vel aliàs infamias, in secunda specie sunt levia probabilia, quæ generant præsumptionem, sive suspicionem non valde probabilem, ut est asserto verum dictum vulnerati morientis, gravis inimicitia præcedens, minæ assertio socijs, amici testimonium, feminę, vel minoris, & maximè si plura ex ijs sint invicem coniuncta. In tertia specie sunt gravia, quæ legitima, & inditia iuris vocantur, magnamque præsumptionem de facinoroso gignunt; ut est gravis inimicitia præcedens, non sola, sed aliis adiuncta adminiculis; ut si antea minatus est, & minas suas exequi solet, si paravit arma, siccisus est circa illum locum eo tempore, quo homicidium fuit commissum, inconstantia, & titubatio dum examinatur, non sola, sed cum alijs adiuncta. In quarta denique specie inditiorum sunt indicia; quæ dicuntur gravissima, & indubitata ut sunt illa, quæ violentæ suspiciones, & plusquam semiplenas probationes faciunt, & illa dicuntur, quæ ex maximis, & Iudicis animum convincentibus coniecturis, nascuntur, v.g. si quis de aliqua domo unum tantum ostium habente cum eva-

eva-

evaginato ense ac sanguinolento, facieque turbata visus exire fuerit, & in illa domo homo occisus reperiatur, illum tale homicidium commisisse violentum hoc erit indicium, si quis cum alterius uxore in lecto iacere inventus fuerit, illum adulterium cum ea perpetrasse violentum quoque indicium profecto erit; si commissum fuerit aliquod furtum magnum in aliqua domo, in qua conversabat aliqua vilis persona, & ad parvum tempus ipsa facta est dives, si furtum ignorabatur, est hoc inditium violentum, & vehementissimum, quæ quidem indicia, non solum non sunt sufficientia ad condemnandum, sed neque ad tonturandum, quia non faciunt semiplenam probationem. Semiplena enim probatio, est dictum unius testis oculati fide digni iuridicè cum iuramento deponentis, & ut sit omni exceptione maior, maxime si talis testificatio sit adiuncta aliquibus inditijs. Plena autem probatio est dictum duorum, vel trium testium omni exceptiones maiorum, hoc totum Colligo ex Doctoribus, & præcipuè ex Iulio Claro lib. 5. §. fin. q. 20. & ex Prosp. Farinaccio q. 36. & seqq.

125. Advertendum est tamen, quòd nemo ex præsumptionibus, ac indicijs vehementibus in Criminalibus, pæna saltem ordinaria, condemnari debet. Præsumptio enim, licèt ad absolvendum sufficiat; ad condemnandum tamen minimè satis est l. *merito* ff. pro socio, nisi testis unus ei saltem adiungatur. Probat Cæsar de Gras. decis. 174. n. 12. sed benè alia pæna Iudicis arbitrio puniri potest, ut optimè docet Boerius in decis. 174. n. 6. quem refert ac sequitur Pegna comento 80. in 2. p. direct. inquisit. vers. sed hanc sententiam, sic illum citat Gislerius de indicijs cap. 18. num. 10. pag. mihi 124.

126. Vbi nota, benigne Lector, quod Iudex Ecclesiasticus, sive Clericus sit, sive regularis, contra regularem subditum, vel Clericum huiusmodi inditijs inditiatum poterit condemnari, maximè quia inter regulares non est in usu tortura, qua regulariter inditia purgantur. Sic firmat Antonius Gomez tom. 3. var. resol. cap. 13. quo casu tamen cautè procedendum est, &

videat

videat Iudex, quod indicia luce meridiana clariora sint, quia aliquando non sunt ita.

127. Datur casus aliquando, quod Clericus, vel Religiosus a satellitibus est inventus in aliqua domo cum aliqua muliere honesta, & non malæ famæ, sed bonæ, ipsi satellites illum, & illam ligant, & petunt quantitatem pecuniæ, aut quod ipsæ Clericus, aut Religiosus faciat fidem, quomodo ipsi invenerunt eum in illa domo cum dicta muliere, ad finem peccandi cum ea, etiam si hoc falsum sit, & ille Religosus, aut Clericus ne publicè ducatur ligatus, facit coactè quantum ipsi satellilites iniustè petunt; in tali casu talis præsumptio contra Clericum, &c. non est clara, nec sufficiens ad illum condemnandum, quando alias non esset solitus in hoc talis Clericus, aut Religiosus delinquere. quia tunc condemnari potest, & præcipuè, si mulier sit malæ famæ, & non solum pœna extraordinaria, {verùm etiam ordinaria. Ita deduco ex *Bortol.* in l. *fur est manifestus* n. 1. ff. de *furtis*, tenet, Ludovicus Bologna l. *sciant cuncti* C. *de probationibus*. *Farinacc.* quæst. 52. n. 54. unde reo in tali casu aliqua excusatio admittenda est, nisi delictum esset atrocissimum, ut est assassina, simonia, crimen lesæ maiestatis, violatio Religionis, &c. hæc namque mitior, & securior sententia est, quam probat Clarus dict. q. 20. vers. scias tamen circa finem, & sequent. & q. 21. versic. penultimo, Farinacc. loco citat. n. 59. & sequent.

128. Considerandum præterea est in tali casu de materia Indiciorum, quod non potest tradi certa regula. Idem namque iudicium respectu unius est leve, quod erit grave respectu alterius ad iudicandum de illo, exempli gratia, luxuriæ indicium in senæ, ac iuvene, in viro honestæ, bonæquæ vitæ, ac in eo qui inhonestus, & pravæ conversationis est, par esse nequit indicium.

129. Simili modo vitia reliqua non ita facile in viro morigerato, ac studioso; ac in viro liberæ vitæ, aut ignaro, & otioso suspicandavè sunt. Cunctorum namque vitiorum mater est

ignoran-

ignorantia, & otiositas cap. 1. 38. dist. & Ecclesiast. 33. multam etenim malitiam docuit otiositas.

130. Quænam autem indicia sint lævia; quænam, gravia, & quæ gravissima prudentis, ac conscientiati Iudicis arbitrio relinquitur; Corradus Lancell. in pract. titulo de inquisit. n. 33. Farinacc. quæst. 80. n. 46. nonnulla tamen principaliora adducam indicia, ex quibus ipse Iudex cætera discernere poterit, huiusmodi sunt confessio extraiudicialis libera, & non coacta; delinquendi consuetudo, depræhensio infraganti, dictum socij criminis, aut sollicitatis, aut vulnerati, aut corrupti, aut mandararij, infamia, sive fama præcedens; fuga post perpetratum delictum ante formatam inquisitionem, & informationes assumptas, inimicitia gravis, & capitalis; minæ præcedentes, physonomia mala, &c. res furata apud aliquem repertam, res alicuius inventa circa locum, vel in loco delicti; Testis de visu, vel de auditu, vel alio sensu: variatio, seu vacillatio, inconstantia, pallor, sive rubor, aut tremor ipsius rei præsumpti, de quibus indicijs infra dicam, quid operari possint.

131. Dubitatur primo, quomodo debeat procedere Iudex adversus reum in casu accusationis.

132. Respondeo cum Bonaccina de legibus disput. 10. q. 2. puncto 6. Iudicem delato Crimine ab accusatore, debere, & solere procedere ad examen testium inductorum; quibus examinatis, si crimen est plenè probatum posse procedere ad examinandum, & condemnandum delinquentem reum; si vero delictum sit semiplenè probatum posse procedere ad inquisitum torquendum, si est carceratus in suis carceribus, si non citare debet assignando illi tempus ad comparendum, citatione facta locis publicis, qui si non comparet, potest ipsum condemnare, ut confessus, & si delictum, de quo reus est accusatus meretur maiorem pœnam, quàm esset tortura, advertendum est, quod ad condemnationem requiritur plena probatio, cum testimonium ipsius solum tunc delictum probet in pœnis gravibus, ut est condemnatio mortis, mutilationis, & condemnatio ad triremes; quam-

quam ad torquendum reum sufficiat semiplena probatio. Vnde colligo iniustum fieri accusato, si stante sola accusatione a Iudice examinetur, & maximè, si torqueatur, cum sit contra iuris positivi formam.

133. Quæritur 2. quomodo debeat Iudex procedere via denunciationis.

134. Respondeo, quod quoties crimen a denuntiatore delatum Iudex procedit ad examinandos testes, a denunciante denominatos, vel alios, quos ipse Iudex ex officio inquirendo comperit in examine examinatorum, vel ex indicijs, &c. ante se habet, carcerare debet inquisitum, si potest illum habere, respiciendo tamen, & considerando prius qualitates accusantis, & testium inductorum, &c. ne aliquem innocentem iniustè affligat. Vnde immerito quidam damnant praxim iudicum sæcularium, qui ex denunciatione publici officialis, ad id muneris deputati, vel alicuius privati, vel ad quærelam partis offensæ ad formandum processum, seu libellum procedant inquisitionis, etiam nulla procedente infamia, vel clamorosa insinuatione; aliter non video quo pacto, sit vel distinta procedendi via, vel modus via inquisitionis aperiendi distinctus, a forma, & clamorosa insinuatione; cum non debeat Iudex procedere ad illius præsentatione, sine infamia.

135. Nec valet limitatio Lessij, ubi supra hanc praxim valere, quando crimen est contra Rempublicam, non valet, inquam quia quando crimen non resultat contra bonum commuuem, punitio tamen illius transit in exemplum aliorum, & consequenter in bonum communem, in quo secundum Lexium fundatur dicta praxis, quando crimen est contra communitatem; ergo, &c.

136. Nec valet, quod obijcitur in cap. *Inquisitionis* §. 3. de accusatore, prohiberi huiusmodi procedendi modum; ibi enim tantum prohibetur modus Inquisitionis specialis, prout distinguitur ab accusatione, & denunciatione, quando fit absque precedente infamia, etiam si non sint tres testes iurati, ut patet ex verbis eiusdem Canonis. Tunc enim non adest accusator, aut

vice

vice illius gerens, quod est contra ius gentium: quapropter c. *qualiter*, secundum eodem titulo distinguntur tres procedendi modi iuxta superius dicta, & modo denunciationis, solum admonitio requiritur, de quo infra dicam suo loco. Inquisitioni autem, prout a denunciatione distinguitur, requiritur infamia, aut clamorosa insinuatio, vel notorietas delicti, & quamvis lege divina teneatur quispiam ad non detrahendum immediatè proximum, in hoc casu, non inordinatè detrahitur, sicut nec accusans aliquem de crimine occulto, dummodo possit iuridicè probari, vel per testes, vel per indicia, cum adsit sufficiens ratio id faciendi; ne scilicet criminosi invalescant in damnum totius Reipublicæ, præterea, & si aliquando denuncians peccet contra Charitatem, vel Iustitiam, non peccat tamen Iudex inquisitionem instituendo, stante iniusta denunciatione, sicut nec instante infamia, vel clamorosa insinuatione, orta ex eo quod aliquis iniustè, & iniquè detraxerit peccatori occulto. Nec denique, ut infra dicam.

137. Vnde considera, Lector curiose, de hac materia, quod si quis in visitatione generali revelet Superiori, tàm regulari, quàm Clericorum peccatorem, quem secundum varias Doctorum sententias infra referendas, nec debet, nec potest revelare, unde Iudex non peccat de illo specialem inquisitionem instituendo, cum hæc sit praxis omnium Iudicum Ecclesiasticorum, & hic sit finis inquisitorum generalium. Nec publicatio peccati est scandalizatio, quando sequitur punitio in aliorum exemplum. Nec deest in eo casu accusator, nam denunciator gerit vicem accusatoris. Quid autem debeat efficere, qui alium accusat, vel denunciat, dicam infra cum de accusatore loquar.

138. Quæres 3. quomodo iuridicè procedere debeat Iudex instituendo inquisitionem generalem?

139. Respondeo, posse immò debere Prælatum, cuiusvis generis sit instituere inquisitionem generalem, nulla præcedente infamia, in qua quærere debet ab unoquoque subditorum de vita, & moribus, ministrantium, & conversantium in Ecclesia,

& locis alijs Cultui Divino dicatis; quod si depræhendat aliquem crimen comisisse, tunc procedat, ut infra dicam, ad specialem inquisitionem contra ipsum, etiam nulla præcedente infamia; & si fortè fuerit iniquè ab interrogato prius revelato, ita habetur in cap. sicut olim de accusatoribus in cap. 1. de off. Iudicis ordinarij, & alibi, est communis omnium Doctorum sententia, quia id Prælatis cuiusvis generis præcipitur; tum quia ex tali inquisitione nulla alicui fit iniuria, cum contra neminem in particulari inquiratur; tum quia est maximè necessarium Reipublicæ, quas autem res, & peccata teneantur subditi in huiusmodi inquisitionibus revelare; variæ sunt Doctorum sententiæ. Generalis tamen sententia, & regula est, quod subditus tenetur stante præcepto denunciare omnia peccata, quibus denunciandus infamia laborat, vel saltem inducunt semiplenam probationem, itaut Iudex iudicare possit, ad hoc ut Prælatus ad bonum publicum possit denunciato saltem pœnam extraordinariam iniungere; secus si non possint aliqualiter probari. Sic firmat Clarius quæst. 7. Nec mihi videtur ad propositum, quod asserunt communiter Thæologi apud pluries citatum Lexium dubit. 13. id esse illicitum, quando sola intenditur punitio, & est contra Charitatem, & si non sit contra iustitiam. Cur enim idem non dicitur de accusatore? Forsitan, quia non intendit punitionem, sed solum bonum publicum? sed idem potest intendere denuncians, quod si intendat tantum punitionem, etiam idem potest intendere accusans; item ideo quando intenditur bonum publicum, neque accusans peccat contra ius accusati: quia bonum commune, est bono privato præferendum; Tum quia Respublica propter maius bonum cessit iuri suo, quod habet in propriam famam; ergo quando accusans, & denuncians solam intendit punitionem, & non bonum communem, cum cesset finis excusans a peccato iniustitiæ, non solum peccabit contra Charitatem, sed etiam contra Iustitiam. Si vero crimen nullo modo probari potest, contra iustitiam est revelare, cum contra revelatum nihil sequi possit, præter infamiam, nisi fortè putaretur

neces-

necessaria revelatio superiori, ut patri propter ipsius revelati emendationem; vel dum aliquod spiirituale, vel temporale malum a crimine sic occulto impediat alicui innocenti, vel Reipublicæ, etiam si alia suppetat via ad illud vitandum, sicut cum invasus ab hoste, & si possit malum proprium evitare fugiendo potest tamen hostem occidere, nec ei aliquam faciet iniuriam, quamvis contraria sententia probabilior Lexio videatur, quando adest alius evadendi modus.

140. Vtrum autem Superior teneatur nocere subdito, quando non revelat, quando dictus subditus non potest iuridicè probare, vel qui possunt difamare, iustà suprà allegatam sententiam confutatam. Negativam partem cum omnibus Doctoribus tueor. Tum quia interrogando solum intendit uti Iure suo non autem faciendo quod subditus manifestet, quod non debet. Tum quia suspicionem favoris ingereret erga delinquentem admonendo.

141. Vtrum denique contra iniuste in tali inquisitionem denunciatum, possit Iudex ulterius procedere. Instituendo de illo specialem Inquisitionem. Affirmativam sententiam amplector, & tunc debet formari distinctum libellum, in cuius rubrica debet explicari accusatoris iure gerens, dicendo sic. Cum in ista visitatione a fratre, &c. vel à Francisco, &c. fuerit denunciatus N. ut Bene docet R. P. Laurentius de Peyrinis meæ Religionis in suo Formulario Prælatorum, sicut potest iustè procedere contra iniustè diffamatum, extra iudicialiter, ut docent communiter Thelogi.

142. Quæres 4. quomodo debeat Iudex iuridicè procedere in instituendo Inquisitionem omninò specialem?

143. Respondeo, ommisso casu quoquis coram Iudice pro tribunali sedente peccaret, etiam si coram solo Iudice, & Notario id accideret, ut fert favorabilior, & ad iniquitatem perimendam arctior Doctorum opinio; tunc enim nullus est ordo iuris servandus, sed statim interrogandus est Reus, cur sic v.g. Blasphemaverit, & ipso confitente peccatum, statim debet condemnari; negante verò à Notario in scriptis eius peccatum, &

iuxta leges sententiari. Quando Iudex præcedente infamia, vel clamorosa insinuatione, vel notorietate delicti, probata duobus testibus fama, & notorietate, debet interrogari Reus, si est præsens, qui si fateatur delictum, debet puniri pæna ordinaria, si neget instituatur specialis inquisitio; si vero est absens, citetur, ut compareat intra præfixum tempus, quia Iudex vult procedere contra ipsum; & ipso non comparente, potest institui specialis Inquisitio de delicto particulari, & persona, examinando testes, quos probabiliter putat, aliqualiter de facto, vel de inditijs informatus, an scilicet sciant, v. g. Petrum talem delictum commisisse, & an sciant N. hoc ipsum scire, quæ sententia est communis, & ita est in praxim, ità enim præscribitur, C. *cum oportet*, & C. *qualiter & quando*, statuitur enim Iudicem non posse procedere ad specialem inquisitionem, nisi adsit aliquis accusator, de quo infra, hic enim, vel est formaliter accusator, vel est virtualiter fiscus; fiscus enim dicitur denuncians, vel quærelans, sive sit persona privata, sive fiscus, sive clamorosa insinuatio, aut notorietas delicti, & si quæ sunt alia. Ex quo sequitur de iure gentium, non posse Iudicem procedere ad inquisitionem, absque aliquo, quod inquisitionis viam aperiat, & Iudicem cogat, ut ex officio procedat, aliàs processus erit nullus, ut firmat Clarus q. 5. num. 4. unde non potest procedere ex delatione facta ei, non ut Iudici, sed ut privato, etiam si sciat tres Testes esse qui factum se vidisse deponant, ut dicitur C. Inquisitionis; & multo minus, si indicia Iuris deponentis, & etiam si ipse Iudex viderit proprijs oculis Petrum occidere Franciscum; quia tunc debet accedere aliquis accusans, vel denuncians, vel fiscalis, quippe deferat Crimen, reum, & Testes, & sic Iudex potest procedere tunc ad specialem inquisitionem, ità servatur in praxim, quæ explicat in partem, vel derogat legibus in contrarium, sicuti etiam derogat, legi præcipienti, Francisci accusationem, v. g. specialis inquisitio fiat, sed postquam sepius Iudicis aures pulsaverit, quod tamen non servatur in praxi, maxime apud Sæculares (Credo ut Notari hoc faciant ad

Can-

Cancellariam, & seipsos impinguandum) quamquam hoc videatur expediens ad bonum publicum, ut facinora extirpentur de mundo, quod in facinoribus gravibus puniendis famæ hominis particularis. Similiter dicendum si Iudex, ut privatus sciat iudicia manifesta, nisi enim hæc ipsi, vel per accusatorem, vel denuuciatorem, &c. deferantur. Adverte tamen, Curiose, ac Sapientissime Lector, non esse de Iure naturæ, fieri non posse processum sine accusatore, sed de iure gentium positivum, unde potest fieri lex præcipiens, ut Iudex ex scientia procedat, ad inquisitionem, quinimmò hoc verum est, etiam si hoc esset de iure naturæ, quia tunc Respublica cedit iuri suo, ut inquit Lexius superius eodem loco citatus.

144. Vtrum autem aliquis sit casus in quo ex particulari lege possit Iudex, absque infamia speciatim inquirere, affirmant communiter Doctores. Primum dicunt esse quando quis confessus est Crimen occultum coram Iudice pro tribunali sedente, quamvis non sufficiat confessio extra Iudicium, nisi ex ea orta sit infamia, vel denunciatio; neque confessio illa quæ facta est metu Iudicis rigorosi, & sine ratione discreti, ut si quis diceret fullano, Princeps mandat, & vult, ut fatearis saltem delictum, & ita vult, vel facta est metu tormentorum; quia si revocetur deinde a confesso, sic prima confessio est nulla. Secundus casus est quando Iudici inquirenti generaliter, iustè, vel iniustè patefactus est auctor delicti, vel à parte excipiente contra Testem impingitur illi Crimen, aut aliquis dum intentat actionem Civilem, ut illi damnum resarciatur, ex furto, vel incendio, v.g.

145. Tertius casus est, & quartus, quando inquisitor de morte domini contra servos, & quando delictum commissum est in iudicio, sicut etiam datur alius casus, v.g. in Crimine hæresi, in quo tantum requiritur suspicio ex indicijs non levibus, & si suspicio sit particularis, & privatum in crimen lesæ maiestatis, in quo procedi potest sicuti in casu hæresis.

146. Sed adverto quod quatuor casus excipiuntur ab illa Regula Canonis. Notorietas delicti; Nam denunciatio in iusta

suspi-

ſuſpicione canonis contra ſervos de morte domini ſe habet, ut ſana ,| & gerunt accuſatoris vicem; ultimi autem duo caſus habent aliquo modo accuſatorem, ideſt ſuſpicionem, quamvis non ità validum, nec ſufficientem in alijs delictis. Poteſt autem eſſe lex de procedendo ad inquiſitionem, etiam ex privata ſcientia, ut ſuperius dixi, additur etiam caſus in qno inquiritur non ad puniendum, ſed ad officium, Religionem ingrediendam, & matrimoninm contrahendum: tnnc etiam abſque ſuſpicione privata poteſt, & debet de illo, an habeat aliquod impedimentum, & interrogatus tenetur manifeſtare occultum impedimentum. Vtrum denique reus crimen confeſſus, poſſit de ſocijs interrogari.

147. Negativam partem tenent Doctores, cum eorum crimen ſit occultnm, niſi in caſu, quo reus teneatur ſocium accuſare, vel denunciare, etiam ſi crimen occultum ſit, vel ſuperior, tamquam Patri, vel tamquam Iudici iuſtà communem regulam ſupra dictam de interrogatorijs, in viſitatione facienda Generali; vel quando conſtat delictum ex mandato commiſſum, vel crimen, abſque ſocijs commiſſo, non poteſt (ſaltem regulariter) vel qnando agitur de delictis bono publico repugnantibus, ut de aſſaſſinis, latronibus, de falſa moneta, de crimine hæreſis, vel leſæ maieſtatis. Sed limitandum iuxtà ſuperius dicta, niſi reus ſciat contra illos crimen iudicialiter probare, vel indicare poſſe; hoc enim valde expedit bono communi.

148. Quæres quinto, quando Iudex procedit per inquiſitionem de rixa, in qua ſpecialiter quærit de auctore rixæ, & generatim de crimine, quomodo ſe gerere debeat?

149. Reſpondeo eodem pacto, notatis notandis, quo in inquiſitione ſpeciali, eædem difficultates militant, ut patet legentibus Auctores in hac materia ſcribentes.

150. Quæritur 6. quo pacto Iudex præcedere debeat licitè per inquiſitionem mixtam, in qua ſpecialiter quæritur de crimine, & generaliter de perſona?

151. Re-

151. Respondeo, notatis notandis, sive mutatis mutandis, ea esse servanda, quę supra dicta; sunt de inquisitione generali hæc enim est praxis, & valde expedit communi bono.

152. Quæres 7. an stante sola accusatione possit Iudex reum interrogare?

153. Respondeo, quod casu quo peccatum commissum sit coram Iudice pro tribunali sedente, stante virtuali accusatione, potest Iudex reum interrogare, ut supra dixi; quando verò proceditur via formalis accusationis, non potest, quia reus non potest respondere ad mentem Iudicis; ut dicam infra cum de ipso reo. Quando autem proceditur via inquisitionis specialis ordinariæ, scilicet ex fama, quem modum putant aliqui, ut superius dixi, regulariter licitum in inquisitione post probatam famam, potest interrogare Iudex reum. Procedendo verò alijs modis non potest Iudex illum interrogare, nisi stante saltem semiplena probatione, vel indicijs, aut indubitatis, aut iuridicis, & ita est in praxim, & tunc tenetur reus ad mentem Iudicis respondere, ut dicam infra, quid autem agendum sit a Iudice, si nolit respondere, aut si dicat, nescio, non bene recordor, & alia plura, legendus est R. A. P. meus Peyrinus in Formul. Prælat. litera R. cap. 9.

154. Quæres 8. quando debet Iudex reum subijcere torturæ?

155. Respondeo in criminibus gravibus ipsam torturā pœnis gravibus merentibus (reo enim nondum convinto non potest irrogari pœna maior ea ad quam iam convintus erat condemnandus, ut docent communiter Doctores) stante semiplena probatione, quam reus excusare non potest, post assignatum de iure terminum, in subsidium probationis, ad hoc ut scilicet ipse reus proprio ore crimen confitendo, suppleat id, quod ad plenam probationem requiritur, aliàs Iudex potest dictum reum subijcere tormentis, nisi ex defectu ætatis, illum torqueri non posset, vel alia causa: quia tunc ad summum leviter torqueri posset tormento licito in iure, nempe eum minis, &c. terreri, nisi sit periculum abortus, vel ratione excellentiæ in nobilitate, & sic

nec leviter torqueri posset a Iudice talis reus, nisi in crimen hæresi, aut læsæ maiestatis, ut docet Clarus quæst. 64. quamvis possint terreri verbis, aut ostendendo illis tormenta, &c. & si in tali statu confessi fuerint, valet tamquam spontanea confessio. Si vero huiusmodi confessi sint in tortura, etiam si post triduum ratificent confessionem, confessio erit irrita, itaut nec ex ipsa institui possit inquisitio specialis.

156. Item, præter semiplenam probationem, sufficit mala fama, dummodo alijs adminiculis sit adiunta, ut bona fama similiter, &c. ut docet Clarus quæst. 21. n. 1. sic in similibus delictis procedi debet, vel si accedat testis minus idoneus: ut assertio socij, vel minoris ætatis. Item iactantia extraiudicialis de tali crimine, confessa judicialiter a reo, vel a duobus testibus omni exceprione maioribus probata; & similiter confessio probata coram iudice incompetente, quamvis nullum effectum operetur, ad reum ponendum ad torturam, sicut nec confessio facta Sacerdoti in Sacramento Pænitentiæ, si Sacerdos iniquè patefaciat, C. *si Sacerdos* de officio ordinis, quia talis confessio non magis nocere debet, ac si soli Deo facta esset, quæ quidem lex optimo iure, meo iudicio, facta est, ne Sacramentum similibus peccatoribus suspectum reddatur.

157. Item assertio duorum, vel trium iuratorum, dictum enim unius socij, nisi alia adiungantur inditia, non sufficit ad torturam, constituit enim inditia, primi, & secundi generis, ut dicam infra; nec item assertio vulnerati morientis sola, cum non sit inditium, indubitatum, nec iuridicum.

158. Item fuga post patratum delictum iuncta fama, vel altero delicto, ut dicitur in adnotatione ad Clarum quæst. 21. n. 18. item inimicitia gravis, nisi sint alia inditia, ut sunt minacia, mala fama, præparatio armorum. Item inconstantia rei dum examinatur, cum alijs inditijs etiam minoribus. Item si visus fuerit exire de domo, in quo patratum est delictum, &c. Item si res ablata reperiatur apud ipsum, ad torturam poni non potest; unde regula generalis est, quod inditia primi, & se-

cundi

cundi generis, etiam plenè probata, non sufficiunt ad torturam, non enim equivalent semiplenæ probationi, nisi multa ad invicem adiuncta sint; tunc enim constituunt indicia tertij, vel quarti generis, quorum utrunque sufficit ad torturam.

159. Casu vero, quod probatio sit plena, non potest Iudex reum torquere, sed illum damnare ad pœnam ordinariam, nisi ad socios aperiendos, tamquam cadaver in casibus supra positis, non autem in alijs, vel ad impediendam iniustam appellationem cum clausula.

160. Quæres 9. utrum Iudex possit reum sæpe, torqueri?

161. Respondeo, quod si nihil confessus est, non potest, sæpius torqueri, nisi inditia sint quarti generis, si autem nova inditia supervenerint, potest iterum torqueri; similiter si quis antea confessus est, & postea negat, etiam si nova inditia non superveniant, aliter torturæ remedium esset absque ullo effectu, si non ratificaret suam confessionem.

162. Quæritur 10. num ex solis indicijs, vel ex sola semiplena probatione possit Iudex aliquem condemnare?

163. Respondeo, non posse pœna ordinaria, sed extraordinaria minori, ordinaria videlicet, ita esse usu receptum docet Clarus quæst. 21. n. 40. ubi ait in arbitrio Iudicis esse; quod probat Lexius lib. 2. cap. 29. dub. 17. quatuor tamen casibus exceptis. Primus casus est, si quis v. g. ter enunciavit alicui, ut non loquatur cum sua muliere, & postea inveniat illum cum eam loquentem, potest istæ damnari pæna ordinaria adulterij. Secundus casus est, si officialis fugit sindacatus tempore. Tertio si quis infamatus de simonia non posset se purgare, iurando se tale crimen non commisisse, & similiter compurgatores a Iudice assignati, iurando se illi credere. Quarto, si quis non posset se purgare ab infamia hæresis, punitur, ut convinctus pæna ordinaria.

164. Quæritur 11. quando, & quomodo servetur a Iudice iuris forma in proferendo sententia?

165. Respondeo servari, quando sententia fertur, sive pronunciatur iuxta legum dispositionem in casu particulari; unde se loquendo est secundum verba legis iudicandum; quoties tamen, ex hac servatione non sequitur aliquod iniquum, & consequenter contra legis actoris mentem, ita dictante efficacia, verum tamen est inferiorem Iudicem non debere recedere a verbis legis, in consulto Principe, nisi periculum sit in mora.

166. Quæritur 12. utrum possit Iudex dispensare in observatione formæ iuris.

167. Negativa est responsio, nam Iudex inferior non potest, superior autem utique, peæcipuè in his, quæ sunt de iure positivo, & accidentaliter requiruntur ad iudicium, ut scilicet accusatio non fiat, nisi in scriptis, ut sententia feratur in tali loco, &c. quæ requiruntur tantum de solemnitate iudicij; non posse tamen in ijs quæ requiruntur de iure divino, ut sunt accusatio delicti, citatio, æqualitas Iudicis erga partes, partium auditio; neque in his, quæ sunt de iure naturali, ut sunt Iudicis inimici recusatio, defensionis legitimæ, iuramentum de veritate dicenda. Testium secreta interrogatio, quod de delicto facti permanentis constet, inimici attestatione expulsa; nisi quando crimen etiam publicum sit, ut non maneat defensionis locus; quia factum notorium gerit vicem accusatoris, & testium. Similiter quando iuridice procederetur, esset periculum rebellionis; & cum quis machinatur mala Reipublicæ, quæ aliter impediri nequeunt, quamvis hoc non sit tantum punire crimen, quam impedire malum. Denique quando crimen est notum soli Principi, & tribus alijs, sive in iudicio, sive extra.

168. Quæres 13. num sententia lata non servato iuris ordine, aut alia iniusta ratione, obliget in conscientia ad illius observantiam.

169. Respondeo, si sententia est iniusta tantùm, quia data est ex odio Iudicis, invalida est; si verò est iniusta, quia prolata est contra dispositionem legis, non servatis ijs, quæ requiruntur in iudicio, & de essentia iudicij sunt, est invalida; si

autem

autem est iniusta, quia annexa est falsitas testium; non obligat in conscientia, etiam si sit servatus ordo iuris, secundum allegata, & probata.

170. Quæres 14. num Iudex possit, pænam a lege statutam, minuere, aut augere?

171. Respondeo non posse Iudicem inferiorem excedere iniungendo pænam maiorem ea, quæ in lege prohibetur, nisi atrociores circumstantiæ in patrato crimine inveniantur, similiter nec minuere ob eandem rationem, supremum verò Iudicem, dummodò non resultet in præiudicium tertij, aut Reipublicæ; nisi fortè pars cedat, vel iustè ab ipso Iudice iure suo privetur, alias tenebitur ad restitutionem deficiente Reo.

172. Quæres 15. num Iudex teneatur ad restitutionem hæredibus Rei, si post quam præter ordinem iuris, crimen extorsit, vel deprehendit Reum non esse talem, illum condemnat?

173. Respondeo, si Iudex condemnaret suum non subditum, vel in crimine exempto, teneretur ad restitutionem, nisi proprius Rei superior, ratam habeat sententiam, si ipse sit satis instructus ad condemnandum, & potest alteri causam committere; quia, sicuti qui habet potestatem confiscandi sibi bona ob crimen commissum, potest relaxare obligationem restituendi, ei qui iniustè præfata bona sua vastavit; ita in casu nostro; si verò condemnet etiam suum subditum, tamen ex scientia privata, exceptis casibus de quibus suo loco, vel ex publica cognitione per iniuriam extortam, ut si a seipso inquisitionem inchoet, si metu tormentorum elicuit confessionem, ubi indicia sufficientia ad torturam non erant, vel ubi erant indicia, persona tamen non poterat torqueri; si dolo, promittendo videlicet impunitatem, Reum inducit ad confitendum; si effugientem ad Ecclesiam, ex ea vi extraxit, peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur hæredibus; quia iniustè dedit causam damni; nisi fortè Iudici suppetant aliæ rationes, quibus possit iustè alia via condemnare, vel si error commissus est in aliquo, supremus Iudex dispensaret; potuit enim ab illo obligationis pænæ rela-

xare

xare, imperare; quod si post quam contra iuris forma crimen extorxerit, supremus Iudex omninò iubeat Iudici inferiori, ut reum condemnet, poterit quidem Iudex inferior iustè damnare, tenebitur tamen ad restitutionem, quia iniustè dedit damni causam.

174. Quæres 18. an sit liberum Iudici in controversia partium litigantium, iudicare pro sua libertate, & arbitrio?

175. Respondeo, quod si una ex partibus probabilioribus rationibus suam rationem defendit, alia verò, minus probabilibus, non licet Iudici iudicare pro ea, quæ minus probabiliter defendit suam rationem, quoniam Iudex debet iudicare secundum merita causæ; ita etiam si Doctores sententiæ oppositæ ambo probabiles sint, & conformes iuri, una tamen videtur conformior. Si verò circa propositam quæstionem, æquæ probabiliter, utraquè pars suam causam defendit, dubium est apud Doctores, undè negativa sententia est probabilior, committeret enim acceptionem personarum; sed tunc debet causam remictere ad superiorem, vel suadere partibus, ut rem compromictant arbitris, vel amicabilem ineant compositionem; vel denique rem sibi dividant.

176. Vtrum autem Iudici tum Ecclesiastico, tum Sæculari possit aliquid tradi, vel, ab ipso accipi, & præsertim in curia Romana; lege curiose Lector, Bonaccinam de legibus disp. 10. q. 2. puncto ultimo.

177. Quæres ultimo, quomodo debeat Iudex se gerere, in danda tortura reis?

178. Respondeo, quod Iudex, debet Deum præ oculis, & iustitiæ veritatem tantum habere, & ita se gerere debent in reorum torquendis, delicta, & in quæstionibus non nisi puram veritatem conentur investigare; quæ dixerint Rei rectè considerent; & an probabilia sint, & verosimilia; vel potius suspecta videantur investigent, quod quidem fieri potest verificando, vel non verificando ea, quæ confessa extiterint. Dixi Iudices devenire ad quæstiones reorum cum maluerint veritatem habere per testes, aut alio quovis modo, eo quia ad torturam non debent deveniri,

nisi

nisi in subsidium, cùm aliàs veritas haberi non possit *l. edictum* ff. *de quæstioni*, & firmat *Abbas* in C. *cum in contemplatione* ff. *de regul iuris*; undè est advertendum, quod quamvis in foro laicorum ex quadam observantia contrarium sit in praxi, secundum Baldum in l. 1. C. *de iniuriando propter calumniam* dan in fine, & in l. *observare* C. *quo appellat, non recipiam*, in quibus locis laudat Iudices torquentes reos etiam habita veritate per testes, & sequitur Afflictus in constit. si damna clandestina, & communiter omnes Criminalistæ, secundum Grana in cit. pr. quod quidem omnes admictunt, ne contingat per appellationem frivolã retardari executionem sententiæ, tamen de iure Canonico, in quo fundata est lex Civilis, & Criminalis, dicendum est, quod talis sententia fundata sit in omni iuris rigore, & in iure Canonico æquitas servanda est.

179. Vnde rectè considerando, puto, quod in casu simili facienda sit distinctio, nempe aut iudici constat in veritate delictum esse commissum, & ob id sententiam proferendam esse iustissimam, tamen per calumniosam appellationem, & subterfugia posset differri eius executio, & tunc puto, quod non malè faciet etiam Iudex, immò bene faciet, tàm Ecclesiasticus, quàm sæcularis hoc inconveniens evitare, torquendo reos non ostante, quod testibus convincti sint, aliàs si dubitat, num vera sint probata, & num sententia proferenda esset iusta C. in qua re multum considerare debent Iudices, maximè in pœnis inducentibus infamiam, saltem in foro conscientiæ, in quo agitur de summa rerum; tunc secus moveor; quia Iudex non solum tenetur peccata vitare, sed conari, ne alij incidant, quapropter inquit Sacra Pagina; *Ve vobis, qui iudicatis terram*, quare Beatus Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 3. quod duplici de causa contingit appellare; uno modo scilicet confidentia iustæ causæ, nempe quia a Iudice gravatur, & sic licitum est appellare, hoc enim est prudenter evadere, unde habetur secundo quæst. 6. quod omnis oppressus liberè Sacerdotum, si voluerit appellet iudicium, & a nullo prohibeatur. Alio modo aliquis appellat causa differendi

rendi modum, ne contra eum iusta sententia proferatur, & hoc est calumniosè se defendere, quod non est licitum, immo illicitum; facit enim iniuriam, & iudici cuius officium impedit, & adversario suo, cuius iustitiam, quantum potest perturbat, cum ergo in illo casu peccet; ergo ad evitandum illum casum illicitum, & peccatum, potest Iudex occurrere per tormentorum illationem, quod est notandum, quia alibi non invenies, quod est verum, tàm in laicali foro, quàm in Ecclesiastico. Non enim est dubitandum, torqueri posse Clericos ad indagandam veritatem. Adde Archidiaconum in C. *Circumcelliones* 23. quæst. 5. ut habetur in C. *fraternitatis* 12. quæst. 2. & ibi not. Præpositus, & habetur in C. *cum in contemplatione* de regul. iur. & Do. Abbas, & habetur in C. *gravius* extra depos. & in C. 1. *de solut.* etiam per Præp. in C. *in summa* 45. *dist.* & C. *fin*, 35. *dist.* & habetur per *Felin. in ea veniens* 2. cul. si nota extra de test. dicit tamen, quod Clericus non torquetur, etiam ex uno teste de visu, nisi sit infamatus de crimine ex dicto Doct. Abba antiqui in c. *Gravius* extra de po. tamen Abbas Iun. inquit, illud dictum non esse semper verum; sed sicut ex dicto unius testis de visu poterit ad torturam procedi contra laicum, ita possit contra Clericum, & idem Felyn. in cap. universitati, extra de sententia excommunicationis, tenuit in ea, quod in ea veniens, & ita inquit per omnes Doctores teneri, & in nonnulla facio vim, postquam omnes videntur, cum hac opinione transire.

SVBSECTIO VII.

De Indicijs diversis.

180. CVm de Iudice sermonem instituerim, quantum satis est ad materiam prædictam, videre est de indicijs, cum inditia sint, ut plurimum, præsumptiones pro Iudice contra reum, quæ quidem inditia quamplura sunt. Primum itaque inditium, est confessio extra iudicialis: v. g. Franciscus, rapuit

Puellam

Puellam illamque de floravit, & delictum talem confidenter inter aliquos amicos propalavit, vel aliquem furtum, aut homicidium; undè, si duo, aut tres coram Iudice talem delictum revelent, certè sunt, aut est inditium vehemens, sufficiens ad torquendum dictum Franciscum, &c. sic *Farinaccius* q.33. n.16. & q.37. n.47. idque omnes uno ore fatentur, & probat *Pegna* comment. 110. in 3. par. direct. Inquisitionum in apendice post *Gomez* tom. 3. variar. resolut. cap. 13. n.8. & 9. *Clarus* q.21. verb. confessio extra iudicialis.

181. Limitatur tamen in casu, quo tale delictum fuisset revelatum Sacerdoti Sacramentum pænitentiæ audienti, vel sub sigillo confessionis, quia tunc talis confessio nihil nocere potest confesso, sicut nec si esset ebrius,&c. tenet idem Pegna comment.25. in 2.p. post Gomez loco cit. Farinacc. q.51.n.97.

182. Indicium etiam vehemens est, si Ioannes rapuit lampadem in Ecclesia, &c. & confessus est tale furtum, etiam coram Iudice incompetenti, tantùm, est indicium vehemens ad torturam, dummodo talis confessio, vi, vel metu non fuerit extorta ab illo Iudice incompetente; quia si illa confessio, vi vel metu extorta foret, nihil furi noceret, ita firmat *Aug. Bereus*, in C. *at si Clerici* de iudic. n. 126. *Farinacc.* q.37. n. 96. 97. & 104. & probat *Clarus* q.21. vers. *sed hic quero*, ubi latè de hac re, & satis clarè, ac diffusè loquitur.

183. Indicium aliud est, nempè consuetudo delinquendi in aliquo genere delicti, facit indicium, in eodem genere vehementer: ita in regula *semel malus*, de regul. iuris lib. 6. & l. si cui §. 1. ff. *de accusationibus*, dicitur autem quis habere consuetudinem delinquendi, qui bis, aut ter in eodem genere mali deficere habet, & convinctus est aliquando in eo. *Farin.* q.20. n.43. *Innocentius* in cap. 1. de fideiuss.

184. Verum est, quod ista consuetudo delinquendi de se non est gravissima, sed an inveterata sit indicium grave, & est ad torturam sufficiens, sic tenet *Baldus* in l. quidem C. de accusatione *Iason.* in l. 1. cod. tit. *Farinacc.* q.23. n.22. undè si per triennium,

non cecidit, iam delinquens in talem errorem. consuetudo præterita illi nequaquam nocere potest, ita *Farinacc.* loco dicto n.26.

185. Tertium indicium est, quandoquis repertus est in fragranti crimine, v.g. deprædando vestem Tulliæ, sed hoc propriè non vacatur inditium, sed delictum notorium; non autem sic, si inveniretur solus, cum sola Puella, quæ recognita, inventa est deflorata diceretur contra illum hominem indicium vehemens, undè a Iudice interrogari potest, & condemnari, si ipse fatetur in hoc delinquisse, & si neget, graviter torqueri potest reus si nullum aliud sit adminiculum. Clarus firmat loco supra citat. q. 19. vers. 1.

186. Dictum Socij criminis vulnerati, aut sollicitati, sivè mandatarij, si quisque istorum accusatores sint, aperiunt viam Iudici ad inquirendum contra accusatum: sic ait Blancus de indicijs num. 389. & est sententia communis: non tamen est indicium ad constituendum Reum, nec cum ponendi ad torturam, quia isti sunt testes inhabiles, sic *Boer.* decis. 319. Ioannes de *Anania* cons. 59. Thomas *Gramat.* num. 14. *Farinacc.* q.43.n.39. & n. 147. & 155. *Mascardus* de Probationibus concl. 1311.n.14. & 53. & est probabilior sententia, verum est, quod si aliqua alia adminicula concurrant, constitui, & torqueri potest Reus accusatus: *Salyc.* in l. fin. in fine vers. sed ego respondeo C. de accusat. *Boss.* de indicijs n. 149. quos torrens doctorum sequntur.

187. Testes autem inhabiles ex pluribus adiuvantur testibus, nam plures supplent pro sufficientibus, sic Cæsar de *Grass.* decis. 174. num. 2. & decis. 175. num. 8. & hoc est verum, si omnes illi exceptionem patiantur, ibidem n. 9. Iac. Butrig. & alij, & hoc est intelligendum, quod sufficiunt ad torturam, non verò ad condemnandum, dummodo non fateatur, sic Farinac. loc.cit.

188. De inditio famæ, sivè de rumore pubblico, quod scilicet quis aliquod delictum egerit; de sua natura fama leve indicium est ad inquirendum, non autem est sufficiens ad torquendum, sic *Bartol.* in l. milites C. de quæst. Antoninus de *Butrio*, & communiter DD. veniens, & 1. de testibus Ioannes *Andreas* in

addit.

addit. ad ſpeculum titulo de probationib. §. videndum ad n. 19. verbo ſciant *Marſil.* ſingul. 97. Petrus *Duennas* in regul. 30. fallentia 4. *Clarus* dicta q. 21. verſ. 1. *Farinacc.* q. 47. num. 4. & ſequenti, cum alijs non paucis ſcriptoribus, niſi fama ſit vehemens, quæ talis dicitur, quando procedit a perſonis honeſtis, & fide dignis, quæ contrariam, vel etiam amicos bonos, ut notant citati Doctores firmat Franciſcus *Gislerius* cap. 18. de indicijs n. 38. fol. 129. cum quam plurimis gravibus Doctoribus, ubi multa de hac re loquitur.

189. Inditium etiam eſt fuga delinquentis, quæ quidem fuga inditium ſufficiens eſt ad torturam, præcipuè quando eſt formata Inquiſitio, & informatio capta, ſic *Boſſius* de inditijs n.49. *Maſcardus* lib.1. de probationibus concluſ. 531. & 819. at ſi poſt citationem factam fugiat, talis fuga non eſt ſufficiens indicium, ſic in confeſſo eſt apud Doctores, ſic *Blancus* de indicijs n. 181. *Gomez* l.76. *Tauri* n. 10. *Carrer.* in practica crimin. n.112. verſ. tertium indicium, *Clarus* q.21. verſ. fuga delinquentis, *Farin.* q.48.n.27. & 30. quod verum eſt ſolum in cauſis capitalibus, ſivè ante, ſivè poſt fugiat; naturale, etenim cuique eſt mortem ipſam, illiuſvè periculum declinare; ſi autem de alijs cauſis loquatur, dicta fuga adiuncta fama, ſivè ante, ſivè poſtea fugiat, eſt ſufficiens ad torturam, ſic docet Ioannes de *Amicis* conſ. 37. n.5. & conſ. 131. n.3. *Farin.* loco ſupra cit. n. 33.

190. Quare in hac re adverto; quod ſi citatus compareat, ipſa fuga contra dictum reum nihil facit, & ſi facit aliquid, facit leve indicium, ita *Bartholus* in l. ſi quis fugitivus, §. 1. ff. de edil. delect. quem nemo cæterorum doctorum non ſequitur, ut affirmat Ioannes de Amicis cit. conſ. 7. n. 19. & conſ. 85. n. 8. Farinacc. q.48. num. eod. & ſeq.

191. Non ſic qui fugere habet è carcere, in quo iuſtè erat conſtitutus, illum frangendo, &c. quia contra illum talis fuga inducit probationem delicti, ſic firmat indubitanter *Boerius* deciſ. 215. n.9. *Gomez* cap. 9. verbo delicto n. 11. Quod ſi carcerem non frangat, & quia iuris ordine minimè ſervato carceratus fuit,

nequaquam pro confesso habendus est, & hanc sententiam commu-nem esse asserit *Rolandus* cons. 7. n. 47. lib. 1. indebitè namque in carcere positus potest fugere, si viam fugiendi habet, *Covarr.* lib. 1. variar. resol. cap. 2. n. 11. *Buennas* regul. 393. limit. 4. nequè tenetur ad carcerem redire, etiam si firmasset iuramento, se rediturum, sic *Glossa* in Clementina *Pastoralis* vers. per violentiam *Covarr.* loco cit. n. 7. *Navarrus* in manual. cap. 12. n. 18. & multi alij communiter, si verò post fugam statim rediret, nullo modo puniendus est, ut fugitivus, verum est, quòd additis adminiculis fugæ, potest poni ad torturam, *Boerius* dicta decis. 215. n. 18. & seq. *Clarus* loco cit. vers. tertiò autem in fine *Farinacc.* loco cit. n. 69.

192. Possunt etiam indicia sumi ex inimicitia, quæ sit probata, & evidens in specie; quæ si levis existat; nullum facit indicium, si verò capitalis, plusquam leve facit indicium, ad inquirendum, & ad capiendum contra inimicum Informationes, & consequenter ad illius captura, & constitutum, &c. sic *Blancus* de indicijs n. 175. *Clarus* q. 21. vers. inimicitia, nisi de ostendente constet, vel offensus plures inimicos habeat; quia in tali casu consideratur gravior, & recentior, ac pluribus indicijs adminiculata inimicitia *Farinacc.* q. 49. n. 114. & seq. minimè tamen sola absquè alio indicio satis ad illam torturæ subiciendum est, *Gomez* cap. 13. delict. nu. 11. *Carrer.* in pract. crimin. nu. 118. Thom. *Grammat.* vot. 30. n. 20. & vot. 34. n. 7. *Bossius* titulo de indicijs n. 47. at additis adminiculis erit locus ad torquendum sufficiens, sic DD. supracitati, addito Farinacc. q. 49. n. 102.

193. Adesse potest indicium de *minis*, quæ solum a viro probato faciunt indicium ad inquirendum, nec non ad illius inimici capturam, & constitutum, nisi constet illum pluries ostendisse inimicum, si autem constet Titium non alium habere inimicum, præter Caium, a quo pluries offensus est, vel minatus, ostendendo arma, vel manum levando, aut digitum mordendo, faciunt indicium ad torquendum Caium. Lege Lector carissimè sequentes DD. nempè *Imolam* in l. final. n. 10. ff. de hæred. inst.

Carrer.

Carrer. ubi supra n. 125. *Blancum* locis cit. num. 183. *Farinacc.* q. 50. n. 1. & seqq. quæ sententia est communis, vide etiam *Menoch.* lib. 1. de præsumpt. q. 89. n. 62.

194. Indicium vero Physonomiæ maximè attendendum est, quod quidem indicium etiam si, secundum se, attendendum non sit, cum aliquibus adminiculis adiunctis indicium leve facit, saltem ad inquirendum, nequaquam ad torturam, sed ad summum ad constituendum illum, qui malæ Physonomiæ est; etenim, sicut bonæ physonomiæ est iudicatus probabiliter inclinatus ad virtutes, ita malæ, &c. ad malum, adiunctis aliquibus adminiculis. *Baldus* in l. 2. C. quor. appell. non recip. *Mars.* in pract. crim. §. expedita n. 53. & sequitur *Farinacc.* q. 52. n. 105. & seqq. adest etiam sententia Ecclesiast. 19. *ab obscura facie cognoscitur homo*, & non deficit probationis sententia in Symposio, quo loci dicebat ut sunt quidam fontes, qui potu pecudum, atque etiam cutem, & pilos tingunt albo, nigrove calore, ita relucet etiam in ipso hominis vultu, & frontè quibus præceptis imbutus sit, &c. quod quidem indicium, ferè in paucis verificatur.

195. Non tacebo de re inventa alicuius in locum deiicti, prout si v. g. occisus est fullanus in Platea N. & prope mortuum inventus est pallius Ancharanis, quod quidem pallium a testibus idoneis pro pallio Ancharanis recognitum est, facit hoc inditium contra Ancharanum prædictum ad torturam, nisi aliàs Ancharanus probet sibi maligne fuisse furatum, & illic transportatum, quod est res fere impossibilis. Sic Doctores citati supra, & singulariter Farinacc. q. 52. n. 74.

196. Indicium non parvum est in reo constituto, ut veros reus sit. Variatio, vacillatio, mendacium, inconstantia, rubor, pallor, tremor, & huiusmodi, &c. isti enim effectus, præter quam in obliviosis, aut stupidis, vel in minoribus constitutis, aut puellis, qui ordinariè sunt timore Iudicis oppressi, indicium ad torturam sufficiens est. Paril. de Puteo in tract. syndicatus verbo tortura, cl. 1. vers. nisi de indicijs, *Carrer.* in pract. crim. n. 119. & seqq. *Farinacc.* q. 52. n. 20. & seqq. & q. 66. n. 100.

n. 100. verum est, quod Iudices in hac magnam Charitatem, & prudentiam habere debent, quia sunt multoties aliqui ita timorosi, qui etiam coram suis amicis loqui non audent, & obmutescunt, quanto magis coram Iudice rigoroso? igitur Iudices, ac Cancellarij prudentissimi sint, & benè oculati, ne propriam conscientiam perdant, ut aliorum vitam ad mortem damnent, videatur in hac re *Paris.* de Puteo loco citato. *Clarus* similiter ubi supra cæterum, & *Pegna* dicto Comment. 110. vers. quamobrem; *Novell.* regul. 143. *Farinacc.* q. 52. n. 47.

SVBSECTIO VIII.

De Accusatore.

197. SVB accusatoris nomine, etiam fiscalis, & denunciantes veniunt nuncupandi, & nisi in hijs differunt, prout tradunt DD. ea tamen, quæ ab illis in hac materia quæruntur, ego per diversas dubitationes investigabo, unde,

198. Quæres 1. quid sit accusatio.

199. Respondeo, accusationem esse delationem rei de crimine ad vindictam publicam libello factam; quam definitionem examinare, non oportet, cum ad alia magis necessaria sit procedendum, tum etiam quia canonistæ, etiam illam relinquunt.

200. Queres 2. quot solemnitates ad accusationem requiruntur?

201. Respondeo, quod sex conditiones requiruntur de solemnitate accusationis. Prima est, ut fiat in scriptis (non ita denunciatio) secunda, ut exprimatur locus delicti, annus, mensis, dies, &c. verum est, quod non est necesse, ut exprimatur dies. nisi reus hoc petat ad sui defensionem. Tertia, ut ponatur dies, mensis, & annus, in quo ipsa accusatio intentatur. Quarta, nomen accusatoris, & accusati. Quinta, quænam species delicti sit, de quo instituitur accusatio. Sexto, ut fiat in scripto, nempe, ut accusans se exponat ad pœnam talionis; quamquam hodie hoc non sit in usu, quod ègo non laudo, quia si esset in usu

non

non ita facile accusarentur homines aliquando probi, & innocentes. Quare adverto, quod quilibet est legitimus accusator, dummodo aliàs non sit a lege prohibitus, cum ab ipsis quamplurimi prohibeantur, & primo inimici C. *accusatoribus*, & seqq. tertia q. quinta C. suspectos, & C. omnes ead. q. C. *cum oporteat* de accusat. C. *meminimus*, & C. cum P. Manconcella eod. tit. Farinacc. q. 12. n. 34. etiam reconciliati, maximè de recent. C. *accusatores* el. 1. 3. q. 5. C. *qui crimen* 6. q. 1. iuncta glos. C. *accusatores* cit. Farinacc. q. 12. num. 41. qui autem inimici dicantur, dicam hic, ne differendo, vadat ista materia in oblivionem.

202. Inimicus autem, ex Fr. Pegna comm. 116. in 3 par. dir. inquis. & Farin. q. 49. n. 1. & seq. dicitur 1. qui occidit consanguineum alicuius 2. qui conatus est occidere aliquem 3. qui minatus est occidere aliquē 4. qui alicuiparavit insidias, 5. qui aliquem accusavit in causa capitali, 6. qui deposuit contra aliquem, aut deponere voluit in causa capitali, 7. qui detinuit aliquem in vinculis, 8. qui iniurias graves in aliquem protulit, 9. qui adulterium cum alicuius uxore commisit viro ipso reclamante, idem dic de sorore, matre, aut filia, 10. qui movit quæstionem de statu, vel bonis, aut magna quantitate pæcuniæ. Idem de illo, qui aliquem talibus spoliavit, 11. qui offendit aliquem in persona, vel rebus, 12. qui vulneravit aliquem maximè in facie, 13. descendentes ab inimico capitali 14. qui commoratur, & ad modum familiariter conversatur cum inimicis 15. qui contraxit amicitiam cum inimicis, 16. Iudex post sententiam contra latam, ex quibus circumstantijs inimicitiæ multæ aliæ, immò innumeræ deduci possunt.

203. Istæ autem inimicitiæ graves, & capitales repellunt omnes, non solum ad accusandum, &c. & condemnandum, verum etiam a testificando, etiam si reconciliati sint. Sic *Pegn. Farin.* loco cit. *Villag.* lib. 1. ubi supra cap. 2. conclus. 2. & istæ rationes non solum repellunt in criminibus ordinarijs, verum etiam criminibus exceptis, ut sunt hæresis, lesæ maiestatis, per duellionis, sacrilegij, symoniæ, fraudatæ publicæ pæcuniæ, aut annonæ,

nonæ, dilapidationis bonorum Ecclesiæ; sodomiæ, &c. de quibus *glos.* in rubr. 6. q. 1. *Villag.* loc. cit. *Direct.* inquis. 3. par. q. 67. Fr. *Pegna*, & *Farinacc.* ubi supra.

204. Excluduntur etiam a supradictis, Iudex infamis, criminosus, perpetuo furiosus, impubes, ammotus ab officio, fœmina, servus, excomunicatus, dominus, adversarij, consanguineus eius, vel affinis. Sic firmat *Armilla* verbo Iudex n. 1. & *Gislerius* in sua praxi, &c. cap. 7. ferè per totum cum gravissimis Doctoribus; undè adverto, quod, qui non potest esse Iudex, dato quod talis sit constitutus, recusari potest, prout omnes Iuristæ dicunt, & præcipuè quando fama est, quod in iudicando non currat iuris ordine servato, vide auctores de hac materia, &c.

205. Quæres 2. num impossibilis sit actus iustitiæ in iudicando sine interventu accusatoris.

206. Respondeo (quidquid dicat Div. Thomas q. 66. art. 3.) cum accusator etiam saltem fictus requiratur, & hoc de iure positivo non naturæ; quamvis nemo Petrum accuset, quod Ioannem mutilaverit, rectè intelligitur quando Iudex reum constituit iustè, ne dum si seipsum stante scientia publica iuberet Petrum mutilari, ex iustitia vendicativa.

207. Quæres 3. num ante accusationem debeat præcedere secreta monitio.

208. Respondeo, quòd quando crimen potest probari iuridicè, saltem semiplenè, non tenetur accusator adibere secretam monitionem; finis enim accusationis non est emendatio tantum delinquentis, quam eiusdem punitio ad bonum publicum; ad differentiam denunciationis Evangelicæ, quam si denunciator probabiliter putet emendatum iri, fraterna admonitio debet ex iustitia præire, quia eius finis est emendatio. Advertò tamen quod quando, ex accusatione plus extimatur damni eventurum Reo, quàm boni communitati, non est ante fraternam monitionem denunciandus, vel accusandus. Cessat enim finis, ob quem, ante fraternam monitionem potest quisque reum accusare.

209. Quæres 4. ob quibus causis possit accusator desistere ab incepta accusatione.

210. Respondeo, si depræhendat se errasse accusando, vel incipit ei res esse dubia, vel si cognoscat, se probare non posse. Item si Iudex accusationem refutet, vel admissam præscindat ob maius bonum sibi cognitum. Item in lite civili potest actor ab accusatione desistere, sivè per gratiam, sivè per transactionem, dummodo eventus Belli, vel sit certus pro actore, vel saltem dubius pro utraque parte, nisi actio sit famosa, ut furti, & tunc non potest ab accusatione desistere per transactionem, sine Iudicis auctoritate, aliter erit infamis. In causis verò criminalibus, ante litem inchoatam licitum est desistere ex gratia, post litis inceptionem minimè, sine Iudicis licentia, & consensu rei, nisi fuerit infamatus, & tormentis subiectus. Exceptis casibus, quibus occusare tenetur; Item in crimine publico capitali, licet ab accusatione desistere, per translationem, præter quam in crimine adulterij, ante accusationem sine Iudicis authoritate, post accusationem autem, cum ipsius licentia. In criminibus denique privatis standum est legibus particularibus, & consuetudinibus locorum.

211. Quæres 5. num Franciscus possit accusare delinquentem de iniuria sibi illata? Responsio est affirmativa; secluso odio, & vindicta, ad id tamen Franciscus iniuriatus non tenetur, iuxtà dictum Matthei, &c. *Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris.*

212. Quæres 6. Num teneamur aliquando accusare delinquentem ob aliorum utilitatem?

213. Respondeo affirmativè, quando scilicèt crimina sunt contra bonum communem, eo meliori bono, quo potest, nullo obstricto ad formam particularem, & obligationem de secreto servando. Item quando crimen est in fieri contra tertiam personam privatam, quando verò non est in detrimentum tertij; quamvis accusare possimus, si deest sufficiens probatio, possumus tamen adhibere fraternam correctionem: quod si in casibus,

 ubi

ubi urget obligatio accusandi, tenemur tantum ex charitate, & contra ipsam peccamus, non accusando, & per consequens non tenemur ad restitutionem damni; tenemur verò, si obligatio est ex iustitia, ut fiscalis, custos locorum, gabellarum, &c. Vtrum verò iste teneatur etiam ad pœnam solvendam, quam solvisset Reus, si accusatus fuisset: Negativa sententia probabilis videtur, sicut nec tenetur Iudex, non condemnando Reum, ad solvendam pœnam illam, quam solvisset si fuisset condemnatus.

214. Quæres 7. quænam personæ ab accusatione repellantur?

215. Respondeo, excommunicatos, proditores, pubblicos concubinarios, uxurarios, & quosquoque iure infames repellendos esse ab accusatione, præterquam in casibus exceptis, nempè hæresis, & lesæ maiestatis, quamvis eorum processus sit validus, nisi pars adversa contra illos excipiat. Subditi respectu superioris, filij respectu parentum, nisi fortè ob bonum communem, vel potius, quando faciunt propter odium. Item, ratione decentiæ status, Clerici repelluntur ab accusatione, maximè in casu sanguinis, præterquam in casibus supradictis, nempè hæresis, & lesæ maiestatis, & alia, quæ vergunt contra bonum publicum, aut privatum; dummodo præmittat protestationem canonicam, quæ ab ipso Notario, vel Iudice criminali monenda est ipsi Clerico, quia evenire potest, quod Clerici accusatores ignorent, quod accusando non intendunt pœnam sanguinis, sed solum bonum publicum, aut privatum, sivè alienum, vel proprium.

216. Et quia hæc materia de Clericis accusatoribus non est, ita transeunter tractanda, hinc est, quod aliquid aliud addere volo ad maiorem iudicium, sinceritatem conscientiæ, nec non ipsorum Clericorum, qui omninò ab hac re se deberent abstinere. Verum est, ut dixi supra, quod a legibus quamplurimi accusare vetantur, ut dixi, inimici C. *accusatoribus*, & seq. 3. q. 5. C. *suspectas*, & C. *omnes*, ead. q. C. oporteat de accusat. C. *meminimus*, & C. *cum P. Manconella* ead. titul. *Farinacc.* q. 12. n. 34. etiam reconciliati maximè de recenti C. *accusatores* el. *primo*

3. q. 5.

3. q. 5. C. *qui crimen*. 6. q. 1. iuncta *Gloss.* C. *accusatores* cit. *Farinacc.* q. 12. n. 41. qui verò inimici dicantur dictum fuit superius.

217. Vtqunque tamen sit de Clericis, loquendo de iure Canonico, permitti tamen videmus accusationes: immò statutum reperitur. Quod etiam illæ personæ, quæ sunt propter aliquam causam prohibitæ, accusare nihilominus prosequentes eorum, & suorum iniuriam ab accusando non solum non repelluntur, sed admittuntur ad accusandum 4. q. 6. C. *omnibus*, & C. *cum dilectus*, extra de accusat. facit textus in l. ij *tamen omnes* ff. eo titulo. Et Clerici, qui magis deberent attendere, quàm laici supra allegatis considerationibus, & regulis, minimè prohibentur accusare, si suam, vel suorum iniuriam prosequantur, ut d x . Est tamen in hoc advertendum, secundum Do. Abb. *cum P. Manconcella*, extra de accusat. quod aut quærimus, an Clerici possint accusare laicos, an verò ipsosmet Clericos? primo siquidem casu Clericus non potest (secundum cum) accusare laicum, ad vindictam publicam, etiam si non veniat imponenda pœna sanguinis, per C. *Sacerdotes* 2. quæst. 7. & est ratio, quia accusatio dicitur illaudabilis intentionis C. *si quis Episcopus* 2. quæst. 7. unde Clericus immiscere se non debet huiusmodi odiosis litigiis: item quia Clerici debent esse segregati, a vita, & consortio, ac amicitia, & conversatione laicorum, & ab istis debent differre habitu, verbis, incessu, & moribus (oh utinam istis temporibus Clerici, ut Clerici viverent: quia fortassis laici eorum exemplo eisent meliores) nam *morbida facta pecus totum corrumpit ovile*, & hoc est verum, si suam, vel suorum iniuriam non prosequantur, vel suæ Ecclesiæ, & tunc si pœna sanguinis non venit imponenda, potest licitè accusare laicum C. *cum sit generale* de for. compet. & in C. *prælatis*, de ho, in, vi & si veniret imponenda pœna sanguinis, etiam potest accusare laicum, prosequendo iniuriam propriam, debet tamen protestari, quod non intendit accusare, ut pœna sanguinis imponatur, ut C. *prælatis* de hom. lib. 5. quas duas prædictas conclu-

 siones

ſiones procedere debent, dummodo Clericus civiliter, non autem criminaliter accuſaverit in proſecutione ſuæ, vel ſuorum iniuriæ laicum, cum clericus nullo modo poſſit laicum criminaliter accuſare. Sic firmat *Archidiac.* in C. *experientia*, & in C. *Clericum* 11. quæſt. 1. inde per prædicta unica ſit concluſio; Clericis in ſua, vel ſuorum proſequendo iniuria civiliter tantum, licere accuſare, idem *Archediac. Laicos* 11. quæſt. 7. *gloſs.* & not. in verſic. *Laicos* in G. *Laicos* 2. quęſt. 7. ubi pluſquam ſatis ad propoſitum. *Franc.* Ant. Mona. Secundo caſu Clerici bonæ famæ, non ſolum poſsunt accuſare Clericos inferiores ſimplices, ſed etiam eorum ſuperiores, ut habetur in C. *ex parte*, & in C. *veniens*, & in C. *licet* extra de accuſat. ſi vero eſsent malæ famæ, non admittuntur, ut in C. *cum dilectus*, cum titulo, niſi in exceptis criminibus, quia in illis admittuntur etiam contra nos infamatos, & in hoc ſecundum eum differunt a laicis. Notatur tamen hic, quod quando Clericus vult accuſare, non debet dicere, ego accuſo N. ſed conquero de N. & ſic procedendo Clericus, etiam ſi certè ſciret, quod pœna ſanguinis eſſet reo infallibiliter imponenda, vel ſi ante conquęſtionem vel accuſationem pręceſſit iuridica proteſtatio, nullam irregularitatem incurrit, ut in C. 2. *extra de homicid.* in vi, & declarat Sand. in C. *poſtulatio*, eo titulo; ſed Sand. ibidem dicit hæc procedere, quando Clericus civiliter, vel criminaliter agens prætenderet intereſſe, & ſic iniuriæ ſatisfactionem ad formam iuris; quia tunc talis proteſtatio non relevaret, ita not. doct. in dicto C. 2. nec ſalvaret in foro conſcientiæ huiuſmodi proteſtatio, quia in corde haberet deſiderium pœnæ criminalis. Sic docet *Ant.* in dicto C. *poſtulaſti*, & *Imol.* in C. 14. col. *de poſtul. prælat.* & ſic etiam proſequitur *Francus* in dicto C. 2. unde concludo, quod Clericus non poteſt agere niſi civiliter ad emendam, nullo vero modo ad vindictam, &c. vide plura de hac re apud DD.

SUBSECTIO IX.

De Teste.

218. VSque modo sermonem feci de Iudice, & de omnibus eius requisitis, nec non de accusatore; nunc autem in præsenti nona subsectione, de Teste agam, circa quam materiam, plura dubia proponam, non ut Iudices doceam, sed ut illis oculos ampliores faciam.

219. Quæres 1. num necessario requirantur testes in iudicio externo, ad hoc ut Iudex proferre possit sententiam.

220. Respondeo. Certum esse non posse iudicium ferri, nisi per scientiam publicam. Publica autem scientia habetur, vel per confessionem rei in iudicio, vel per depræhensionem rei in fragranti crimine factam per Iudicem, & quatuor alijs; vel denique per testes omni exceptione maiores, qui quidem modus ultimus est via ordinaria procedere; quapropter,

221. Quæres 2. quot, & quales testes requiruntur ad aliquod delictum probandum?

222. Respondeo, quod ad iudicium ferendum, prætermissis casibus levioribus, in quibus unius testimonio, qui etiam vices accusatoris gerat, fertur iudicium, ut accidit in ijs, qui ligna sylvarum furantur, qui puniuntur solius custodis denunciatione, & testimonio; & scolares puniuntur in scolis, delatione unius censoris, vel exploratoris. In gravioribus autem delictis sufficiunt duo testes. Iuxta illud Evangelij dictum, *in ore duorum, vel trium stat omne verum*. Verum est, quod isti duo, vel tres testes debent esse omni exceptione maiores. Quales autem sint testes omni exceptione maiores, qui testes integri appellari solent, & testis ille, qui fide dignus, iuratus, de facto, ipso, de visu deponit, sive de scientia, & causa scientiæ ac de auditu in ijs, quæ solo auditu percipi queunt, sive de alio ensu corporeo, itaut concludat, de tempore, & loco alijsve circumstantijs substantialibus, & cui nulla obiectio, aut exceptio

opponi

opponi poteſt; itaut à teſtimonio ferendo nullo modo repelli poſsit, aut eius depoſitio infirmari C. *licet*, de teſtibus, *gloſſ.* & *Abb.* item in C. *at ſi Clerici* de iudicio, & C. *denique*, de exceptione. *Decius* conſ. 429. *Clarus* quæſt. 21. verſ. unus tertij. *Pegna* comm. 120. in 3. par. direct. inquiſ. verſ. voco autem. *Farin.* quæſt. 61. num. 1. & ſeqq. Cum autem difficilè ſit unum teſtimonium pervertere, difficilius erit pervertere duos, & difficillimum tres, atque adeo, etiam difficile erit, ut uniformiter idem tres teſtificare habeant abſque ulla variatione: quando ergo duo, vel tres teſtes habent conditiones ſupradictas, vocantur teſtes omni exceptione maiores: quapropter advertendum eſt, quod teſtis ſingularis omni exceptione maior, quamquam non plenè probet, facit tamen ſemiplenam probationem, ut dixi in antecedentibus, cum de inditijs, & hoc etiam in criminalibus, l. *admonendi* ff. *de iure iurando*. *Bartolus* ibid. n. 36. & communiter Doctores, *gloſs.* n. l. *bonæ fidei C. de rebus credit.* & ibidem *Baldus* cum alijs DD. *gloſs.* in l. 3. C. ad l. *Iulia maieſtatis*, & ibid. communiter DD. quos refert, ac ſequitur *Ant. Gomez* tom. 3. var. reſol. cap. 12. num. 2. circa finem, *Zabar*, conſ. 9. n. 7. *Iaſ.* in 2. lect. n. 9.2. & alibi. Immo talis teſtis ſingularis omni exceptione maior, etiam ſi nulla alia indicia ſint, ſive levia, ſive gravia, facit indicium ad torturam. *Rom.* conſ. 451. n. 4. *Gomez* ubi ſupra cap. 13. n. 7. *Carrer.* in practic. crim. n. 110. verſ. 1. maius indicium. *Clarus* loco cit. & q. 22. verſic. unum tamen. *Farinaccius* q. 37. n. 54. & 58. teſtis iſte ſingularis, quoties nullum contra ipſum excipere habet, ſi ſit in dubium, an ſit omni exceptione maior cenſendus eſt talis, probat *Curt.* conſ. 56. quia quilibet præſumitur bonus, dum de contrario non conſtat. *Innocentius C. dudum*, el. 2. de electione. *Abb.* ibidem *Felin.* in C. fin. n. 11. de præſump. Cæſar. de *Graſſ.* deciſ. 173. n. 7. ex l. *merito* ff. *pro ſoc.*

223. Quare miror de aliquibus ſuperioribus, qui etiamſi notum ſit, ſacerdotes profeſsos habere tres annos profeſſionis, & contra eos non fore proceſsus, ex quibus poſset conſtare de moribus

ribus malis, adhuc nolunt, ut dent suffragium in electionibus faciendis in Conventibus pro Superioribus Conventualibus, nisi declarat prius, illos habiles, & hoc puto, quod faciant, solum, ut habeant Correctores, &c. secundum suam voluntatem, non secundum Deum, non enim est indigentia huius declarationis, quia in regula non reperitur, neque in Statutis Capitulorum generalium, prout vidi, quia satis est, ut ostendant fidem suæ professionis, & quod non sit, qui contrarium ostendat, nempe illum non habere tres annos professionis, nec quod non sit sacerdos, & non habeat tres annos professionis, & non vixerit laudabiliter, nam bonus regulariter, ut dixi supponitur nisi de contrario constet, ut per leges citatas in antecedenti n. 215. in fin. & hoc quod non laudabiliter, Frater N. vixit, debet ab excipientibus probari probatione, luce meridiana clariore, & in continenti, aliàs opponentes puniendi sunt, tamquam calumniatores.

224. Quæres 3. Quinam sint testes idonei, qui vero minus idonei? Dico, quod idonei sunt illi, qui ad testimonium ferendum admittendi sunt; minus vero idonei dicuntur illi, qui a testificando possunt repelli, excipiendo reus scilicet contra illos, vel ex natura rei, vel ex iuris dispositione; quinam vero sint, qui iure repelluntur, multi ex istis notantur a *Lessio*, & *Bonaccina*, de legib. disput. 10. q. 3. punct. 2.

225. Sed ad maiorem claritatem, hic aliquos recensere volo. Primo inimici c. *accusatores* el. 1. & duobus sequent. 3. q. 5. c. *omnes* ead. q. c. *cum oporteat*, & c. *meminimus* de accus. auth si dicatur c. *de testibus*. *Bartolus* in l. *filius fam.* n. 6. ff. de donat. *Farinacc.* q. 12. n. 35. & q. 53. n. 3. & hoc etiam in criminalibus exceptis, c. *persuas.* de simonia, *Bartolus* in l. inquæstio st, ad l. *Iuliam*, *Marsil.* cons. 20. n. 27. *Cravett.* cons. 9. n. 60. *Rolan.* cons. 20. n. 27. Thom. *Gam.* cons. 43. n. 18. immò etiam in crimine violatæ Religionis. *Paris.* cons. 2. n. 61. lib. 4. qui n. 64. addit iure gentium inimici testimonium repelli, ego vero libenter dicerem, quod iure etiam naturali repelluntur, *Argum.* c.

quod

quod suspecti 3. q. 5. & nedum inimici veri, sed & quocumque modo præsumpti, *Iason.* cons. 167. n. 8. lib. 4. *Marsil.* cons. 15. n. 7. *Gram.* cons. 12. n. 2. & 3. cons. 45. n. 17. & seqq. cons. 58. n. 9. *Menoch.* lib. 1. de arbitr. Iud. quæstio q. 28.

226. Etiamsi ex causa minus probabili inimicitia hæc ipsa proveniat, argum. c. *veniens*, el. 2. de sponsali, & ibi Antonius *Butrius*, *Alex.* cons. 99. num. 3. lib. 2. *Menochius* loco cit. *Farin.* q. 53. n. 20. immò descendentes ab inimicis repelluntur, a testimonio ferendo, l. *athetlæ*, §. *dat remissionem*, ff. *de excus. tut.*

227. Consanguinei accusatoris, 3. q. 1. c. 1. & c. *accusatores*, el. 3. *ead. qua.* Collaterales accusatoris usque ad quartum gradum, *argument.* l. *cornelia*, §. 1. ff. *de Iniur*, *Mars.* in l. 1. §. præterea n. 105. ff. *de quæst.* familiares accusatoris, 3. q. 5. c. 1. Qui verò sint familiares, videatur *Glos.* in c. *in literis* de test. *Farinac.* 30. q. 53. n. 36. Item Criminosi, c. *testes* 2. q. 7. c. suspectos, & c. *constituimus*, 3. q. 5. *Farinac.* q. 56. num. 128. & seq.

228. Excludendi etiam sunt omnes illi, qui de domo Iudicis prodire habent, c. *fin.* 4. q. 4. *Iunct.* *Glos.* *argum.* causam de officio delegat. & l. *qui iurisdictioni*, ff. de *Iurisdict.* omn. Iud. sicut excluditur, qui de domo prodit accusatoris in c. *literis* de test. l. *pan.* ff. ead. Necnon Conspiratores, c. *omnes* 3. q. 5. Dominus adversarij etiam sic Glos. c. *accusatores*, el. 3. q. 5. *argument.* c. causam cit. de officio delegat. etiam excludendus est a testificando, ille, qui aliquando falsum dixit, c. *constituimus* 3. q. 3. *argument.* c. *semel malus*, de regul. Iuris lib. 6. *Farinac.* q. 56. n. 186. & sequent. sicut, qui non sunt bonæ conversationis, c. *suspectos* 3. q. 5. Non sunt admittendi Laici contra Clericos 2. q. 7. c. *nullus*, & seq. c. *Beatus* 6. q. 1. c. *Sacerdotes*, ea. q. c. 3. 11. q. 1. c. *de cætero*, de test. c. *cum P. Manconcella* de accus. Neque Clericus contra Laicum in Criminalibus, sic firmat *Farinac.* q. 61. n. 59. Mulieres si non sint plusquam vitę probatę, c. *mulierem* 33. q. 5. c. *forus* de verb. signif. Iuncta Glos. *Navarrus* consil. 5. de accusat. Infames, c. *testes* 2. q. 7. c. *constituimus* 3. q. 5. c. *Beatus*, & seq. 6. q. 1. *Menoch.* lib. 1. q. 27. spurij etiam

repellen-

repellendi ſunt à teſtimonio, cùm infames ſint, *Farin.* q. 56. num. 400.

229. Repellendus eſt etiam à teſtificando, accuſator contra accuſatum c. 1. & 2. 4. q. 4. & c. *multi* 2. q. 1. Accuſatus Criminaliter nisi in exceptis, c. *fin.* de teſt. argum. teſtimonium ead. titulo. Sicut nec teſtificare poteſt Iudex contra iudicandum ab ipſo c. 1. & 2. 4. q. 4. ut Advocatus contra principalem adverſarium ſui clientis. Conteſtes §. teſtes 4. q. 3. *Farinacc.* q. 60. n. 155. quod idem valet de procuratore, prout habetur in c. *inſuper*, de teſtibus in fin. Farinacc. ibid. q. 60. nu. 196. ſicut etiam, & ſollicitator excluditur, & adminiſtrator negociorum. Tutor in cauſa ſui pupilli. *Geſtor* l. fin. ff. de teſtam. *Farin.* q. 60. n. 261. & ibid. n. 262.

230. Repelluntur etiam a teſtificando ſocij criminis c. *veniens*, el. 1. de teſt. c. 1. de conf. l. fin. c. de acc. *Novarr.* conſ. 3. de accuſ. n. 2. conſ. 5. n. item 2. eod. titul. tom. 2. verum eſt, quod præſumptionem faciunt, ac indicium, & in mulieres, c. *quoniam aliqua*, iuncta gloſs. de teſtibus, & c. *ſignificaſti*, de adulter. *Cinus* in l. ultima c. de accuſ. *Panorm.* c. 1. de confeſſis cit. *Clarus* lib. 5. §. fin. q. 21. verſ. dictum ſocij *Farinacc.* q. 43. n. 146.

231. Quare fit. ut omnes illi, qui excluduntur ab accuſatione, excludantur etiam a teſtificatione c. 1. 4. q. 2. *Argum. Deuter.* 16. dicto c. *accuſatores* el. 1. c. *ſuſpectos*, *conſtituimus*, & *omnes* 3. q. 5. c. 1. & 2. 4. q. 4. c. *de cætero* de teſtibus in principio c. *cum oporteat*, iuncta gloſ. verſic. inimicus de accuſat. §. tertio videndum, ver, & nota *Fallerius* in practic. crim. canon. verſ. accuſatione porrecta c. 4. n. 3. & ſicuti infames iure naturali a teſtimonio repelluntur, ita etiam ab accuſatione c. *alieni*, 2. q. 7. c. *conſtituimus*, & præcedenti, & ſeqq. 3. q. 5. *Farin.* q. 12. n. 17. & ſeqq. quare miror, quod hodie ſatellites, & meretrices ad accuſandum admittantur indifferenter, nam non licet proiicere lapidem in alium, qui non eſt ſine peccato, hoc eſt de iure Divino, Ioannis 10. & Pſal. 81. habetur pro Iudicibus: *Vſquequo faciem peccatorum ſumitis?*

232. Advertè unum maximè considerandum, nempe, quod sive inquisitio formetur contra certum genus personarum, sive generaliter contra aliquas personas nominatim, semper debent testes recipi parte citata, & si aliàs videatur *Abb.* sentire, eius dictum procedit, & habet locum, quando inquiritur ex delegatione Summi Pontificis super statum Ecclesiæ suæ, tàm in capite, quàm in membris: nam tunc verum est, quod dicit D. *Abb.* & ita loquitur ille text. & ratio est, quia tunc proceditur manu regia, & non datur libellus, nec fit litis contestatio. ut extra de text. c. *cum olim*, proceditur enim tunc de plano, sine strepitu, c. *olim* extra de accus. Procedit etiam, quando non inquiritur, principaliter, & specialiter ad pœnam; sed quando agitur specialiter contra personam, aliquo inquisitionem promovente, vel non tunc proceditur ordinariè facta litis contestatione, datis defensionibus, & copia dictorum, nomina testium, argument. c. *qualiter*, & *quando*, extrà de accusat. cl. 2. secundum speculum in titulo, de inquis. §. viso igitur n. 4. & 5. &c. quando enim, ut ad rem propositam revertar, proceditur per inquisitionem per Iudices delegatos super statu monasterij, tunc partibus præsentibus his, qui prosequitur proponit, qualiter monasterium est infamatum apud bonos, & probos viros super talibus criminibus adeo, quod hæc infamia pervenit ad aures superioris, frequentibus clamoribus, unde instans petit, ut superior procedat manu regia solum Deum præ oculis habens, & sine personarum acceptione, &c. iuxta regulam traditam a Petro Fallerio in sua Pract. crim. canonica pag. mihi 86. & 87. a n. 59. apud ad 60.

233. Quæres 4. num Iudex Ecclesiasticus cogere possit testes ad testificandum, sive dponendum in causa criminali, tàm laicos, quam Ecclesiasticos, & an quilibet sit obligatur testimonium ferre?

234. Respondeo 1. secundum Theologos, & deinde quid secundum canones dicendum sit in hac re, & primo *Alexander* de *Alex.* in sua summa p. 3. q. 3. titul. de testi articulo inquit, quod aliquando confessio veritatis requiritur ad purgationem innocen-

tiæ, aliquando ad correctionem culpæ, aliquando ad condemnationem personæ, & aliquando ad recuperationem rei suæ. Primo casu, si pro defectu, si pro testimonio veritatis condemnaretur innocens pro nocente, tunc tenetur quilibet testificare, stante illo præcepto; *erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur in interitum liberare necesse*: Proverb. c. 24. similiter in secundo casu, cum agitur de correctione, ut coram Iudice Ecclesiastico, tenetur similiter quilibet ferre testimonium, quia quilibet tenetur pro loco, & tempore ad correctionem fratris sui, ex præcepto Christi Domini Matth. c. 18. & istis casibus, ut dixi, tenetur quilibet testimonium ferre. Intentio autem casu, in quo agitur de condemnatione, ut coram Iudice Ecclesiastico, agendo de pœna sanguinis vel causa criminali coram Iudice laico, Clericus non testificari, immò illi omnino prohibetur; & sic intelligendus est canon. B. *Fabiani* 2. q. 7. quare Clerici omnes excluduntur ab accusatione sæcularium, sicut, & sæculares ab accusatione Clericorum, &c. unde addo textum in c. *testimonium* 11 q. 1. *Abb.* in c. de cætero *1.* not. extra de testibus, *Franc. Ant. Mona*: item in 4. casu, ubi periculum pæcuniæ, vel possessionis sacerdotes requisiti a Iudice Ecclesiastico ferre testimonium tenentur, & similiter quælibet persona, ubi propter defectum probationis res proximi amitteretur; aliàs verò non tenentur. Sic firmat *S. Thomas* 2. 2. q. 70. art. 1. ubi dicit, quod aliquando requiritur testimonium alicuius subditi authoritate superioris, cui in his, quæ ad iustitiam pertinent, obedire tenetur: non est dubium, quod ad testificandum teneatur, in his, quæ secundum iura legitima ab eo testimonium exigitur, nempe in manifestis, & alijs, de quibus fama præcessit, in alij autem non tenetur, nempe in occultis, & his, de quibus fama non præcessit.

235. Quæres 5. an Iudex possit testes compellere ad testimonium ferendum?

236. Respondeo, quod dantur casus, in quibus testes non possunt compelli ad testificandum. Videatur *Fallerius* in sua

practica criminali canonica pag. mihi 97. n. 15. *Baldus* tamen, & *Felin.* cum ipso dicunt in c. delictorum, quod est in arbitrio Iudicis etiam de iure canonico compellere, vel non compellere testes: nam si testi immineret magnum periculum, non debet Iudex illum ad testimonium ferendum compellere, è contra vero, si testi minimum, vel nullum pæriculum imminent, & hoc ob favorem Reipublicæ, ne scilicet delicta impunita remaneant, ita *Geminian.* firmat in tract. de testibus n. 40. 13. q. 1. c. quamquam, & hoc etiam non solum est verum in causis civilibus, verum etiam in spiritualibus c. 1. *de testibus cogendis*: & si aliqui dicant, quod testes in causis, &c. sunt monendi, non vero cogendi, ego dico, quod, & monendi, & cogendi sunt, & ostendo ratione; nam imponentes collectas Clericis sunt monendi, ut desistant, a tali collectione, & impositione collectarum, & si non desistant moniti, non sequitur, quod non sint cogendi ad desistendum per censuras, &c. ut habetur textus in c. *non minus*, extra de immunit. Eccles. verum est, quod prius debet præcedere monitio, & deinde compulsio c. *sacro* extra de excommunicationis sententia & 24. q. 3. c. *de illicita*, & alibi in infinitis locis.

237. Quæres 6. num, & quando testes testificare teneantur & veritatem fateri?

238. Respondeo, quod Iudex legitimè procedens, & interrogans, tenetur testis dicere veritatem; tunc autem legitimè interrogat, quando quærit a teste, ea, quæ aliàs dictus testis, tenebatur, vel saltem poterat, iudici iudicialiter deferre: unde cum proceditur via inquisitionis simpliciter, tenetur denunciare non solum peccantes contra bonum publicum, & tertij innocentis, dum imminet periculum, verum etiam transacto peccato, dummodo auctor sit diffamatus. Item quando proceditur via accusationis, denunciationis, & quærelæ, tenetur testis vocatus veritatem dicere, etiam si ipse solus delictum sciat, ut probabilius putat *Bonaccina*, ubi supra citatus, cum *Azzorio*, *Valentia*, *Clavi Regia*, & alijs, ut cum de Iudice amplexi sumus.

Non

Non tenetur tamen testis veritatem dicere contra eum, quem audivit in confessione, vel a quo accipit sub sigillo confessionis, aut sub sigillo secreti, vel gratia consilij, & auxilij, nisi propter damnum imminens Reipublicæ, vel innocentis, non tamen licet unquam sygillum sacramentalem violare, etiam si aliàs averti non potest, etiam si sibi, & suis grave damnum immineat, unde in his casibus est iuramentum præstandum cum restrictione, & si fortè factum sit sine restrictione mentali, &c. non tenetur illud servare, quia eius servatio est peccatum.

239. Quæres 7. utrum aliquando alicui liceat se offerre ad testandum?

240. Respondeo affirmativè, nempe quando eius dictum est necessarium ad evitandum damnum proximi: verum est, quod tunc tenetur tantum ex Charitate, non vero, ex iustitia; unde si non testificatur, non tenetur ad restitutionem, sicuti si non se offerat.

241. Quæres 8. utrum, qui fugit, vel qui se abscondit, ne citetur a superiore ad testimonium ferendum, peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem.

242. Responsio pro me est negativa, quia nemo contrahit obligationem ex mandato superioris ante impositionem præcepti; ergo, &c. qui vero post citationem fugit, vel aliqua fraude utitur, ne ferat testimonium, peccat quidem contra obedientiam, non autem contra iustitiam; post vero iuramentum de veritate dicenda tenetur ex iustitia, ratione promissionis ad puram veritatem dicendam.

243. Quæres 9. num testis ratione falsi testimonij, teneatur ad restitutionem.

244. Respondeo, quod si adhibita omni diligentia, quæ ad debitè testandum requiritur, in advertenter, vel ex alia causa excusante a letifero peccato, dixit falsitatem perniciosam, non tenetur ad restitutionem. Secus vero, si advertenter, & ex crassa ignorantia, nisi forte ipsius dictum latum fuit post quam delictum iam erat sufficienter probatum. Quapropter, qui ex adver-

advertentia falsum dixit testimonium, nisi remittat pars, tenetur se retractare, cum quocumque evidenti periculo; similiter qui alium inducit ad falsum testificandum; melior enim est conditio innocentis.

245. Quæres 10. utrum testis ad restitutionem teneatur, si ad ferendum testimonium aliquid accepit?

246. Respondeo, si pro vero testimonio ferendo accepit, non tenetur ad restitutionem, etiam si aliunde obligationem testificandi verum, nempe ex sola Charitate, haberet, non aute ex titulo iustitiæ, ut supra dixi, ad ferendum falsum testimmonium, tenetur quidem ante factum, post factum vero minimonisi ad damnum illatum illi, contra quem falsum dixit testimè, nium. Potest autem absque ullo peccato recipere expensas po lucro cessante, & damno emergente, dum extra domicilium proficiscitur ad dicendum testimonium.

247. Quæres 11. num Iudex debeat stare, primo, aut secundo dicto testis dum testis ipse, sibi contrariatur?

248. Respondeo, standum esse dicto prolato in iudicio, & si utrumque dictum sit in iudicio, standum est primo, modo secundum non proferat iudicialiter cum iuramento in articulo mortis

249. Quæres 12. cuinam potius credendum sit testi, an notario, si testis dicat se aliud dixisse, quàm notarius scripsit? Respondeo, notario, magis credendum est, in favorem namque ipsius stat præsumptio, cum sit persona publica, & a Principe approbata.

Vsque modo locutus fui de teste, ut sic, at quia testes sunt diversæ speciei, idcirco, de speciebus testium dicam aliqua, siuibus hanc subsectionem terminabo. Sunt namque testes, alij singulares, alij varij, alij discordantes, alij obscurè, ambiguè, & confusè loquentes, alij deponentes de credulitate; alij vacillantes, alij falsum dicentes, & alij dicuntur testes omni exceptione maiores, de quibus ultimis iam dixi quantum satis erat pro hac materia, &c. de alijs breviter discurram pro necessitate ad iudicium.

250. Te-

250. Testes singulares illi nuncupantur, qui super diversis factis deponunt, ita quod etiam si multi sint, tamen quilibet in suo dicto singularis est, v. g. unus deponit, Fulanum comisisse furtum, alium, adulterium comisisse, alium, homicidium, &c. vel unus dicit homicidium fuisse commissum hora 10. noctis, alius, die iuris valde mane, alius hora meridiana, &c. & tales testes nihil probant c. *licet* de probationibus, *Panorm.* in c. bonæ el. 1. de elect, *Marsil.* cons. 1. n. 25. *Dom. Satus* de iustitia, & iure q. 7. art. 2. Paulus a *Castro* cons. 137. in fine, & cons. 151. similiter in fine lib. 2. *Farinaccius* q. 64. n. 37. & seqq. *Clarus* q. 53. vers. dixi etiam. Franc. *Pegna* comment. 121. vers. omissa igitur in 3. par. direct. inquisit. unde isti testes nihil probant, & præcipuè in criminalibus. Si vero de eodem delicto deponant, quamquam non concordent de loco, & tempore, faciunt saltem semiplenam probationem, dummodo sint isti omni exceptione maiores. Sic *Angelicus Doctor* 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. *Caietanus* ibidem. Dom. *Sotus* lib. 5. de iustitia, & iure q. 7. art. 2.

251. Testis vero varius dicitur ille, qui vel contraria deposuit, sive eodem examine, sive in diversis, vel primo per verbum credo, deinde assertivè testificatur; vel primo se nihil scire ait, postea de veritate facti deponit; vel primo testimonium affert, deinde se ita deposuisse negat; vel unum extra iudicium affirmat, postmodum contrarium dicit, sive aliud in iudicio asserere non veretur, vel unum asserit in iudicio, deinde illud revocat extraiudicialiter; quibus testibus minimè credendum est, *argum.* c. cum Ecclesia de causa possessionis, & proprietate. *Alexan.* cons. 20. n. 3. lib. 4. *Covarr.* lib. 2. var. resol. n. 8. *Clarus* q. 53. vers. quartus est casus, quod intelligendus est, si contrarium deposuerit circa factum principale, aut circa substantiales qualitates ipsius principalis facti, non vero circa extrinsecas, de quibus non attenditur, idem *Clarus* ead. q. vers. scias tamen. Si autem in diversis iudicijs contraria deposuerint cum iuramento, habeatur talis testis, ut periurus, & ut talis puniri debet, sic firmat DD. torrens; si autem in secundo iudicio, primum

dictum

dictum iuramento revocaverint, standum est secundo dicto, sic *Alexan.* de præsumpt. regula 2. præsumpt. 29. n. 7. & hoc dummodo ante triduum revocaverit, alios eius dicto minimè credi-tur, quia creditur subornatus. Cæsar de *Graf.* decis. 21. n. 11. vide plura de hac re apud *Ghislerium* de testibus de Iudice Regularium c. 17. pag. 112.

252. Testes discordantes dicuntur illi, qui diversa, vel contraria deponunt, quæ inter se comparari minimè possunt, quod evenire dupliciter potest, aut videlicet in testimonijs pro eadem parte examinatis, sive ad rei, sive ad actoris favorem, aut in testibus partium diversarum, quando videlicet testes pro actore examinati, a testibus pro reo examinatis dissentiunt in dicto. Si vero eiusdem partis testes inter se discordes fuerint, ex gr. aliqui dixerint delictum tali die fuisse factum, aliqui vero alia die, & de ipsius delicti, non iterabilis, vel iterati corpore constet, ex animi proprij motu, quibus credendum sit, Iudex ipse cognoscere debet; aut videlicet ex eorum numero, aut ex dignitate, &c. sic *D. Thomas* 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. Dom. *Sotus* lib. 5. de iustitia & iure q. 7. art. 2. qui dicunt, quod maior fides debet adhiberi illis, quibus verosimiliore testationes afferuntur, ut optimè confirmat *Cæpola* cons. 1. & 62. *Farinacc.* q. 65. n. 135. & seqq. verum est, quod contrarietates, quàm maximè concordandæ sunt. Cæsar de *Grass.* decis. 73. n. 5. & decis. 175. n. 23. & hoc est observandum, in variatione magni, non minimi momenti, quia in minimis eorum testimonium non debet infringi.

253. Testes vero confusè, obscurè, & ambiguè loquentes sunt, illi, qui dicunt, v. g. mihi videtur, forsan, non benè, &c. quare fit, ut dictum istorum pro non dicto habeatur, ut tenet *Farinacc.* q. 68. n. 1. *gloss.* §. in testibus, vers. simpliciter 4. q. 3. & in c. *qui Episcopus*, vers. simplicibus 23. dist. *argum.* c. *si testes* cit. concordat textus in l. *de atate*, §. *si interrogatus* ff. de interrog. action. quod & ipsa æquitas ad pleniorem innocentis defensam postulare videtur, argum. l. 1. §. *si quis ultra*, ff. de quæst. *Soccin.* regul. 498. in fallentia 6. 10. & 11. adverto tamen,

men, quod si Iudex, ita expediens, sive necessarium iudicabit esse, huiusmodi testes, iterum, atque iterum interrogare poterit, c. *cum clamor*, de testib. illosque ad clarè, distinctè, atque simpliciter deponendum cogere, si illos habere possit præsentes; si vero sint absentes, & proprium dictum interpetrari minimè sciat, in tali casu Iudex debet accipere sensum dicti illorum, qui delictum excludunt l. *si quis intentione* ff. de iudic. *Innocentius* in c. dudum de electio. Fr. *Pegna* comment. 111. in 3. par. direct. inquisit. vers. sed cum in istis; delictis enim in dubio præsum. non debet. Cæsar de *Grass.* decis. 39. n. 2. & maximè, si testes contra aliquem deponerent iuxta c. *cum sunt*, de regul. iuris in 6. in benigniorem enim partem interpetrandi sunt. *Farinacc.* q. 68. num. 45.

254. Testes de credulitate testimonium ferentes, dicuntur illi, qui nihil certi affirmant, sed solum per credo, & non credo deponunt, unde in simili casu consideranda est credulitas illa proxima, itaut ex illa facti veritas percipi possit, vel talis credulitas habeat causam rationabilem, certè probat v. g. si dicat: credo Fullanum cum Berta adulterium perpetrasse, quia utrumque vidi nudos se osculando, *argumentum* c. *præterea de testibus*, & l. si vicinis; c. de nupt. *Baldus* in l. 1. c. *de falsa causa* adiec. *leg* §. testium, vers. præterea, & in l. *sola vers.* 9. c. de testibus, *Abb.* c. quoties eod. titul. *Feliu.* c. inquisitionis, §. quęsivisti de accusat. *Farinacc.* q. 68. num. 74. 111. & seqq. si vero credulitas, est longe a verisimili, pro nullo habetur talis testis, quia nihil omnino probat. *Abb.* loc. cit. v. g. credo Fullanum cum Berta adulterium commisisse, quia eos vidi in via inter se alloquentes, nihil talis testis dicit. Immò regulariter testis de credulitate non valet c. *relatum* 5. q. 2. *l. testium* c. de test. *speculum*, 3. p. tit. de test. §. opponitur autem *Arg.* in *Auth.* hær. & falc. §. hinc. nobis n. 2. *Cæsar* decis. 76. n. 2.

255. Testis vacillans in dicto est ille, v. g. qui dicit, ibi, vidi, illos, immo illic, immo sic, vel similiter; si iste pro una vice tantum, dicat immò ibi, &c. quasi primum suum dictum

corrigens, non dicitur testis vacillans, & probat, l. *si ita ff. de hæred.* instit. non sic si replicaverit, immò ibi, vel immò tali, vel tali modo pluries, quia tunc non probat c. *si testes* 4. q. 2. & 3. & c. *cum Ecclesia*, de caus. possess. & propriet. verum est, quod propter huiusmodi vacillationem torqueri potest, ac debet, ut benè ostendit *Follerius* in sua practica criminali canonica vers. testibus diligenter examinatis cap. 8. n. 47. ac vers. tormentis mox subijciuntur c. 31. n. 12. & c. qui illi iuncta *glos.* vers. ut dum 5. q. 5. *Farinacc.* q. 63. n. 98.

256. Alij sunt testes, qui falsi testes dicuntur, & sunt illi, qui iuridicè interrogati veritatem nolunt fateri, sed illam negant, aut occultant, vel interrogati super certo articulo, dicunt, se nihil scire, quamquam certè sciant; vel qui iurarunt dicere puram veritatem, multa essentialia dicere nolunt, c. 1. *de crimine* falsi *Panorm.* ibidem *Farinacc.* q. 67. n. 220. & 228. Adverte, Lector, quod ad hoc ut aliquis falsus testis sit, & falsi pœnam incurrat, requiritur, ut dixi, ut sit interrogatus iuridicè a Iudice competenti, & iuramentum de dicenda veritate præstiterit, & hoc non obstante veritatem occultaverit, aut negaverit; dummodo non deficiat in essentialibus, non est dicendus falsus, si in facto principali benè currat; verum est, quod si testificatur falsum contra innocentem puniendus est pæna talionis l. 1. §. *præterea ff. de sicarijs*. Multis rationibus probat *Pegna* comm. 122. vers. sed in contrarium, & *Clarus* §. fin. lib. 5. q. 5. 3. vers. sed quæro *Farinacc.* q. 67. n. 112. & 139. Tenetur quoque falsus testis de damno per illius falsitatem sequuto, *glos.* in c. *Presbiterum* in *glos.* fin. de homicidio, *Toletus* lib. 5. instr. sacerd. c. 59. n. 2. in fine. Si vero falsus testis Clericus est, depositio, ac detrusio in monasterio est eius pœna c. *si Episcopus* 30. dist. *Archid.* ibid. *Panorm.* in c. 1. cit. de crimine falsi, vers. item quæro.



SVB-

SVBSECTIO XI.

De Reo.

257. CErtum est reum esse partem iudicij, atque adeo, sine reo iudicium fieri non potest, cum sit pars principalis iudicij, quare in hac materia, plura sunt ponenda dubia, atque cum Authoribus resolvenda, ergo.

258. Quæres 1. Quando nam reus teneatur veritatem aperire a iuridice interrogatus?

259. Respondeo, & deduco responsionem, ex iam dictis, quod reus, non servato iuris ordine interrogatus, non tenetur veritatem aperire; sic in c. *inquisitionis*, & c. *qualiter*, & quando. Vnde reum interrogando debet Iudex ostendere illi cum iuridicè interrogare, dando deinde copiam processus, cum nominibus testium, & cum nomine accusatoris, utrum autem iuridice interrogatus debeat reus veritatem aperire, & quamvis utraque pars habeat suos defensores, ego teneo, quod stante iuramento de veritate dicenda præstito, teneatur, ita *Angelicus Doctor* hic q. 69. art. 1. *Navarrus*, & alij, ratio est, quia Iudex iuridice interrogans habet facultatem obligandi reum, ut veritatem dicat, alioquin vana esset Iudicum potestas, *Innocentius* XI. Summus Pontifex Romanus ad presens, dicit in sua Bulla Innocentiana, quod contraria sententia damnata est; nec valet dicere, quod licitum est reo de carcere fugere, & quod non tenetur obedire Iudici, si illi præcipiat, ne fugiat, sicuti si rumpitur laqueus, & fugiat, vocatus, non tenetur ad laqueum redire, quia ijs iuribus non cessit, sicut cessit, in ratione tegendi veritatem, & delictum, dum iuramentum præstitit de dicenda veritate, quod enim semel placuit, amplius displicere non potest, l. *quod semel*, &c.

260. Quæres 2. num liceat reo, & advocato manifestare occulta testium crimina, ad labefactandum eorum testimonium?

261. Respondeo, numquam peccare contra iustitiam, reum & advocatum, sic operando, si illa crimina valeant ad infirmandum testium dictum, etiam si alia via adesset, talium dictum infirmandi: habet enim reus ius se defendendi quovis modo magis idoneo; testis enim dum testatur, videtur cedere iuri suo, & reo permittere, ut quovis modo se tueatur; quod si vi, non autem sponte, testetur, infamatio impunita illi, qui eum ad testandum duxit, sicuti qui ab alio armis invaditur, non peccat contra iustitiam illum occidendo, si non habet modum evadendi, mortem suam propriam probabiliter, etiam si ille alter non sponte, sed vi fuerit ad illum invadendum inductus, dixi (numquam peccat contra iustitiam) asserunt enim multi Doctores, quod peccaret contra Charitatem, quando scilicet causa rei non est magni momenti, crimen vero, quod essentialiter meretur pœnam criminalem maiorem: sed hoc limitandum puto, nisi sit tale, quod possit in aliorum exemplum iuridicè probari, & inditiari secluso odio, & vindicta particulari: idem dico, si alia suppetat via testem repellendi.

262. Quæres 3. vtrum reus peccet contra Iustitiam, dum accusatori, & testibus calumniæ, & mendacij notam impingit?

263. Respondeo, si crimen est occultum, ut iuridicè probari non possit, non peccat reus contra Iustitiam mendacij crimen, & calumniæ accusatori, & tesribus impingendo; videtur enim accusator iure in propriam famam spoliatus, cum ab alijs calumniatur, & mendax reputatur, non spoliatur propria fama, quia illa seipsum spoliavit, nudus enim vestibus spoliari nequit. Vtrum autem peccet mortaliter contra charitatem, nisi faciat exodio: Negativa sententia est probabilior, etiam si alia via possit se defendere; sicuti qui ex seipso cessit iuri suo in fundum suum, nullam recipit iniuriam ab eis, qui quotidie transeunt per illud, etiam si possint incedere per aliam viam publicam cum maiori commoditate. Item neque ijs peccant contra charitatem, secluso odio, & derisione proximi. Si verò crimen potest iuridicè probari, & indiciari peccat contra iustitiam, talis reus, & tenetur ad famæ restitutionem.

264. Vtrum autem, qui tantummodo negando veritatem in iudicio legiptimo, & implicitè impingit accusatori notam mendacij, teneatur extra iudicium ad restitutionem famæ? Quid, quid alij dicant, negativa pars mihi absolutè arridet, quia, vel crimen fuit plenè, vel saltem semiplenè probatum, aut nullo pacto; si primum reus ad nihil tenetur, quia inde accusator nullam infamiam contraxit, si secundum, ad nihil etiam reus tenetur, nullam enim reus impingit infamiam accusatori in sua negatione, vel pro tali habeatur apud omnes, eo quia non probavit.

265. Quæres 4. Num reus teneatur in conscientia obedire sententiæ, quæ falsis nititur testimonijs?

266. Respondeo negativè, ut patet ex supradictis de Iudice, & si non possit se defendere inferendo vim Iudici, aut ministris; quamvis sæcluso scandalo, dicunt etiam multi, posse etiam Iudicem, aut ministros occidendo, sicut qui invaditur à furioso, potest eum licitè occidere, si non habet alium evadendi modum; maiori ratione idem dico, si sententia sit essentialiter iniusta, procedens à Iudicis iniquitate, &c.

267. Quæres 5. An Reus negans veritatem in iudicio recto, & coram Iudice competenti; teneatur ad pænam, quam ipsi debebatur solvendam, quam ipse solvisset, si fuisset confessus?

268. Respondeo negativè, quia ad pænam non tenetur, nisi post sententiam (loquor in Criminalibus) tenetur tamen in Civilibus, quia si debebat Caio centum, & negavit debitum, tenetur semper dare Caio centum.

269. Quæres 6. quomodo se gerere debeat Reus, dum iuridice est condemnatus per sententiam Indicis in ordine ad pœnam solvendam.

270. Respondeo cum communi DD. opinione, & præcipuè ex Aversa 1. secundæ q. 96. sect. 4. teneri subire pænam, saltem passivè se habendo, non resistendo Iudici, aut ministris: in aliquibus enim pænis, vel privativis, vel positivis, tenetur Reus ad subeundam pœnam activè in se illam exercendo, ut sunt cen-

furæ ecclesiasticæ inhabilitates; pænam solvendi pæcuniam; exilij, egressus à civitate, secreta flagellatio, ieiunium aliquorum dierum, & similes leviores pænæ, quæ sunt talis naturæ, ut etiam, non expectata Iudicis sententia, aliquando iniunganțur iuxta superius dicta, & hos tenetur Reus post sententiam in seipso active exercere. In pænis verò atrocibus tenetur ad faciendum aliquas actiones, quæ solum per accidens, & remotè iuvant ad executionem pænæ, cum sint indifferentes ad varios effectus, ut sunt conscendere æqum, aut Asinum, vel currum, ambulare ad certum locum, ascendere scalam Patibuli, porrigere collum, non tantum ad actiones proximè tendentes ad effectus, in quibus pæna sita est, ut secare manum, seipsum iugulare, quæ actiones exerceri non possunt, nisi per eundem Reum, posteriores verò commodissimè per ministros; primæ verò præter quamquod nullam continent malitiam intrinsecam, nullamque involunt accelerationem necis, sed ut mors suaviori modo fiat, sicut executio Iustitiæ; alioquin maiori acerbitate, & vi duceretur ad supplicium, posteriores vero nimiam acerbitatem includunt, & consequenter non potest Iudex per sententiam reum obligare ad illas activè in se exercendas; videtur enim hoc excedere modum humanæ potestatis; non nego tamen, posse fortasse reum ex Iudicis concessione, vel ad evadendam acerbiora tormenta, vel ad exemplum fortitudinis, ut minister iustitiæ tales actiones contra seipsum exercere, sicuti licitè potest alius, uti de Bessarione Atheniensi, refert Plutarcus, qui cum minister, qui debebat per veneni poculum illi mortem dare; deficiente veneno, ipsemet Bessarim petijt duodecim dragmas ab amicis præsentibus ad illud emendum; & Iosephus Hebreus lib. 2. de Bello Iudaico c. 27. refert, quod cum ipse Præses esset Galileæ, iussit ut alicui reo ambas manus carnifex recideret, rogabat autem ille condemnatus, ut altera relinqueretur intacta; annuit eius votis Ioseph, sed cum hac conditione, ut abscindenda manus, ex se illam truncaret, quo audito reus ille, evaginato gladio sibi porrecto, ex seipso sibi manum amputavit.

271. Advertendum est tamen, non licere, si alio mortis genere est damnatus quis, antecedenter morte se prævenire, vel alio mortis genere se necare absque Iudicis sententia, & consensu.

272. Quæres 7. utrum condemnatus ad mortem, vel ad mutilationem membrorum, teneatur in conscientia, manere in carcere, vel si dubitat ad talem pænam condemnandum esse iustè?

273. Respondeo, probabiliorem esse partem negativam, quæ est *D. Thomæ* hic q. *69*. art. 4. qui sic ibi loquitur, *sicuti, qui damnatus est ad fame pereundum, non tenetur abstinere a cibis, si ab amicis illi deferantur, & damnatus ad bestias non tenetur ad illos non occidendum, si potest occidere; nec damnatus ad ignem non tenetur ad illum non extinguendum, si extinguere potest:* ita in casu nostro; immò fere omnes affirmant, reum fugere posse, etiam cum fractione vinculorum, & parietum carceris, & ad summum teneri ad restitutionem damni dati fisco, non tamen ad restitutionem damni ministrorum, & custodis, si quid mali per accidens illis sequatur: ipsis enim proprium damnum imputetur, quia ex officio tenentur adhiberi omnem diligentiam; non est tamen licitum cum pugna, & lexione ipsorum fugere reo (nisi quando reus suppositus esset innocens) ut alibi dixi, hoc enim esset facere resistentiam contra ius Reipublicæ, quare non potest reus in tali fuga secum custodem trahere, se tenentem, nec illum occidere, aut venenum illi præbere, aut res suas secum ducere, esset enim violentiam inferre iustitiæ.

274. Poterit tamen custodi carceris vinum oppiatum, sive somniferum porrigere, ad hoc ut in somno sepultus possit liberius fugam arripere, & se liberare, sic communiter firmant Doctores, nec tenetur ad damnum resarciendum creditoribus, vel alij, si ex fractura qua reus fugit, etiam alij quamplurimi fugiant; quia fuga illorum est per accidens, nec reus tenebatur illam impedire, culpa enim custodis est, qui tenetur in omnibus stare vigilans; ipse enim reus utitur iure suo, ut testatur Michael Solonius q. *69*. art. 4. idem dicendum est de condemnato ad perpetuam carcerem, vel perpetuo ad triremes, non autem sic,

si quis

si quis esset condemnatus ad tempus, hoc enim non ita res gravis habetur, ut ad ipsam obligare non possit potestas humana. De pœna autem exilij communis est DD. opinio reum teneri ad illam sponte subeundam: quia alia via exequi non potest, & si Lexius contrarium teneat. Non sic de pœna servitutis perpetuę, quando est valde gravis, idem dico, quod de perpetuo carcere; immò etiam quando est facilis, ut defendit mordicus Salonius supraciatus, unusquisque fugere potest, quia, inquit ipse, est eadem ratio de utraque, ac de milite capto in Bello.

275. Illi verò, qui sunt in carcere cum condamnato possunt illi consilium præbere, ut rumpat carcerem, & vincula, dummodò isti consiliatores non sint ministri potestatis publicæ, sic tenent Caietanus, & Sotus; quia id quod sibi licitum est facere, ab alio illi persuaderi potest, nisi ratione officij prohibitum sit consulenti, quomodo est prohibitum Ministris Iustitiæ, quia ipsi omni diligentia carceratos custodire debent, quare carceratum consulendo ad fugam, &c. contra Iustitiam Reipublicæ facerent, sicuti facerent contra eandem Iustitiam, illi Instrumenta ad frangendum carcerem porrigendo, possunt tamen non ministri, dummodo talia Instrumenta non sint arma offensiva Ministrorum, non enim est licitum auxilium dare carcerato in ijs, quæ per seipsum licitè facere non potest.

276. Potest tamen Iudex tùm ipsum reum fugientem, tùm consiliatores, illius ad fugam, si præ manibus habeat, & iuvantes illum punire, saltem aliqua pæna arbitraria; hoc enim spectat ad tutamen, & custodiam carcerum, sicut & vinculorum fortitudo, quæ ideo sunt ferrea, & non stuppea. Quod si reus iuravit prius se in carcere permansurum, non poterit licitè fugere, similiter, si ad exeundum licentiam obtinuit cum iuramento iuridico redeundi incarcere, redire tenetur vigore iuramenti, etiam si sententia lata contra ipsum inixa esset in falsis testibus, dummodo non sit iniqua ex parte Iudicis; quia hoc ultimo dato, nempe quod ex parte Iudicis sit iniqua, non tenetur, non fugere, nec redire, non obstante iuramento præstito, & hoc

absque

absque peccato letali, aliàs esset dare ansam Iudici peccandi letaliter, ad quod impediendum reus, ex Charitate tenetur: undè illud iuramentum in tali casu non obligat.

277. Quæres 8. utrum liceat reo per appellationem debilitare iudicium?

278. Respondeo cum Maldero de iustitia, & iure, tract. 6. c. 3. dubio 4. certissimum esse, licere quandoque appellare, a sententia Iudicis, & maximè quando sententia continet in se iniustitiam; appellatio namque est de iure naturæ, item est de iure positivo, tàm ecclesiastico, quàm civili, & hoc ad innocentiæ refugium, non ad malitiæ suffragium. Quæ quidem appellatio duplex est, nempe iudicialis una, extraiudicialis altera; prima est ab inferiori ad superiorem Iudicem, iniquæ sententiæ ratione provocatio, & iudicialis appellatur, quia fit in iudicio ipso. Secunda appellatio est ab inferiori Iudice ad superiorem præsentis, aut futuri gravaminis ratione provocatio, & extraiudicialis vocatur; quia extraiudicium fit, ut in electione c. *constitutus*, de appellat.

279. Appellare uniquique licet absque peccato, ut dixi; quotiescunque se a Iudice iniustè fore gravatum cognoscit. *Argum.* c. *omnis oppressus* cit. 2. q. 6. Div. *Thomas* 2. 2. q. 69. art. 3. *Tobien.* verbo appelatio n. 7. *Angelus* ver. eod. n. 15. & efficacissima ratione hoc probatur ab Angelico Doctore loc. cit. & a *Sayro* in Clavi regia lib. 12. c. 17. n. 31. quod si causæ differendæ, sive protrahendæ gratia, aut iustæ sententiæ repellendæ, cum de illius iustitia constat, sive ad iudicium quis appellet, peccatum committit, & si ex huiusmodi appellatione adversarius gravetur, aut illi grave detrimentum inferat, ad restitutionem tenetur, *argum.* c. *quocunque*, & c. *omnino* 2. quæst. 6. cit. *Angelus* ubi supra cit.

280. Et hoc est verum etiam ante sententiam, c. *ut debitus* de appellatione, & c. *non ita* 2. q. 6. *glos.* c. 2. ead. q. *Navarrus* cons. 1. de appellat. num. 1. *Menochius* lib. 1. de arbitr. Iud. contr. 5. cas. 490. etiam post Concilium Trident. sess. 13. c. 1.

de reform. in causa visitationis, & correctionis iuxta causam expressam, *Navarrus* loco cit. n. 3. ex c. *Romana*, de cens. §. si autem naturalis ratio cuique, suadere videtur seipsum eo meliori quo potest, modo tueatur; quare se iniustè gravatum, vel gravandum sentiens, quis ad superiorem Iudicem provocare potest, ut hoc pacto, se suaque servare queat. Nec appellans facit iniuriam Iudici, etenim utitur iuri suo, l. *non videtur*, ff. de regulis iuris; sibi namque imputet Iudex, quem proximum gravare minimè pudet, undè concludo, quod appellare licet, sive per se, sive per alium a sententia iniusta, vel quod iustè timetur, quod Iudex iniustè illam proferendam sit.

281. Et quia duplex est sententia, alia nempe definitiva, & alia interlocutoria, de utraque aliquid dicam. Definitiva sententia vocatur illa, qua iudicium ipsum terminatur, nempe qua quis condemnatur, vel absolvitur. Interlocutoria vero illa dicenda est, quæ causę ipsi interponitur; ut v. g. cum Iudex iustas, & rationabiles rei exceptiones nequaquam admittit, reum iniustè torqueri, vel non audiri, legitimas defensiones eidem non esse tribuendas, & è converso decernit, cum accusatorem legitimum, illegitimeve; testes idoneos, vel non idoneos, huiusmodivè alia in causæ progressione contingentia determinat, sive declarat.

282. Verum est, quàm in causa violatæ fidei divinæ non datur appellatio, etiam a sententia definitiva, & hoc ob fidei Chatholicæ favorem, ac odium Hæreticorum, ne iudicium protrahatur. *Pegna* in director. inquisit. loco supra cit. comment. 31. vers. sed hæc dubitatio.

283. Tempus autem appellationis decendium est, nempe intra decem dies a die latæ sententiæ, c. *anteriorum* 2. q. 6. ratio est, quia tot dies ad deliberandum cuique lex iudicavit sufficere, & esse necessarium. *S. Thomas* 2. 2. q. 69. artic. 3. *Valentia*, nifallor, comment. tom. 3. Theolog. disput. 5. quæst. 13. punct. 3. *Tobien.* verbo appellatio n. 3.

284. Ve-

284. Verum est, quod si reus est absens a loco, ubi sententia profertur, & absentia, est ex rationabili causa, terminus decem dierum currit, a die notificationis sententiæ, & non antea; c. *quomodo*, & *quando* Iudex l. *ab eodem* ff. *de appellationibus* l. 1. §. fin. *Tobien.* loc. cit. & intra isto termino semper provocare potest, etiam die feriata. *Tellinus* c. cum M. *Ferrariensis* de constitut. vers. secunda conclusio n. 32. *Baldus* in l. 1. c. *de ferijs*, &, hoc, de nocte fieri posse, docent idem DD. & quia appellans debet habere Apostolos, seu appellationis, nempe literas dimissorias, intra dies triginta, a Iudice, a quo provocavit petere debet, ad Iudicem, ad quem appellavit directas, aliàs hoc tempore peracto, si illas non petijt, supponitur cedisse iuri suo, c. *ab eo* de appellationibus in 6. l. *non nulli* c. *de appellationibus*, *gloss.* in c. *unde*, & in c. *quamvis* eod. titulo, in *Clement.* & in c. post appellationem 2. q. 6.

285. Ad reum revertor, & dico, quod licet Iudex eum, quem in vinculis tenet, reum evidenter esse cognoscat, verumtamen eum talem esse legitimè non probatur; vel ille testimonijs legitimis non probatur esse innocentem, eum condemnare minimè valet. *Sotus* lib. 5. de iustitia, & iure q. 4. art. 2. immò illum tenetur absolvere, *speculat.* 3. par. tit. de accusat. §. 1. n. 28. *Navarr.* cons. 4. de iudicijs num. 8. tom. 1. ratio est, & relevans, quia forum externum ad occulta delicta nequaquam extenditur: at vero illa dici debent delicta occulta, quæ legitimè, iuxta regulas iuris, probata esse minimè constant. Iudicis autem scientia, testimonium sufficiens minimè reputatur, unde etiam si Iudex videat proprijs oculis crimina committere, ut Iudex contra delinquentes procedere non potest, sed solum potest delinquentem corrigere, sive pœna extraordinaria punire: quia delictum non est testibus iuridicis probatum, nec a reo confessum. Sic *Sotus* supra citatus eodem loco *Clarus* l. 5. §. fin. q. 8. vers. sed pone & q. 66. vers. scias autem, *Victorinus Aversa* lib. de modo procedendi, in c. regul. c. 3. n. 4.

286. Reus debet necessariò citari, est argument Genesis c. 3. *Adam ubi es?* & c. 4. *quid fecisti*, Cain? Math. 18. *& vocavit villicum, &c.* Clement. sept. tit. §. *citationem*, habetur *Bartolus*, & *Zabar.* loco alibi cit. *Clarus* lib. 5. §. *fin.* q. 31. in principio, *Villagut. Menochius* lib. 1. ut alibi q. 17. uude iudico, quod tantæ necessitatis sit citatio, ut si reus non fuerit citatus, vel citatio non fuerit legitima, nullus erit processus, uullaque sententia prolata a Iudice, *Glos.* in l. *si accusatoribus*, in *Glos. fin.* C. *de accusat.* quam communem theoricam esse docet *Rolan.* consil. 68. num. 14. lib. 2. *argument.* Clemen *Pastoralis* §. *nos quoque*, & hoc est ita verum, quod etiamsi Princeps ipse formaret Procesum, aut Sententiam ferret, deficiente citatione, contra reum ipsum procedere non potest. *Abb. verbo* Princeps, & quoque si Papa, *Soccin.* inter consil. Curtij senioris cousil. 20. num. 4. & seqq. cuius doctrinæ illa ratio est, quia rei citatio, non est iuris naturalis tantum, sed diuini.

SVBSECTIO XII.

De Advocato.

287. CVm reus Advocato indigeat, ut ab eo patrocinetur, hinc est, quod facto sermone de reo ad discurrendum de Advocato eiusdem, sive Procuratore, transitum facio in hac duodecima Subsectione. Hinc est, quod Advocatus rei in discussione causę, & procesus audiri debet, attestante etiam *Platone* in dialogo 9. de leg. inquit enim: *Suffragiorum autem, sententiequa modum nostri officij, est legem præscribere. Manifeste igitur ita feruntur, sed ante hæc coram accusante, defendente, quæ quam proxime servata ipsorum dignitate, Iudices defendant, ubi cives, qui otio abundant omnes adsint, aliaqua Iudicia diligenter audiant, in quibus tum prima oratio ab accusatore fuerit habita, defensor alteram dicat, deinde Senior de Iudicibus quæ dicta sunt omni adhibita diligentia sufficienter examinet, post eum cæteri omnes considerent quod-*

cunque

cunque ab adversarijs dictum, vel non dictum perquirendum singuli putant, qui autem nihil discussione sua dignum censent, alteri examinationem ipsam relinquant. At tandem in veste sacrario scripta, quæ tunc conclusa fuerunt, insertis omnium Iudicium signis deponantur: Postridie rursus eodem in loco congregati eodem modo examinent, Iudicentque, & signis appositis omnibus, quæ dicta fuerint, deponant; cumque hoc similiter tertio fecerint signis, testibusque, sufficienter assumptis. Sacrum singuli ferentes suffragium iureiurando per vestem verè, iusteque pro viribus se iudicaturos affirment, atque ità huic Iudicio finem imponunt. Vtinam sic modò curreretur in Iudicijs tàm Criminalibus, quàm Civilibus; quia tàm Actores, quàm Rei non consumerentur in litigijs, & sententiæ non præcipitarentur; hęc dixi obiter, videamus modò, quid Iuris de Advocato, & Procuratore rei.

288. Quæres 1. An Advocatus teneatur pauperibus patrocinari gratis?

289. Resdondeo cum Lexio lib. 2. c. 31. dubit. 7. quòd pauperes in extrema necessitate positi sunt, quando probabiliter putatur, quod nullus sit eorum causa patrocinaturus, quilibet Advocatus tenetur illos defendere, rogatus, v. g. sit aliquis, quis est pæna capitis plectendus; vel suis bonis spoliandus, si non patrocinatur, & solvere Aduocatum non potest, quia miserabilis est, & per consequens non potest seipsum defendere; tunc unusquisque ex Advocatis illius loci, tenetur illum defendere, in ea materia, in qua est instructus. Quod idem valet de Procuratoribus, v. g. quis indiget pane, & ego panem habeo, teneor illi panem dare, non autem pecuniam; si autem ille qui pane indiget, illum habere non posset, absque pecunia, & ego etiam panem non haberem, quia illum emo pro me ipso, teneor pecuniam illi dare. Sic dico de Medico, Chirurgo, &c. Idem dicendum est de Advocato.

290. Verum est, quod Advocati ità se habere debent in Criminalibus causis, sicut etiam in Civilibus, ut cum modestia, & Dei timore causas defendant, ne eorum animas damnent,

ut clientes à pena temporali liberent, debent enim diligenter advertere, secundum Alexandrum de Ales in 3. suæ Summæ q. 44. art. 3. ut non producant testes falsos, vel subornatos, nec allegent leges, aut doctrinas falsas, corruptas, vel abolitas, consuetudine, abusu, aut alia lege. Item non ad defensionem Criminibus, vel iniusta ratione suscipere iniustam causam: nam, secundum S. Thomam q. 72. secunda secundæ, articulo 3. dicitur illicitum esse alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adiuvando, sive qualitercunque consentiendo; quia consilians, & convivans quodammodo est faciens. Tanto magis, quia inquit Apostolus ad Romanos 1. quod digni sunt morte non solum, qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus. Manifestum est autem, quòd Advocatus, Procurator auxilium, & consilium præstant ei, cuius causæ patrocinantur; unde si scienter iniustam causam defendunt, sine dubio graviter peccant; & ad restitutionem tenentur eius damni, quod provenit ex iniustæ causæ defensione. Etenim reis inquisitis non licet se defendere per dolum, & deceptionem. Secundum eundem S. Thomas loco cit. q. 59. art. 2.

291. Quæres 2. Quando nam Advocatus tenetur ad restitutionem prætii accepti a Clientulo suo?

292. Respondeo, quod quando ex ipsius malitia, negligentia, aut imperitia, Cliens damnum passus est. Tenetur namque Advocatus, aut Procurator ex Iustitia commutativa, causam illius defendere pro viribus, & si iniustè, contra partem incepit movere causam, aut facere, ut moveatur lix, tenetur ad resarciendum damnum tàm Clientulo suo, quàm parti contrariç; quia causa sui factæ sunt ex utraque parte expensæ. Non sic quando Clientulus monitus est ab Advocato, ut litigium tale non sumat, quia non habet fundamentum, & tamen non vult desistere; tenetur tamen tunc Advocatus partem adversam admonere, aut Iudicem de toto. Quando tamen in hac manifestatione secreti non est eventurum aliquod malum grave particulari personæ, aut Reipublicæ.

293. Quan-

293. Quando autem Advocatus calumniam, vel fraudem defendit contra fiscum, non tenetur ad restitutionem illius penę solvendæ à reo, si fuisset condemnatus. Ratio est, quia etiam ipse reus non tenebatur solvere dictam pænam, nisi post sententiam Iudicis; ergo nec Advocatus tenetur; est communis sententia omnium Doctorum, quamvis mihi non arrideat, quia cum sua defensio sit causa damni tertij, damnum dedisse videtur, prout proferunt leges; & si dicant aliqui quod solum peccat contra Iustitiam legalem, nempe impediendo bonum commu- nem, non peccat tamen contra Iustitiam commutativam, non inde sequitur, quod non peccet contra Iustitiam, sicut etiam dicunt multi quod Advocatus Fiscalis non tenetur ad restitutionem, eo quia infideliter causam fisci egit, quod ego non admitto, quia ipse est servus Principis, & negligens, aut malitiosus servus negligens in iustam utilitatem domini sui, ad restitutionem tenetur, iuxtà sententiam probabiliorem, quæ est tenenda, iuxtà sanctionem Innocentij XI. ad præsens Regnantis in Pontificatu Romano, verum est, quod in dubia causa potest patrocinari Advocatus causam Rei, quia ipse non profert sententiam, nec Iudicem cogit, dummodo rectè procedat, & dubium Iudici ostendat,

294, Advocatus (quod idem dico de Procuratore, & Medico) potest recipere annuum stipendium a suo Clientulo etiam si in illo anno nihil pro ipso laboret, est contra Celores de mena lib. 1. q. 8. num. 54. at Guttriez mecum est, lib. 1. q. 32. n. 1. & 2. primo quia non stetit per eum, si enim fuisset necesse, fuisset semper expositus. Secundo non potest contra suum Clientulum advocare, & sic amictit lucrum, quod posset habere contra eum advocando. Tertio, quia si eius Cliens in illo anno plures caulas habuisset, respectu quorum salarium esset exiguum, non posset Advocatus petere maiorem.

SVB-

SVBSECTIO XIII.

Vtrum Iudicium ex ſuſpicione procedens ſit peccatum.

295. SVſpicio apud Doctores eſt aliqua cognitio imperfecta, qua aliqua res cognoſcitur, veluti ſi eſſet ſub aliquo velamine involuta; qua de cauſa idem eſt ſuſpicio, ac ſub aſpicio. Quapropter Iudicium ex ſuſpicione procedens, vel ſignificat aliquem aſſenſum cum formidine de oppoſito, vel ſignificat quemcumque conſenſum, etiam firmum, denique homini ità propoſita eſt, ut de ipſa poſſit inducere, abſque formidine, aut iudicare ſine timore de oppoſito. De hoc; ergo Iudicio tàm interno, quàm externo agit Angelicus Magiſter hic, nempe: An, & quando ſit peccatum. Ego autem, cum in præcedentibus egerim de Iudicio externo, ſolum de interno ſermonem faciam.

296. Eſt ergo communis Scribentium ſententia, quod in Iudicijs privatis de malo alterius poſſumus committere peccatum mortale iniuſtitiæ contra proximum noſtrum, nam quis poteſt detrahere ius alterius, quod habet ad bonam famam, ſaltem negativè, apud ipſum iudicantem, abſque ſufficienti ratione, & inordinate malum de ipſo iudicando. Quare ſi quis ex inſufficientibus rationibus, indicijs, omninò indeliberatum, & ex plena advertentia elicit Iudicium firmum, & definitivum ſolum ex ſubiecto de malo gravi alterius, peccabit mortaliter contra Iuſtitiam. Secus vero, ſi indicia ſunt probabilia, & quaſi evidentia ad iudicandum; unde quo magis creſcunt indicia, eo magis excuſatur iudicans a peccato, & quo magis minuuntur indicia ipſa, eo magis creſcit ratio culpæ.

297. Similiter, ſi iudicium non ſit firmum, ſed debile manens intra limites ſuſpicionis, etiam ſi ſit de graviſſimo malo, non erit peccatum mortale; quia per ipſum non multum læditur, quapropter puto, quod ſit peccatum veniale, cum adſint ſufficientia indicia ad ſuſpicandum.

299. Verum est quod tenetur non aperire suam suspicionem alteri, nisi fortè viro timoratæ conscientiæ, a quo non timetur transitus de suspicione ad difamationem.

300. Si autem iudicium sit firmum ex levibus versans circa malum leve, erit peccatum quidem, sed tantum veniale in genere suo ex obiecto; ex quo sequitur, quod si quis ex insufficientibus indicijs firmiter iudicet de levi malo, quod posset esse grave, nisi ex conscientia erronea putet tale iudicium esse peccatum mortale, non peccabit mortaliter, & maximè quando procedit iudicium ex errore intellectus appræhendentis indicia, ut sufficientia, &c. ità *Layman.* ex S. Thom. *Navar. Malfes. Filiuc.* tract. 4. c. 1. q. 5. *Lessius* lib. 2. c. 29. d. 3. contra multos, qui putant esse mortale. Ratio est, quia suspicio communiter tantum est concitatio quædam ad effectum, manet enim in suspicantis mente aliquo modo bona extimatio proximi, atque adeo illi non fit gravis iniuria, cum non totaliter deturbetur de possessione bonæ famæ, fit tamen aliqua, quia temerè iudicatur, sive dubitatur, & in hac materia de iudicio maxime advertere debent Confessarij in personis timoratis, in quibus intellectus ità invenitur tenebris involutus, ut numqnam repræsentet voluntati obiectum clarè, sed in omnibus dubitant, etiam in evidentibus, in quibus puto, quod raro peccent mortaliter; quoniam talia eorum iudicia cum non sint verè voluntaria, nec cum pertinacia, quoniam modò affirmant, modò negant, est, non est, potest esse, non potest esse, mihi videtur, mihi non videtur, &c. merentur excusationem, dummodo iudicia talia non proveniant ex malevolentia, & in tali suspicione ex eadem malevolentia persistant: quia tunc, si suspicio est gravis, mortaliter peccant, *Lessius*, *Filiuc.* & hoc ob ininstitiæ gravitatem: quia hoc provenit non tantum ex iudicio, sed ex contemptu alterius, & propterea reputatur gravis iniuria. Lector carissime, vide Scribentes in hac re.

301. Quænam verò sint indicia sufficientia in hac re, videlicet, ad iudicium interius, & quibus deficientibus deficiat iudi-

 cium

cium ab esse iudicij temerarij. Ego dico, quod non potest dari regula generalis: quia quæ sunt sufficientia pro una mente di-finvoluta, & pro uuo tempore, & loco, complice, & delicto; non sunt sufficientia pro alio.

302. Nota tamen, Lector, quod indicia sunt sufficientia ad dubitandum, nempe ad suspendendum omnem actum, alia ad suspicandum sufficientia sunt, nempe ad hoc, ut intellectus incipiat adhærere potius uni parti, quàm alteri, alia sunt sufficientia ad opinandum, nempe ad hoc, ut intellectus determinatè inhærat uni parti, cum formidine tamen partis oppositæ; quare hic notandum est, quod formido, & opinio, differunt secundum magis, & minus. Quædam verò indicia faciunt, ut intellectus ità adhæreat uni parti per definitivum assensum, ut saltem non dubitet moraliter, & hoc est quando definitivè adhæret consentiendo. Alia indicia sunt sufficientia ad præsumendum, nempe ad vehementissimè adhærendum, ex apparentibus coniecturis, præsumptio namqne a iudicio parum differt; quæ quidem præsumptio duplex est. Altera hominis, qua scilicet vir prudens accipit ex apparentibus signis veritatis. Altera Iuris, quæ à lege decreta est, itaut contra ipsa non possit admitti probatio.

303. An verò sit iudicium temerarium, credere id quod ab uno teste auditur; dico, quod in tali casu ponderandæ sunt circumstantiæ personæ testificantis; necnon illius contra quem testificatur, temporis, loci, modus etiam testificandi notandus est, quia talis potest esse persona, ut faciat rem moraliter certam, sicut & aliæ circumstantiæ, unde si non sufficerent ad forum externum, sufficiunt ad forum internum.

304. Quare autem minora requirantur indicia ad forum internum, quàm ad externum. Molin. hic disput. 15. in fin. ait, quod sicuti minora reqniruntur ad damnandum aliquem Civiliter, quàm ad damnandum unum Criminaliter; sic magis requiritur ad sententiam publicam ferendam, quàm ad ferendam privatam, secretam, atque occultissimam.

305,

305. Quæres, quomodo interpetranda sint dubia?

306. Respondeo, quod in hac materiâ, quæ est doctrina de Lugo, cum agit de iudicio temerario disput. 14. sect. 11. num. 21. & dico, quod quando utriusque partis indicia æque probabilia sunt, non licet iudicare hominem positivè pravum, sed debemus, vel suspendere assensum, vel iudicare bonum ratio est, quia in dubio nemo est condemnandus, aut diffamandus; cum ergo res ex utraque parte sit dubia, non debemus proximum nostrum infamare, sed potiùs illum tueri in bonam existimationem, quam apud nos habebat.

307. Vtrum verò teneamur tunc talem proximum iudicare, ut probum, an vero sufficiat illum non iudicare improbum, videtur verius hoc secundum, nemo namque tenetur in iudicio speculativo se exponere periculo errandi.

308. At quando dicunt DD. quod dubia sunt in meliorem partem interpetranda, intelligendum est, quod negativè hoc facere debemus, nempe non interpetrando in deteriorem, vel in meliorem partem, si iudicandum sit. Si enim agitur de malo avertendo, debet homo procedere sic, utpotè interpetrando dubia in deteriorem partem, non quidem definiendo absolutè, sed per quadam suppositionem, nempe ita debet homo adhibere remedia, ad evitandum malum, de quo dubitatur, & ita cautè hoc fieri debet, ut alij non inducantur in eadem dubitationem; oh utinam sic currerent omnes, qui gubernant, tàm sæculares, quàm Ecclesiastici.

QVÆSTIO V.

De partibus Iustitiæ.

POST plenè examinatam ex varijs capitibus Iustitiæ virtutem cum Angelico Magistro, iudicavi necessarium, eiusdem Iustitiæ partes enucleare; cum autem Iustitiæ partes iuxta Thomistas sint in triplici differentia, nempe aliæ sunt

partes subiectivæ, videlicet partes participantes perfectam virtutis rationem, in quas utpotè genus, & totum universale dividitur, tamquam in partes subiectivas, idest subiecti adæquati, de quo ipsa in recto est prædicabilis, aliæ vero integrantes, nempe, quæ non virtutem componunt, sed tamquam præviæ dispositiones ad perfectum virtutis actum prærequiruntur. Aliquæ verò potentiales, quæ scilicet ob aliquem defectum virtutis rationem perfectæ non participant, potestate tamen in eadem præcipua virtute, spectato proprio nominis significato continentur, & in illis vis principalis, sive cardo virtutis, & potentia distribuitur; queque ad ipsam præcipuam virtutem, tamquam imperfectum ad perfectum, reducuntur, & circa illa tamquam circa cardinem versantur, & volvuntur. Hanc præsentem quæstionem S. Thomas in tres dividere habet partes, quas varijs articulis secare habet, in prima de partibus subiectivis; in secunda de integralibus; in tertia denique de passionibus iustitiæ diserit. Ego vero de partibus subiectivis iustitiæ tractabo, aperiendo viam ad cætera, sit itaque.

SECTIO VNICA.

De distinctione Iustitiæ commutativæ a distributiva.

BEatus Thomas in hac quæstione apud me in ordine quinta, quæ apud ipsum est sexagesima prima, dividit illam in quatuor articulos, in qua brevitate, qua potero, omnia ad illam pertinentia, cum claritate explicabo. Div. enim Thomas in primo artic. huius 61. quæstionis disputat, an convenienter ponantur duæ species iustitiæ, commutativa, & distributiva; in secundo quærit, utrum medium eodem modo accipiatur iu utraque iustitia; in tertio, utrum materia utriusque iustitiæ sit diversa; in quarto utrum iustum sit idem, quod contra passum, de quibus omnibus dabitur resolutio per diversas conclusiones.

2. Con-

1. Conclusio 1. Iustitia distributiva, est verè & propriè species iustitiæ, hanc conclusionem tenentur defendere omnes, qui S. Thomæ sequuntur doctrinam.

2. Tria enim requiruntur ad iustitiam propriè acceptam, ut suo loco dixi, nempe vera alteritas personarũ, & iurium, vera, & propria æqualitas rei, vel cum iure æquali fundamento, vel cum ipso fundamento, verum, ac propriumius, & debitum; ergo si distributiva iustitia est veræ iustitiæ species, debet præter alteritatem respicere verum ius, & debitum, & veram æqualitatem, vel rei cum fundamento iuris, vel rei cum iure æquali fundamento: unde miror quosdam Theologos. qui cum B. Thoma affirmant iustitiam distributivam inter iustitiæ species enumerandam, in assignanda differentia mediorum dicant commutativam respicere verum ius in illo, cui fit commutatio; non autem distributivam, nec se salvare possunt, dicendo, distributivam respicere verum ius consequens ad distributionem, cum post distributionem verè res sit illius, cui distributio facta est; ideoque distribuitur, ut res sit sua. Non salvant, inquam, suam opinionem; quia hoc pacto, qui iniustè distribuit, iniustum faceret, ut daret rem iustatam iuri sequenti distributionem; item ius, de quo loquimur, debet esse regula, & mensura unquam debet iustari medium iustitiæ; ius autem consequens distibutionem potiùs regulatur a medio, quàm ècontra, cum tantum ius acquirat is, cui fit distributio, quanta est res cui illi datur; denique nulla daretur iustitia particularis deficiens a perfecta iustitia ratione iuris, & debiti, cum post donationem, is cui fit donatio verum ius acquirat. Mea ergo conclusio, quæ tres partes habet, quarum prima est, quod hoc iustum, quod est medium iustitiæ distributivæ, verè æquale sit iuri alterius. Secunda, quod hoc ius est rigorosum, non aliquale. Tertia, quod hoc ius est æquale suo fundamento.

3. Probo igitur illam, quoad primam partem; quia ideo si fit distributio centum de bonis communitatis inter duos, quorum unus sit dignus, ut duo; alter vero, ut tria, uni datur

qua-

quadraginta, alteri vero ſexaginta: quia vero quadraginta ſunt æqualia iuri hominis digni, ut duo; ſexaginta vero viri digni, ut tria, vel utriſque erit potius actus iniuſtitiæ; quia non fit æqualitas cum iure ipſorum, cum medium iuſtitiæ diſtributivæ ſit propriè æquale iuri eorum quibus fit diſtributio.

4. Quoad ſecundam partem probatur. Tum quia, ut ſupra dictum eſt, Iuſtitia diſtributiva eſt vera ſpecies iuſtitiæ rigoroſæ acceptæ. Tum quia quamvis cives, abſolutè non habeant verum ius erga bonum communitatis, ut ſunt officia, & alia huiuſmodi, ſed ſolum aliqualem, videlicet inquantum bonum totius eſt bonum partium; cum totum non ſit aliud quàm partes ſimul unitæ, ut dixi in Phyloſophia: tamen poſito, quod fieri debeat collatio, & diſtributio, ſive ex legis neceſſitate, ſive ex libera collatione voluntatis, habet dignior ius ad maiorem gradum, minus vero dignus ad minorem, verum, & proprium ius quando violatur, eſt contra iuſtitiam facere in re gravi, aliter non video, nec capere poſſum, quomodo iniuſtè diſtribuens res ſibi datas a Principe, ut diſtribuat pauperibus, & dat commodis perſonis, magis quam pauperibus, & non peccet contra iuſtitiam; etiam dans elemosynam æqualem inæqualiter indigentibus ex elemoſynis a publico dandis, cum eadem paritas currat de utraque re.

5. Quoad tertiam partem denique ſic oſtenditur; quia prætérquamquod ſequeretur iuſtitiam diſtributivam, non fore verè, & propriè iuſtitiæ rigoroſæ ſpeciem, nec partem ſubiectivam illius, fundamentum iuris, quod cives habeant ad bona communitatis percipienda, eſt eorum dignitas, non autem ſervitium impenſum: aliter vel diſtributio, erit actus iuſtitiæ commutativæ, vel actus gratitudinis. ſed quamvis ius civium, non ſit abſolutè æquale, dignitateque quandoque exceditur a portione, quæ illi contingit, & conſequenter quamvis non ſit æquale, ut Ariſtoteles loquitur, arimeticè, eſt tamen æquale proportionaliter, ideſt proportione, quæ eſt inter dignitatem, ſeù merita unius, & dignitatem alterius, & eſt ſimilis proportioni, quæ

eſt

est inter dignitatem, seu merita unius, & dignitatem alterius, & est similis proportioni, quæ est inter partem applicatam uni, & partem applicatam alteri. Proportio enim, quæ est inter dignitatem, ut duo, & inter dignitatem, ut tria, est inter quatuor, & sex; sicuti namque se habent duo ad tria, ita quatuor ad sex, nempe sicuti tria superant duo semiduple, ita sex quatuor, & per consequens est equale geometricè, ut vocant communiter Phylosophi; ergo ius cui medium iustitiæ distributivæ iustatur, est verè æquale suo fundamento.

6. Dices, summa inqua sex superat quatuor, non est æqualis summæ in qua tria superant duo, tria namque superant duo in uno, sex autem superant quatuor in duo, sed unum, & duo non habent æqualitatem; ergo, &c.

7. Respondeo, distinguo consequens; ergo nulla est æqualitas inter quantitates concedo, nulla est æqualitas inter habitudinem, & habitudinem, seu proportionem, & proportionem, nego.

8. Conclusio 2. medium iustitiæ commutativæ est etiam iustatum iuri propriè accepto pro legitima possessione, quod ius est etiam æquale suo fundamento. Conclusio de se patet ex dictis.

9. Conclusio 3. medinm iustitiæ distributivæ non eodem modo sumitur, ac in commutativa iustitia, ut patebit ex ratione adducenda.

10. Probo conclusionem sic, quia ius cui iustatur medium distributivæ, non est æquale suo fundamento, nisi geometricè, ut supra dixi, ius vero cui iustatur medium commutativæ iustitiæ, est æquale suo fundamento, etiam arimetice, vel spatio, nempe quoad æqualitatem rei ad rem, unde constat, ut sit obiectum iustitiæ per semedium distributivæ, non est æqualis rei cui iustatur, utpotè dignitati personæ nisi geometricè, secus vero medium commutativæ, quod fundatur in datis, & acceptis. Atqui æqualitas geometrica est essentialiter diversa, ab æqualitate arimetica; ergo me dium, quod formallter in hac æqualitate consistit. diversimodè sumitur in una, ac in alia iustitia.

11. Con-

11. Conclusio 4. differunt essentialiter præfatæ iustitiæ per explicatæ differentia mediorum.

12. Probo hanc quartam conclusionem tali medio, & primo quod differant essentialiter, quod est contra Buridanum lib. 5. Eticor. q, 7. quia virtutes, quæ respiciunt ius alteri debitum, communiter distinguntur ex eo, quod respiciunt actiones commensuratas, & res etiam diversis iuribus ad diversa debita relatis; sed præfatæ iustitiæ, respiciunt res, & operationes commensuratas diversis iuribus, & debitis; ergo, &c. Probo minorem, quia distributiva dividit bona communia, & tantum his, aut illis dat, quanta sunt merita singulorum. Commutativa vero decem solvit, quia tantum valet equus, quem emisti, vel quia totidem domum propriam locasti, vel quia totidem data fuere tibi mutuo, vel in depositum; sed hoc est respicere operationes commensuratas diversis iuribus; ergo, &c. item distributiva versatur in diversis iuribus, nempe in distribuendis premijs, muneribus, dignitatibus, officijs, beneficijs, & cæteris bonis communibus secundum qualitatem singulorum civium, in imponendis titulis, censibus, partitionibus, oneribus, secundum singulorum facultatem: commutativa vero versatur, in restituendo, quidquid debetur in resarciendis domino, compensandis iuribus, solvendo pretio pro mercede, hoc autem est versari circa res, & operationes diversas commensuratas iuribus; ergo, &c. secundo quod differant essentialiter, ratione prędicatę differentiæ mediorum, quod est contra Rebellium, prima parte de iustitia, & iure, quæstione 3. & sectione 3. & contra alios asserentes, geometricam, & arimeticam, non distinguere has iustitias nisi accidentaliter, differentiam autem essentialem desumendam esse solum ex diversitate iurium, & delictorum. Probatur primo, quia Angelicus Magister toto hoc articulo 2. ex mediorum diversitate, diverso modo ęqualium, fundamentum iurium infert, diversitatem commutativæ iustitiæ a distributiva, & semper supponit ęqualitatem arimeticam per se respici a commutativa, geometricam vero a distributiva iustitia. Secundo,

quia

quia æqualitas in communi, ſicut etiam alteritas, & facultas moralis in communi, eſt res per ſe primo intenta a iuſtitia in communi, ipſam ſpecificans iuſtitiam ab omni alia virtute in communi, quæ iuſtitia non eſt, vel in particulari; ergo diverſa æqualitas primo, & per ſe intenta eſt, a commutativa iuſtitia, & distributiva, debet eſſe ratio ſufficiens, illas conſtituere in diverſa eſſentialiter ſpecie iuſtitiæ.

13. Colligendum eſt igitur ex dictis optimam eſſe diviſionem iustitiæ, ut ſic, tamquam in partes ſubiectivas, incommutativam, & distributivam, ſed,

14. Dices 1. iustitia commutativa reſpicit aliquando ęqualitatem geometricam, è contra vero distributiva æqualitatem arimeticam; ergo, &c. antecedens probant arguentes; qui enim habet plures creditores, nec potest illis in integrum ſatisfacere tenetur ex iuſtitia commutativa ſatisfacere illis ſecundum æqualitatem geometricam; qui enim ſolvit mercedem pluribus operarijs ex commutativa, ſatisfacit ſecundum æqualitatem geometricam, iuxta extimationem laboris ſingulorum; idem evenit in contractu ſocietatis, in qua multi exponunt inęqualem pęcunię ſummam; ergo iuſtitia commutativa habet pro obiecto ęqualitatem etiam geometricam. Item aliquando una ſola res eſt diſtribuenda, & quandoque unus ſolus reperitur dignus; item quandoque multi ex ijs, quibus fit diſtributio, ſunt ęqualiter digni. C. & aliquando, immo ferè ſemper indigni; ergo aliquando iuſtitia diſtributiva reſpicit ęqualitatem arimeticam.

15. Reſpondeo, diſtinguo antecedens, commutativa reſpicit æqualitatem geometricam, &c. per ſe, nego; per accidens, concedo; in caſibus namque poſitis per ſe intenditur æqualitas pretij cum laboribus uniuscuiuſque, ęqualitas, ſaltem in via redditi cum credito; per accidens autem eſt illa æqualitas proportionum, & habitudinum explicata in argumento; unde ſi ſola eſſet illa habitudo, non autem ęqualitas arimetica, actus non erit iustitię commutativę; ſimiliter per accidens est, ut quandoque iustitia distributiva reſpiciat æqualitatem arimeticam, quando

ſcilicet est æqualis dignitas multorum, non enim hoc per ſe reſpicit, ſed maiorem dignitatem de alijs, de quibus perſona proponitur, quando enim res, quę distribuitur, eſt indiviſibilis, non reſpicitur ęqualitas arimetica, poterit enim eſſe, ut dignitas perſonę, cui iustè confertur, ſit maior, aut minor collato beneficio, & ſaltem ſemper implicitè adest comparatio ad alias proportiones; quia ſi alia eſſent munera distribuenda, darentur alij secundum proportionem meritorum, idem dicendum est, quando unus eſt tantum dignus.

16. Dices 2. ſufficienter distinguntur istę duæ iustitię ſpecies per earum medium diverſis iuribus commenſuratum; cum ius commutativæ iuſtitiæ ſit reale, nempe fundatum in aliqua re, data, locata, &c. distributivæ vero perſonale, idest fundatum in dignitate, & habilitate perſonę: ergo diverſa æqualitas non efficit diverſitatem ſpecificam, & eſſentialem.

17. Reſpondeo, nego conſequentiam, quid enim implicat duas ſpecies ſub eodem genere diſtingui ex diverſis capitibus? Item diverſitas iurium realium, & perſonalium ſecum affert diverſitatem æqualitatum, ut rectè, ac accuratè conſideranti patet.

18. Dices 3. Aliæ etiam virtutes, ut eſt v. g. miſericordia, obſervantia legum, pietas, &c. reſpiciunt æqualitatem geometricam; ergo id, quod ſpecificat commutativam, a diſtributiva, non eſt æqualitas geometrica (quidquid alij dicant) tranſeat antecedens, & nego conſequentiam; quamvis enim ſequatur, quod non diſtinguantur ab illis virtutibus per reſpectum ad geometricam ęqualitatem, non tamen ſequitur ex hoc capite, non diſtingui a iuſtitia commutativa, &c. ut dixi clarè in metaphyſicis.

19. Dices 4. Vbi non adeſt perfecta alteritas perſonarum, & iurium, ibi non adeſt vera iuſtitia, ſed inter communitatem, & cives, inter quos eſt iuſtitia diſtributiva, non adeſt perſonarum alteritas; ergo, &c. minor patet ex antedictis in præcedentibus quæſtionibus q. 2.

20. Re-

20. Respondeo, concedo antecedens, seu maiorem propositionem, nego minorem deinde, quia adest diversitas personæ, & diversa alteritas iuris, & debiti.

21. Dices 5. Præter has duas iustitiæ species, datur etiam iustitia vindicativa; ergo male dividitur iustitia incommutativa, & distributiva tantum. Respondeo, quod vindicatio facta a persona particulari, v. g. ab eo, qui sibi iterum assumit rem sibi furatam, quando interficit suum agressorem, quando percutit se percutientem, non esse virtutem iustitiæ, nisi fortè negativæ; idest non esse actum iniustitiæ, posse esse tamen actum diversarum virtutum, pro diversitate motivorum, quæ posset habere vindicans, vindicationem autem factam a Iudice, vel esse actum iustitię commutativæ, si spectetur ius positivum, quod habet, ut reus puniatur ad æqualitatem arimeticam, pro delicto, & debitum, quod habet Iudex infligendi illi pœnam; vel esse iustam legem, si spectetur ius, quod habet respublica exigitivum punitionis delinquentis propter bonum publicum, unde nego antecedens.

22. Quæres 1. Vtrum materia utriusque iustitiæ sit diversa? Hæc dubitatio procedit de materia, circa quam, tamquam circa obiectum, versatur utraque iustitia. Certum autem est, obiectum proximum utriusque iustitiæ esse diversum, cum adsit diversitas debitorum, & iurium, item diversa æqualitas, actionum, & passionum, simul & rerum. Maius dubium est de materia remota, nam de obiecto *cui*, & *a quo* certum est esse easdem naturas rationales, sed tantum de obiecto *quod*, & *quo* tàm ex parte obiecti *a quo*, tum ex parte obiecti *cui*, quamvis de hoc ultimo, non agat expresè Beatus Thomas. Quæsitum igitur est parvi momenti, doctrina vero Div. Thomæ est, obiectum, *quod* posse esse idem in utraque iustitia, non vero obiectum, *quo*, sic S. Thomas hic art. 3. in corpore.

23. Quæres 2. Vtrum iustum, seu iustitia sit simpliciter idem, quod contra passum? Respondeo, quod si contra passum significat æqualem recompensationem passionis contra actionem, ut

v. g. si quis fecit aliquid contra aliquem, tantum unde ipse reparia:ur, Quæstio hæc similiter lævis est, ac parvi ponderis, unde Angelicus Doctor docet iustitiam distributivam non esse idem, ac contra passum, quia in illa non attenditur ęqualitas rei, vel actionis, aut possessionis; hoc enim est proprium commutativæ iustitiæ; sed solum attenditur dignitas personarum; secus vero in iustitia commutativa, in qua tantum quis accipere debet, quantum dedit. Sed adverte, quod hic *tantum*, & *quantum* non accipitur per respectum ad rem susceptam, sed quoad extimationem moralem, hominis conscientiati, & prudentis.

QVÆSTIO VI.

De Restitutione.


VIA Div. Thomas in hac Quæstione secundum ordinem meum sexta, apud ipsum sexagesima sexta in posterum est acturus de vitijs iustitiæ oppositis, ex quibus oritur restituendi obligatio, quia etiam restitutio est actus iustitiæ, idcirco inter tractationem de speciebus iustitiæ, & quæstiones de vitijs oppositis, de restitutione in genere præsentem instituit quæstionem. Hanc quæstionem in plures sectiones dividam, suis subsectionibus secatas ad maiorem claritatem, & materiæ distinctionem. Sit igitur,

SECTIO PRIMA.

Vtrum restitutio sit actus Iustitiæ commutativæ.

IN hac sectione examinabo, utrum restitutio sit necessario actus iustitiæ commutativæ, nec non necessaria ad salutem, & quomodo data, quando ad salutem necessaria sit, in qua sectione

ctione multos casus de materia restitutionis proponam, non minus difficiles, quàm curiosos. Sit itaque.

SVBSECTIO I.

Vtrum restitutio sit actus Iustitiæ commutativæ.

1. CElebre est apud Iuristas vocabulum *restitutionis in integrum*, qua scilicet homines, & Ecclesia in pristinam restituuntur, sive in integrum: è converso, hìc nomen restitutionis accipitur multipliciter, primo latè, nempe prout comprehendit omnem solutionem, & satisfactionem, in quo sensu ille, qui emit æqum restituere dicitur. Secundò, quando pretium illius solvit, minus impropriè, ac latiùs restituere dicitur mutuatarius, quando reddit commodatum, commodanti. Sumitur tertio strictè utpotè pro redditione rei, quæ iniustè ablata fuit, proprio domino; vel saltem redditur æqualitas; quare ille, qui commodavit centum Caio, restituit pignus Caio, non est stricta restitutio, eo quia a Caio non fuit pignus extortus furtivè, vel deceptoriè, aut violenter, unde illa redditio pignoris non potest dici restitutio, nec materialiter, nec formaliter: sicuti; nec acceptio pignoris potest dici iniustitia formaliter, nec materialiter. Quarto communiori modo amplius accipitur, pro restitutione proprij domini in possessione, vel dominium rei suæ, quæ ab alio habetur, sive ex voluntate ipsius, sive non, sive per iniuriam, sive non, quo pacto pretium pro mercede de re locata, non dicitur restitui, secus vero res iniustè accepta, & reparatio damni illati iniustè, simul cum redditione depositi, locati, conducti, &c. restitui dicuntur.

2. Quæres; quomodo differat restitutio a redditione, solutione, redibitione, & satisfactione?

3. Satisfactio fit pro quacunque iniuria illata, etiam si nullum damnum illatum sit, per pænitentiam enim Deo satisfacimus pro iniuria, per quam nullum damnum Deo est sequutum;

satisfa-

satisfacere enim, est facere satis, ad hoc ut fiat compensatio pro illata iniuria. Solutio vero est pro re empta, locata, vel conducta, determinato pretio.

4. Redibitio, est rei venditæ redditio ipsi vendenti pretio repetito, quamvis aliquando idem significat, ac restitutio largo modo, sive latissimè accepta restitutione.

5. Redditio denique, est rem quomodocunque acceptam, iterum illam dare proprio domino. E quibus legens hæc, facilè potest colligere dubij enodationem, secundum varias restitutionis acceptiones. Restitutio namque in primo, & quarto sensu, hæc omnia compræhendit præter fortafse redibitionem, & gratuitam redditionem; unde ab illis distinguitur tamquam includens ab incluso; quamvis in primo sensu aliqualiter magis latè pateat, in secunda acceptioue, quamvis omnis restitutio sit satisfactio, non tamen è contra, non enim omnis restitutio est solutio, nec è contra, nulla redibitio est restitutio, nullaque restitutio est redibitio, non omnis redibitio, est restitutio, & si omnis restitutio sit redibitio in tertia acceptione, idem paucis fortafse exceptis dicendum puto in quarta, omnem redditionem ex iustitia, restitutionem esse.

6. Vnde definiri potest restitutio in primo sensu definitione iustitiæ in communi, cum qua in eo sensu confunduntur. in secundo sensu poterit definiri: *redditio proprio domino rei iniustæ ablatæ* in tertio sensu definitur: *repositio alicuius rei in dominium sibi ex iniusta ablatione debita*, in quarto sensu, sic definitur: *iterata positio alicuius in dominium, vel possessionem rei suæ ex debito iustitiæ* explicata itaque hæc ultima cæteræ explicatæ remanent. Dicitur itaqne, *iterata positio*, non quod ad restitutionis essentiam, necesse sit, quod dominus, cui facienda est restitutio, ipse fuerit prius in possessione, vel dominio; sæpe enim facienda erit restitutio hæredi, qui numquam habuit possessionem, aut dominium rei restituendę, sed quod ipse, vel alius suorum parentuum, aliquando habuerint dominium, vel possessionem, qua privatus sit: dicitur, *in possessionem, vel dominium*, quia ali-

quando

quando restitutio fit non ad dominium, sed ad possessionem, ut quando restituitur equs, vel domus locatori, vel dominium, ut quando fur restituit rem furto ablatam, licet enim dominus numquam amiserit dominium, erat tamen impeditus furto, dicitur *rei suæ* id enim, quod restituitur est eadem res solum æquivalenter. Siquidem in deposito, pignore, furto, rapina, debet reddi eadem numero res, si extet, in mutuo autem, aut damno illato, redditur eadem res æquivalenter, in quantum id quod datur, substituitur loco rei acceptę, & consumptæ, quæ eadem reddi deberet, si esset permanens, & non consumpta; non ita vero quando pæcunia datur loco mercis, vel rei locatæ, aut conductæ. Dicitur denique: *ex debito iustitiæ*, ut restitutio distinguatur, a redibitione, & redditione, qua quis rem sibi quovis modo, sive iusto titulo acquisita dat illi gratis, a quo acquisivit: his positis.

7. Quæstio precedit, tum de actu interno, quo quis vult restituere, tum etiam de actu externo; primus dicitur actus elicitus. Secundus imperatus, de primo quæritur, an restitutio sit actus elicitus Iustitiæ commutatiuæ, de secundo, an sit de illius actus imperati essentia restitutio, in primo sensu accepta restitutione, posset enim, ut sic, connecti cum Iustitia in communi comprehendentem tùm commutativam, tùm distributivam; sed in alijs tribus acceptionibus, &c. sit ergo.

8. Conclusio unica. Restitutio est actus solius Iustitiæ commutativæ.

9. Hanc veritatem mihi non persuadeo, quia ex violatioue Iustitiæ distributivæ, per se non oriatur obligatio restituendi, ut communiter asserunt Theologi, cuius dubij examinatio non potest hic fieri, de hac enim re egi in primo libero Institutionis Canonicæ cùm de electione. Sed ratio, quæ me movet ad talem conclusionem ponendam est; quia in restitutione semper attenditur æqualitas Arimetica, iuxtà recompensationem ad rem, etiamsi oriatur ex directa violatione Iustitiæ distributivæ. Si enim teneatur restituere, quia iniustè distribuit ei, cui communitas dedit,

dit, in restitutione non debet attendere dignitatem personalem, sed quantitatem, quam minus debitam dedit, à quo oritur ius Arimeticę æqualem contra dispensationem, scilicet, ad tantum exigendum ab ipso, quantum minus æquo dedit, ut affirmat S. Thomas hic in corpore: hæc sunt verba Divi Thomæ, *restituere nihil aliud esse videtur, quàm iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ, & ità in restitutione attenditur æqualitas Iustitiæ secundum recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad Iustitiam commutativam, & ideò restitutio est actus Iustitiæ commutativæ*, hęc Divus Thomas, ergo obligatio restituendi, cum semper sit ad restituendam rem, vel ęquale illi, semper erit restitutio actus Iustitiæ commutativę.

10. Dices. Ad eandem virtutem, ad quam pertinet impedire malum, ne committatur, pertinet tale malum emendare, si est commissum; atqui ad Iustitiam distributivam pertinet impedire, ne per iniquam distributionem inferatur alteri damnum, ergo ad eandem pertinebit tale damnum emendare, si sit illatum.

11. Confirmatur; quia vitium non escluditur, nisi per virtutem oppositam; sed iniquè distribuere, est vitium oppositum Iustitiæ distributivę, ergo à Iustitia distributiva expelli debet.

12. Respondeo, infirmum esse argumentum, & demonstratur ex eo, quia diversa est Iustitia commutativa resarcitiva Iuris læsi, ut consideranti patet. Vnde distinguo maiorem; ad eandem virtutem pertinet emendare, idest habere odium, concedo, emendare, idest resarcire damnum secutum ex putato malo, falsum est. Quod patet exemplo supra allato, quod ad virtutem particularem spectat amare bonum, & odio habere malum. Ad confirmationem, eodem pacto dico; vitium, & peccatum excluditur per virtutem appositam, non autem per illam emendari debet damnum, quod sequitur, ex peccati commissione, v.g. fugere actum odij est effectus ipsius charitatis, emendare autem malum secutum proximo ex odio habito a me ergo illum, sequitur pertinere, non ad charitatem ipsam, sed ad aliam virtutem, nempe ad Iustitiam commutativam, qua mediante debeo restituere tali proximo,

ximo, quantum abstuli habendo in odium illum, nec alia virtus est, quæ hac facere possit.

SVBSECTIO II.

Vtrum restituere ablatum sit necessarium ad salutem.

IN hac quæstione sexagesima secunda articulo 2. ex Divo Augustino loquendo, inquit, quod dum quis aliena abstulit, & non restituit, dum restituere potest, non remictitur ei peccatum; & in corpore articuli, subdit, *cùm ergo conseruare Iustitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id, quod iniustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis*, ex qua auctoritate ego sequentem conclusionem eliciam, sed antequam ponam conclusionem promissam, &c.

13. Advertendum est, duplicem esse necessitatem, idest una, quæ dicitur necessitas medij, quomodo est, Baptismi Sacramentum, sine quo nemo potest salvari, cum sit medium necessarium ad salutem, sicuti etiam fides Catholica, iuxtà illud, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, & illud aliud: *sine fide impossibile est placere Deo*, alia dicitur necessitas præcepti, quod quidem præceptum necessitans duplex est, unum negativum, alterum affirmativum. Præceptum negativum est illud, quod obligat semper, & a semper, ut communiter dicunt Theologi, non sic præceptum affirmativum.

14. Quare hic dubitari posset: an præceptum restituendi sit affirmativum, vel negativum. Ego cum *Medina* de restitutione q. 2. ad primum, & cum *Adriano* in 4. q. 1. de restit. ad 1. teneo, esse præceptum negativum, quod etiam tenet *Bannes*, in hoc articulo 8. *Nauarrus* 1. de restitutione dub. 3. *Vasquez* prima secundæ 9. 72. art. 6. & multi alij contra *Lessium* in præsenti c. 7. dubio 10.

15. Ratio quæ meipsum mouet ad hoc affirmandum est, quia quamvis, secundum modum loquendi, & sonum verborum,

præceptnm restitutionis videatur esse affirmativum, in re tamen est præceptum negativum, quia idem est dicere *restitue*, ac dicere: *ne retineas rem alienam*, quemadmodum est dicere, *ieiuna* ac dicere, *ne commodas bis in die leiunij*.

16. Et si dicet aliquis, quod ad significatum illorum verborum explicandum, nempe, *restitue rem alienam*, requiratur actio positiva, qua Francisco, v. g. rem suam, vel æqualitatem restituit; hic non est de intrinseco conceptu restitutionis, sed per accidens. Ego dico, quod sit: quomodo ex præcepto negativo, non occidendi, tenetur viator divertere æquum suum à via, ubi puer manet, ne illum conterat, & ex præcepto negativo non mecandi, tenetur unusquisque occasiones fugere proximas fornicationis.

17. Dices; negativum præceptum obligat semper, & ad semper, præceptum autem restituendi non sic: ergo præceptum restituendi non est præceptum negativum.

18. Respondeo, concedo antecedens & distinguo consequens: præceptum restituendi non obligat semper, & ad semper, quandiu est præceptum, nego, quandiu non est præceptum, concedo; quia præceptum non est de restituenda re aliena, ut sic, sed de restituenda re aliena, quando retinetur invito Domino, v. g. quod restitutio diferatur per horam, non est contra domini voluntatem, sic etiam in materia de fornicatione, & in exemplo allato suprà est præceptum negativum, obligans semper, & ad semper fugere occasionem proximam fornicandi, quæ facile potest relinqui, non autem est contra hoc præceptum negativum perseverare in ea occasione. quando non potest sine gravi inconvenienti talis occasio relinqui: quemadmodum se haberet, v. g. cognatus, respectu suæ cognatæ, filius familiæ erga famulam, aliàs in domo bonæ famæ, apud patrem, & matrem sorores, & fratres dicti filij, &c. non enim est sui iuris domus paternam relinquere, nec talem occasionem manifestare, vel uxorem sui fratris, aut famulam extrà domum paternam emittere, nec earum conversationem fugere, saltem civilem; quamvis quantum fieri

potest,

potest, debet curare, ut cum eis numquam remaneat solus, quæ res difficilis est; etenim si pater talis filij incestuosi, aut fornicarij, dicat: ego pergo Pisis cum matre tua, & tuo fratre, remane tu in domo, & curam de omnibus habe; tenetur filius obedire, nec tenetur manifestare fornicationem cum famula, nec incestum cum sua cognata; nam si id manifestaret, esset error peior priore. Modò, his positis, ad difficultatem positam in titulo solvendam devenio per Conclusionem sequentem.

19. Conclusio 2. Restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti, non verò necessitate medij, est de fide.

20. Probo primò tum ex sacris Literis, tum ex Doctoribus, & præcipuè quoad primam partem, cum partes duas habeat. Exechielis enim c. 33. habet: *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium, & iustitiam, & pignum restituerit, ille impius, rapinamque reddiderit, &c. vita vivet, & non morietur*. Thobiæ 2. *Videte, ne fortè furtivus sit, reddite eum dominis suis*. Ad Romanos 13. *Reddite omnibus debita, &c.* Ex Sanctis Doctoribus etiam habetur, & præcipuè ex Div. Augustino Epist. 54. ad Macedonium, qui ei scripserat, esse quosdam, qui petebant relaxari illi pecuniam, cum tamen vellent possidere, & propter quam rem peccassent. Respondit Augustinus his verbis: *pessimum humanum genus commensurans, cui providere medicinam nihil prodest omnino, &c.*

21. Tum etiam ratione ostenditur, nam violare ius alterius, auferendo rem invito domino, est intrinsecè malum, sed hanc etiam malitiam habet retentio rei alienæ invito domino; ergo, qui rem alterius retinet, peccat mortaliter, & consequenter restituere alienum est necessarium ad peccatum lætale evitandum, & ad salutem consequendam (tàm de re, quàm de fama)

22. Nec obstat id quod Lucæ 11. Christus Dominus dans remedium Phariseis plenis rapina, & iniquitate, dicendo: *date alemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis*, non obstat inquam; quia vel Christus loquitur, ironicè, vel simul cum eleemosyna supponit reliqua, quæ necessaria sunt ad hoc ut ipsi salutem conse-

ſequerentur; vel ſignificavit æleemosynam eſse quid prævium, in genere cauſæ moralis materialis ad obtinendam Dei gratiam, dummodo restitutionem faciant, ad hoc, ut ſalutem conſequantur.

23. Dices. Nemo tenetur restituere rem alienam, ſi dominus non est invitus; ſed ſemper præſupponendum est, quod dominus rei debitum remittat, & conſequenter non ſit invitus; ergo, &c. maior eſt certa, minor probatur; quia dominus rei tenetur remittere debitum ex Charitate, aliàs mortaliter peccat; ergo quandiu, nobis non conſtat, ipſum dominum rei nolle remittere, præſupponendum eſt iam remiſsiſſe; probatur antecedens, quia unuſquiſque tenetur lege Charitatis providere de bono ſpirituali proximum; etiam cum ſuo temporali damno; ergo dominus tenetur ex Charitate remittere debitum furi, ne fur ſpirituale damnum patiatur.

24. Reſpondeo: argumentum, eſſe nullius valoris; undè facilè retorquetur; nam fur nihil curando de ſuo incommodo temporali, tenetur lege Charitatis providere de ſpirituali salute dominum rei furatæ, ne fortè debitum non remittendo, peccet mortaliter; ergo quandiu ipſi non conſtiterit dominum iam debitum remiſsiſſe, reſtituere tenetur. Nego igitur minorem, & ad probationem nego antecedens, ad cuius probationem diſtinguo antecedens; unuſquiſque tenetur, &c. quando non adeſt alius modus evadendi ab infirmitate ſpirituali, concedo; quando adeſt alius modus, nego. Furi autem ſuppetit alia fortaſsis ſpecies propinquior, & quidem expeditior, ad eius perverſos mores purgandos; nempe reſtitutio. His poſitis, utpote de fide certis, aliqua examinari ſolent a Doctoribus, quæ per ſequentes ſubſectiones dilucidabo.

SVBSECTIO III.
Quomodo Reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem.

25. POſito pro certo, restitutionem neceſsariam eſse ad ſalutem, non neceſſitate medij, ſed neceſſitate præcepti,

posita obligatione, eo quia quamvis sine ipsa, saltem in voto, haberi salus non possit, neque prima, quæ est gratia, neque ultima, quæ est beatitudo: non tamen requiritur tamquam quod per se influens in salutem, neque activè, ut est Baptismus, Pœnitentia, &c. neque passivè, ut fides, spes, & Charitas. Neque formaliter, ut forma sanctificans. Sed ideo est necessaria restitutio ad salutem, quia sine ipsa vitari nequit peccatum, cum quo (de legali loquendo) haberi vita non potest: undè restitutio, se habet tamquam removens, proihibens, unde sit,

26. Conclusio 1. Præceptum restitutionis est simul affirmativum, & negativum. Probo conclusionem, quia ex una parte præceptum restituendi rem alienam præcipit æqualitatem faciendam cum iure alterius, per actum positivum per se ordinatum ad talem æqualitatem domino rei malè retentæ restituendæ, etenim positio talis æqualitatis est medium licitum, per quod regulariter hortatur alicui iusta restitutio rei alienæ, inde implicitè præceptum, sicut etiam præcipit negationem retinendi alienam rem; ergo est simul affirmativum, & negativum præceptum restitutionis.

27. Conclusio 2. Præceptum restitutionis, nedum implicite dicit præceptum negativum, de non retinendo rem alienam, verum etiam implicitè continentur in illo ipsa restitutio positiva; immo explicitè, nam præceptum tendens ad finem, præcipit etiam media necessaria ad finem consequendum, sed ad rem alienam reponendam sub iure proprij domini, nacessaria est restitutio; ergo, &c. quę autem requisita sint ad restitutionem, infra dicam, Deo dante.

28. Conclusio. Præceptum restitutionis, sive implicitè dicat præceptum negativum, sive explicitè positivum, principalis est negativum, minus principale positivum.

29. Probatur conclusio paucissimis verbis, quia principalius est finis, quàm media; sed quatenus hoc præceptum est vel implicitè, vel explicitè negativum, præcipit finem, quatenus vero affirmativum, præcipit media, quæ nullum habent influxum in talem finem; ergo, &c.

30. Ne-

30. Neque dicas, quod per ly *principalius* intelligi id, quod explicitè, & immediatè præcipitur; quia de hac re nulla esse potest controversia.

31. Sequitur; ergo ex dictis præceptum restitutionis reduci ad præceptum decalogi septimum, nempe *non furaberis*, quia ibi prohibetur omnis iniusta detentio, & consequenter omnia media ad talem iniustam detentionem evitandam.

32. Sequitur secundo, non restituere unum esse peccatum eum retinere, cum unus ordinetur ad alterum; principalius esse peccatum commissionis; minus vero principale commissionis, cum priucipalius præceptum sit negativum, minus vero principale positivum.

33. Sequitur 3. Obligationem ad non restituendum: & restituendum, unicum esse præceptum, principaliter quidem negativum, minus vero principaliter affirmativum.

34. Quæres. Quænam sint radices obligationis huius restitutionis? Respondeo, quod duæ sunt radices obligationis restituendi rem alienam, nempe ex re aliena accepta. Prima locum habet quando res est restituenda, sine culpa mea venit ad me, v. g. invenio gemmam in via, & dominum eius scio, teneor restituere, & proprium dominum quærere quantum possum, quia res mea non est, etiam si nulla mea culpa ad me gemma illa venit; secus vero, si adhibitis debitis diligentijs, non invenio proprium dominum, etiam adhibitis extra ordinarijs diligentijs (ad quas nullus certo tenetur) nam tunc gemma illa habetur pro re derelicta, & per consequens fit primi occupantis, vel ex inadvertentia illa gemma apud me remansit, semper teneor illam restituere; quia semper est aliena. Secunda radix iniustè acceptionis locum habet, etiam postquam res perijt, quæ iniustè accepta erat, etiam si acceptio non fuerit cum utilitate accipientis; & sic, qui incendit domum alienam, ad restitutionem tenetur damni illati, & utilis, qui iniustè læsit alienam famam, aut extimationem alterius, tenetur ad omnia damna inde sequta restituendum, sic communiter Doctores.

35. Ve-

35. Verum est, quod inter has duas radices magnum discrimen ego reperio, etenim in multis casibus, quis excusatur a restitutione, qui tenebatur restituere apparenter ratione rei acceptę; in quibus non excusatur, qui tenetur restituere ratione rei iniustæ acceptæ, unde fit, quod depredantes bona Saracenorum, sive in Mare, sive in Terris, dum inter Christianos depredantes, & Saracenos non adest pax, ut sunt Equites Sancti Ioannis Ierosolymitani, & Equites Religionis Sancti Stephani, qui numquam habent pacem cum Saracenis, non tenentur restituere, ita *Summa confess.* lib. 1. tit. 4. q. 24. *Navarr.* 2. tom. de restitut. nu. 3. c. 1. n. 414. *Vega* meæ Religionis optimus scriptor, in sua practica fori interioris tom. 2. verbo restitutio c, 75. pag. mihi 536. cas. 2. ratio est, quia huiusmodi Equites, tàm unius, quàm alterius Religionis ex suo Instituto ordinati sunt ad pugnandum contra Turcas, & nunquam habent paeem cum illis, non sic, qui pacem, vel treguam cum eis habent.

36. Sed pono casum, quod Franciscus mutuavit Antonio centum cum intentione corrupta, ut inde posit habere aliquod utile, quamvis boc non petierit, neque verbo, neque signo aliquo externo, at ille Antonius quando pæcuniam restituit Francisco, dat supra centum, decem gratiosè, non autem, ratione mutuationis sibi factæ a Francisco, quæritur modo, an Franciscus possit illa decem retinere, an vero teneatur restituere Antonio, a quo illa decem gratiosè accepit, &c. tenetur restituere, quoticscunque intendisset illa decem accipere titulo præstationis factæ Antonio, & quando illa accepit graviter peccavit [ratione errantis conscientiæ] non sic quando certè sciret, quod verè gratiosè illa decem data ei fuere. Sic tenet *Sotus* lib. 6. de iustitia, & iur. q. 1. art. 4. pag. mihi 491. firmat *Caietanus* 2. 2. q. 82. art. 2. ad 4. *Sylvester* verbo usur. §. 6. *Armill.* verb. usur. n. 34. *Navarr.* c. 7. num. 207. *Palacias* lib. 2. c. 3. quamquam *Hostiens.* & *Panorm.* teneant, quod Franciscus in omni casu restituere illa decem teneatur; probabiliter tamen ego puto primam opinionem probabiliorem esse, quamvis non reputem secundam improbabilem.

37. Pul-

37. Pulcherrimus casus alius proponitur, & est, V. G. Episcopus, vel Curatus, aut alius quicunque ille sit, etiam Princeps, qui, facta omni diligentia, scit quanti sint eius redditus annui; dat omnes suos redditus, ut vulgo dicitur, *affitto*, sive *appalto*, plusquàm reddant, & qui illos accipit voluntariè accpit, si dantes in affictum, vel in appaltum ad aliquam restitutionem teneantur.

38. Respondeo, dantes talem appaltum, vel in affictum, &c. tenentur restituere totum id, quod suprà redditus rei affictæ, &c. recipiunt affictantes, sivè in appaltum dantes. Ratio est, quia in ista venditione, &c. non servatur æqualitas; & affictantes, sivè appaltantes, faciunt suum negocium cum securitate lucri, recipientes verò damnum suum non agnoscunt: sic Medina de reb. restituend. q. 31. pag. 35. col. 3. Vega c. 75. de restitut. pag. mihi 573. col. 1. cas. 4.

39. Alius casus proponitur curiosissimus, & est, utrùm, si, V. G. frater fullanus, qui à suo superiore, cum privilegio Regis Hispaniarum, missus in Collegio, sivè Vniversitate Salmaticensi, ut ibi occupet cathedram Theologiæ, cum utilitate sui Conventus, ipse Religiosus ad instantiam alicuius Magnatis non acceptat talem cathedrã, sed illam renunciat, & ab alio occupatur, non ostante quod talis Religiosus habuisset obedientię preceptum legendi ibi, &c. quapropter talem renunciationem Monasterium, ex quo emissus fuerat, talis Lector perdidit tales redditus; an talis sæcularis, qui persuasit talem Religiosum ad illam Lecturam dimittendam, ad restitutionem damni Monasterio illius Religiosi? & verè videtur, quod teneatur, quia si quis persuaderit mancipio, ut non laboraret, aut talem rem non ageret, qui quidem labor, &c. erat utilitatis domino mancipij, & mancipius persuasus non laborasset, sine dubio talis persuasor ad restitutionem illius damni tenetur?

40 Respondeo, non teneri ad restitutionem, quia Monasterium non habet ius ad talem utilem, nisi ipso Religioso legente, nec currit paritas de mancipio, ut benè docet Ledsma q. 18. art. 2. concl. 4. nam mancipius emptus est principaliter pro uti-

lita-

litate temporali, non sic, Religiosus in Religione; accepta tus est enim propter servitium spiritualem, non vero temporalem, immò potius est Monasterium pro Religiosis, quam Religiosus pro Monasterio. Immo dico, quod si Religio potest præcipere Religioso, ut doceat, habeat Conciones, Confessiones audiat, si eit capax, libros imprimendi, ut operas suas typis mandet, & peccat Religiosus non servando præceptum, non potest tamen Religio proventus ex talibus actionibus a Religioso repetere, de illis ministerijs, sic firmat *Navarrus* 1. tom. de restitut. lib. 2. c. 1. n. 11. 20. 21. 22. 23. & 24. *Sotus* lib. 4. de iustitia, & iure q. 6. art. 3. conclus. 5.

41. An lex illa cummunissima, nempe, *volenti, & consentienti nulla fit iniuria*, iuvet mercatoribus v. g. quando ultra iustum pretium, immo supra pretium rigorosum vendere habent merces suas emptoribus, si cum expectatione solutionis, sive cum numerata actualiter pæcunia? eo quia cognoscentes merces, & volentes illas, sic eas accipere volunt, & putant mercatores nullam emptoribus iniuriam facere.

42. Ego tamen cum *Mercat.* de contr. c. 14. de emptione, & venditione, & cum *Vega* par. 2. c. 74. pag. mihi 539. cas. 7. columna 2. dico, quod talis lex nihil illis iuvat mercatoribus; nam emptor, & si in illo pretio consentire habet, hoc facit necessitate coactus, unde non solum emptor iuvatur, sed etiam violentatur, cum necessitas sit species violentiæ non parvæ, unde mercatores accipiendo ab emptore supra iustum pretium, semper ad restitutionem teneantur, sic Auctores citati.

43. Hinc oritur alia difficultas maximè consideranda: Franciscus accipit a Iulio mercatore, rem vendibilem, quæ a mercatore in aliqua capsa ponitur, absque eo, quod mensuretur, vel ponderetur, & talis res ab emptore accipitur, ut vulgo dicitur *a credenza* cum pretio rigoroso, quando autem emptor pervenit ad domum suam capsam illam aperit, & invenit mercem non esse tantæ quantitatis, quantæ ei data est verbis: utrum ille emptor tuta conscientia possit ultra tempus conventum cum mer-

 catore,

catore, differre solutionem illius mercis, quia deceptus fuit a mercatore in consignatione mercis; difficultas magna est.

44. Respondeo cum Auctoribus citatis supra n. 42. & dico; emptorem talem non posse ultra tempus præfixum solutionem differre, quia ratio nimis iusta est, ut emptores fideliter solvant iuxta promissum, iuxta terminum sibi datum a creditore in actu emptionis, etiam, quod in pretio fuerit deceptus, & hoc non solum ratione publica, sed etiam ratione conscientiæ, unde obligatus remanet emptor in termino sibi assignato, aliàs mercatorem defraudat, & damnificat illum, quare de omni lucro cessante, tenetur mercatori restituere, sicut de damno emergente, v. g. mercator, quia non potuit correspondere suis creditoribus executus fuit, vel fuit publicatus decoctus, ad omnes illas expensas, & damna, ille emptor non solvens tenetur, & quod dico de isto emptore, dico de omnibus debitoribus non solvendo suo tempore, dum solvere possunt, est sententia communis.

45. Quæritur iterum, v. g. Magnus Dux Ætruriæ dat alicui Curato Civitatis Florentiæ centum ducatos aureos, ut pauperibus suæ Parochiæ distribuat, & de facto talis Parochus pergit per Parochiam talem pæcuniam pauperibus distribuendo, & eundo, invenit pauperem unum, dicentem esse consanguineum dicti Parochi, sed re vera non est, & dat illi decem ducatos aureos, quia dicto pauperi credidit; quæritur modo, an iste pauper sit obligatus ad restitutionem. Respondeo, pauperem illum quidem peccasse, sed non teneri acceptum restituere, ratio est: quia secundum iustitiam distributivam, illi etiam debebatur eleemosyna, quia pauper erat. Tenet Medina de restit. q. 34. pag. 78. coroll. 3. & alij non pauci cum ipso.

46. Sed adverte casum curiosum, Lector, in hac materia restitutionis. Titius dedit Sempronio aliquam summam pæcuniæ, ad hoc, ut non committeret unum peccatum; quæritur modo, an Sempronius talem pæcuniam apud se retinere possit, an illam restituere teneatur, quia aliàs lege divina obligatus erat, tale peccatum, non committere, v. g. non occidere, non facere furtum, &c.

47. Respondeo cum *Angelo*, *Panormitano*, & *Antonio* Butrio, & alijs legistis, & dico, quod est sententia probabilis, quod Sempronius teneatur reddere Titio illam quantitatem pæcuniæ, quam accepit ab eo, ne tale peccatum a lege divina vetitum, committeret. Probabilius tamen est id, quod dicunt *Sotus*, *Caietanus*, *Palestrellus*, & *Rodriquez*, dicunt enim isti, quod quamvis Titius possit illam pecuniam repetere, Sempronius tamen non esset obligatus illam talem pæcuniam restituere Titio; ratio est, quia quamvis Sempronius teneatur ex vi legum divinarum, se abstinere ab illis peccatis absque pretio; tamen quia in gratiam Titij se ab illis defectibus abstinuit, potest iure (naturæ hoc est sine peccato) illam pæcuniam, absque eo, quod restituat, retinere; quia videlicet adesit voluntati Titij; idem tenet Navarrus ubi supra citatus sub n. 40. hic, & tanto magis hoc est verum, in casibus in quibus non fit contra iustitiam, in quibus non solum Sempronius acceptam pæcuniam retinere potest, sed non potest Titius illam ullo modo repetere ex iustitia, sic firmant *Bannes* de iustitia, & iure q. 62. art. 5 pag. 139. column. 1. & 2. *Sotus*, *Orellana* 2. 2. q. 6. art. 5. conclus. 1. *Navarrus* c. 17. n. 34. *Rodriquez* tom. 2. c. 40. num. 8. *Corduba* lib. 1. q. 9. q. 2. n. 2. videatur *Vega* tom. 2. pag. 405. col. 1. 2, in cas. 9.

48. Quis furatus est quantitatem considerabilem pæcuniæ qua factus est dives, acquirendo multa bona cum dicta pæcunia, an teneatur non solum illam pæcuniam proprio domino, sed etiam totum id, quod cum illa acquisivit, & propria etiam sua industria restituere.

49. Respondeo, cum distinctione, si domino cui furata fuit pæcuniæ quantitas illa, evenit aliud damnum, quia erat mercator, & illa pæcunia negotiabatur, tenetur restituere damnum lucri cessantis, & principalem, nempe illam pæcuniæ quantitatem, quem abstulit, si vero illa pæcunia manebat demortua, solum illam restituere tenetur; ratio est, quia (quidquid parit usuraria, seu furtiva pæcunia non venit restituendum) *Panorm.* c. cano-

num, de const. & c. dilecti de arbit. *Sotus* lib. 4. de iustitia, & iure q. 7. art. 2, 341. *Summa Confessorum* lib. 2. tit. 7. q. 65, pag. 89. *Navarrus* 1. tom. lib. 4. de ref. c. 1. n. 60. verum est, quod qui accepit a fure res, quæ usu consumuntur bona fide in commodatum, ut sunt virtualia, non tenetur ad restitutionem fructuum, quamvis cum eis factus sit dives, nisi in casu, quo fur factus esset impotens ad restituendum; at si v. g. Franciscus vendidit Petro furi merces suas, & a Petro Franciscus accepit pæcuniam, quam scit esse furatam, tuta conscientia non potest illam pæcuniam apud se retinere, sed debet illam restituere, & peccavit illam accipiendo, sic firmat *Rodriquez* 2. tom. cap. 42. conclus. &c. n. 2.

50. Vtrum autem mercatores putantes, quod negocia sua sint licita, cum talia uon sint, sed illicita, habita de tali re scientia, teneantur restituere, non solum lucrum acquisitum in tali negociatione illicita, sed etiam lucrum acquisitum in licita negociatione, dum negocia faciebant sua cum pæcunia acquisita negociatione illa illicita, quamvis ipsi posuerint suam propriam industriam ad talem lucrum captandum.

51. Respondeo, casum remanere solutum ex antecedenti sub n. 49. ratio est, qui ipsi negociatores non peccarunt agendo illa negocia, quia bona fide putabant esse sibi licita,

52. Contrahens cum pueris, servis, & Religiosis, & aliis, qui non habent dominium, vel liberam rerum administrationem, quidquid acquirit, etiam per contractum onerosum, restituere tenetur. Verum est unum, nempe, quod contrahens cum pupillo habente sufficientem ætatem ad consensum, quæ quidem ætas in masculo, est decem annorum, in fœmina vero novem cum dimidio, si contractum onerosum circa res suas mobiles, non cum suo tutore, vel curatore contrahat, probabile est teneri illi stare de iure naturæ, quamvis uti possit beneficio restitutionis in integrum iuris civilis, quoniam obligatio naturalis oritur ex consensu, l. *sticum* §. *uaturali* ff. *de fæud. Tannerus* in 2. 2. disput. 4. q. 6. dub. 11. n. 310, quare fit, quod cum quis ali-

quid

quid a pupillo huiusmodi per contractum onerosum acquisivisset, posse sibi retinere, donec reparetur beneficio legis civilis. Verum est, quod etiam sententia contraria probabilis est, ut ait Summa Diana pag. 311. n. 29. pupillus absolvi deberet, sive tali obligationi standо, solvere nolit c. si iuramentum non adhibuit, sive solutum difficulter in iudicio, repetibile, sive palam, sive occultè compenset; sic *Layman* lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 9. n. 7.

53. Franciscus debet decem Caio, & petit Caium, ut illi remittat tale debitum, quare Caius motus a talibus supplicationibus submissis debitum remittit, quæritur modo, an Franciscus verè sit liber in conscientia a restitutione, quia aliàs habebat facultatem solvendi illa decem Caio?

54. Respondeo cum *Navarr.* quod liber manet Franciscus a restitutione illarum decem; ita in Manuali c. 17. n. 45. & 46. dummodo aliàs non possit restituere, & non fingat esse impotentem, quamquam non sit talis, quia ad hoc, ut fiat liber a restitutione requiritur, ut talis donatio liberè fiat, non autem necessitate ficta precum coactus donans, aliàs donans deceptus esset, & sic donatio non esset libera, & debitor semper debitor remaneret. Concurrit *Rodriquez* tom. 2. c. 47. n. 6. & c. 47. conc. n. 13.

55. Dubitatur etiam: an sit licitum fidelibus decipere infideles, in numero, pondere, & mensura dum mercaturam inter se habent, sicut fidelis possit registrare suas merces minus, quam sint, dum negotiare habent in terris Turcarum?

56. Respondeo negativè, quoad primam partem dubij, absque interventu publicæ authoritatis, quod idem dico ad secundam, unde defraudantes illos absque Principis authoritate, tenentur restituere illis totum illud, in quo defraudati sunt, & ulterius peccare dicendo mendacium in registro, sic firmat *Medina*, *&c.* *Lopez* in Summa Confess. c. 30. q. 2. *Corduba* q. 96. *Rodriquez* tom. 2. c. 73. conc. & n. 9. & c. 81. conc. & n. 9. & præcipuè si isti infideles solvunt tributum Christianis.

57. An peccent, & ad restitutionem teneantur illi, qui vendunt coria, quando sciunt vendentes non esse necessariæ perfe-

ctionis, & iuxtà legem Artis Coriariæ, dum vendunt dicta coria, pro bona, & facta secundum artis legem?

58. Respondeo: peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri, damni illati ementibus. Nec currit paritas abducta contrariæ sententiæ de locante domum meretrici, de qua habet scientiam, quod illa sit malè usura, nam potest etiam bene uti illa domo, at de illo corio non potest benè uti, sed malè, nempe absque utilitate ementis, nisi fortassis vendens, manifestaret defectum illius corij, & venderet illum pro defectuoso, & pro minori pretio.

59. Num si quis credit probabiliter, quod una res sit restituenda, quia putat eam esse alterius, & dubitat non esse suam, aut quia putat esse debitum factum a suo genitore, si hæc ratio ipsum excuset a restitutione?

60. Respondeo: excusatum esse ob ignorantiam facti, & etiam ob ignorantiam legis obscuræ, & præcipuè, si scriptores, aut periti Doctores dicunt illum non habere obligationem restituendi, &c. non minus, ac medicus in magna existimatione manens ordinans medicinam Petro, Petrus illam accipit, & ob talem medicinam moritur, non est sui ipsius homicida, ita in casu proposito; quia ille fecit quantum in se est; ut veritatem illius rei sciret, & per se non stetit; non sic si a multis peteret, & aliquos inveniret, dicentes, illum tenere obligationem restituendi; tandem invenit unum, qui dicit illi non esse obligatum ad restitutionem, quoniam tunc supponitur, quod numquam habuerit voluntatem restituendi; quemadmodum non est liber ab homicidio sui ipsius ille, qui ne expendat, aut ne sumat amaram pationem, relinquit consilium Medicorum expertorum, & moritur, utique sui ipsius homicida est, firmat *Navarrus* in Manual. c. 17. n. 82. *Adrianus* in 4. de rest. 88. not. 1. *Lopez* 1. par. cap. 131. *Rodriquez* 2. tom. c. 47. concl. & n. 7.

61. Utrùm, qui cecidit in manibus latronum, & ipsi volunt illum occidere, nisi daret illis centum ducatos, ipse non habebat illa centum, sciebat tamen amicum suum habere talem sum-

mam

mam absconditam in aliqua parte, & inde ipse abstulit, & solvit latronibus, ut suam vitam a morte liberaret; an teneatur deindè restituere illa centum amico suo, &c. & prima facie videtur non teneri ad restitutionem, & sic est, quia tempore necessitatis extremæ omnia sunt communia; sic *Armilla*, Io. *Medina* c. de restitut. pag. 10. col. 2. veniendo tamen in meliorem fortunam tenetur restituere.

62. Deduco totum hoc ex alio casu; Venientes ex Indijs multi in una navi, insurrexit tempestas in mari ita valida, quod si non projcerent merces in mari, omnes simul cum navi submergerentur infallibiliter, projecerunt de facto merces, ut se, & navim salvos redderent, non tenentur ad restitutionem, quia nullum damnum intulerunt domino, prout habent leges ff. ad l. *radian. de iactu*, l. 1. §. *cum in ead. navi*; sic in casu antecedenti tempore necessitatis extremæ omnia sunt communia, præcipuè res, quæ usu consumuntur, ut sumus in casibus propositis: nam tunc accipiens fit dominus, sic tenet *Sotus* lib. 4. pag. mihi 338. nec non *Scotus*, quod valet non solùm in casibus adductis, verùm etiam ad adiuvandum proximum suum in etrema necessitate positum, quando non habet alium modum illum adiuvandi, & liberandi à tali extrema necessitate, firmat Iacob. de *Graffis* à Capua in sua decisione, *Danadas* lib. 2. c. 94. n. 15. & 17. & c. discipulus; undè extrema necessitas est illa, in qua quis non habet, nec spem habendi retinet, sic *Lopez*, *Rodriquez*, *Sotus*, cum alis, & *Vega* p. 2. c. 38. de necessitate, pag. mihi 387. suo dictu totum firmat.

63. Titius commodavit ducentum ducatos Caio, & quia Caius commodavit Titio viginti staria frumenti, dedit illi in tempore, in quo frumentum valebat octo iulios strarium, Titius reservavit frumentum ad meliorem fortunam, & vendidit illum ad quatuordecim iulios pro quolibet stario; non est ponendum in dubium; quod tenetur restituere Titius frumentum Caio, quia pro mutuo nihil accipiendum est, iuxtà illum *mutuum date nihil inde sperantes*. Sed difficultas est, an debeat Titius restituere iuxtà valorem

frumenti

frumenti quando illud accepit, an verò quando illud vendidit.

64. Respondeo, quod tenetur restituere frumentum receptum ad valorem tempore venditionis dicti frumenti, deductis expensis, si facturas aliquas ille, qui frumentum dedit in conservando illud, aut fecit aliquas expensas ille, qui talem frumentum vendidit; ratio est, quia rerum pretium non distinguitur ab ipsis rebus, quando ipsæ res in suo esse reperiuntur, absque eo quod consumentur, quia ille, qui frumentum recepit, numquam fuit dominus frumenti, quia ab initio receptionis illius frumenti fuit usurarius, & consequenter nunquam acquisivit dominium, sed fuit tamquam administrator; sic firmat *Bannes*, & *Vega* p. 2. suæ practicæ interioris c. 572. col. 1. cas. 53. Possent hic infiniti casus proponere in hac materia, sed quia aliæ me supprimunt difficultates, ne tibi benevoli Lectori tædium afferam, ad aliam quæstionem procedam.

SVBSECTIO IV.

De tempore, in quo fieri debet restitutio.

65. CVM restitutionis præceptum sit principaliter negativum, ut in antecedentibus dixi, atque probavi clarè; sequitur obligare semper, & ad semper, non quod actus positivus restitutionis debeat fieri singulis momentis temporis, quo in homine est obligatio restituendi, sed toto tempore, quo potest commodè restituere, peccat non restituendo, vel continuando peccatum, vel de novo peccando, si prius non cessavit obligatio, vel peccatum, quidquid Caietanus dicat hic artic. 8. & infra q. 66. art. 3. mea tamen doctrina, est Beati Thomæ hic art. 8. ad 1. Vnde si obligatio restituendi oritur ex furto rapina, &c. statim facienda est restitutio: si vero ex aliquo contractu, vel pacto, restitutio facienda est statim, ac transit terminus præfixus ad solutionem. & si quod actum extensum, non sit necesse fieri statim, matematicè, sed tantum moraliter, quoad actum inter-

num,

num, si hoc facilè facere potest, & hoc sufficit, ut cesset debitor a continuatione peccati, non modo explicitè, & in particulari, verum etiam in confuso, ut si quis non attendens se alienum retinere, sufficienter debet in genere de omnibus suis culpis, in hac materia si haberet accusare, & proponere in posterum, nullum se mortalem commissurum.

66. Quibus addo, quod moribundus, qui potest statim restitnere, & vult restitutionem committere hæredibus, non est absolvendus, prout ait Sotus. Tum quia talis voluntas est conditionalis, nempe restituendi si moritur; Tum etiam, quia hæres testatoris voluntatem implere in ijs sępè non curat, & quandoque etiam non possunt, abveniente alijs hæreditate, quàm nominatis; vel suscitatis litibus, &c. & id quod dico de restitutione rerum, concludo de restitutione famæ, nec potest absolvi sanus, qui statim potest restituere, & non restituit, est doctrina communis.

67. Objcies 1. pro Caietano ubi supra art. 8. præceptum restitutionis est affirmativum, contra quod præceptum non peccat quis, quoties non habet actum positivum restituendi; ergo tale præceptum non obligat semper, & ad semper, nec consequenter peccat toto tempore, &c.

68. Respondeo ex D. Thoma ibidem ad 1. præceptum restitutionis est affirmativum minus principaliter, concedo; principaliter, nego, & eodem pacto distinguo secundam partem, & nego consequentiam.

69. Objcies 2. pro eodem Gaetano ubi supra q. 66. artic. 3. & si quis retinet rem alienam, cum illam restituere possit, fit in statu peccati, sicut qui mortaliter peccavit, & non pænituit, tamen interna voluntas non continuatur in illa externa retentione; ergo ipsa continuatio externæ retentionis non est continuatio peccati; peccatum enim, sicut non potest non esse voluntarium, ita continuatio illius sine voluntaria continuatione. Probatur antecedens; quia voluntas non continuatur nisi in actibus ab ipsa voluntate imperatis, non autem in effectibus actuum impera-

peratorum, ut patet in privatione gratiæ sequutæ a peccato: sed retentio rei alienæ non est actus imperatus a voluntate, sed effectus secutus ab actu imperato, scilicet furto: ergo interna voluntas non continuatur in externa retentione.

70. Respondeo: nego antecedens, & ad eius probationem distinguo maiorem, voluntas non continuatur in effectu actus imperati, si talis effectus liberè duret semper dependens a voluntate, nego, in hoc enim mala voluntas continuatur quantum satis est ad peccati continuationem, ut patet in eo, qui manet armatus cum voluntate occidendi; si vero talis effectus duret independenter a voluntate, ut est privatio gratiæ, concedo, & eodem pacto distinguo minorem, & nego consequentiam.

71. Obijcies 3. si vera esset mea doctrina, dicunt adversarij, sequeretur, quod qui hominem occidit, & etiamsi non gauderet de occisione, semper continuaret actuale peccatum occisionis; atqui hoc est falsum; ergo, &c.

72. Respondeo: quod dispar est ratio, & ratio disparitatis est; quia effectus ex occisione secutus non est actionis voluntatis, sed sequitur necessario ex occisione; unde non pergit amplius nocere postquam occidit; qui vero non restituit pergit amplius nocendo, magis, & magis domino rei ablatæ, sive retentæ iniustè, quod quidem maius damnum sequitur, ex detentione illa libera, & voluntaria, qua potest domino reddere.

73. Obijcies 4. in opere externo non continuatur mala voluntas, nisi quando ordinatur in malum finem, ut deportatio armorum in ordine ad occisionem: sed detentio rei alienæ non ordinatur ad malum finem; ergo, &c. respondeo, de quo minus; ergo de quo magis, si ordinatio ad malum finem operis externi indifferentis, vel leviter pravi importat continuationem malæ voluntatis: quanto magis operis de se mali, ut est retentio rei alienæ; quæ quo magis durat, magis, ac magis nocet, ut continuatio libera iniustæ conversationis.

74. Obijcies 5. sequeretur, quod gravius peccaret, qui per totum annum retineret rem alienam, quam qui quotidie furaretur

tur, & statim restitueret rem ab ipso furatam. Respondeo: negando sequelam; magis enim peccat hic secundus ob affectum in tot furtis ostensum propter quem affectum gravius peccatur in continuatione furti, quàm in retentione rei furatæ, &c.

75. Obijcies 6. Sequeretur, quod, qui sepius revocat intentionem non restituendi, & qui solum positivam determinationem habet, eodem modo peccarent. Nego sequelam; nam non maiorem affectum ostendit, qui est in renovatione propositi, quàm qui in pura continuatione antiqua perdurat.

76. Vtrum ille, qui de novo revocat voluntatem, committat distinctum peccatum? Respondeo cum distinctione, vel enim revocatio propositi fit tempore, quo obligatio restituendi non extat, ratione alicuius conditionis ex infra explicandis; vel tempore, quo obligatio prædicta restituendi non urget; si fit tempore, quo urget obligatio non committit novum peccatum renovans intentionem: quoniam iam antiqua perseverat voluntas in opere externo iniustæ retentionis; sed solum regravatur malitia peccati, plusquam gravaretur per puram continuationem; si vero fiat tempore, quo non urget restitutionis præceptum, committit novum peccatum, quod pro tunc consistit in mala voluntate in seipsa existente.

77. Obijcies 7. Stantibus responsionibus allatis, sequeretur, quod qui tenetur restituere, & non restituit continuo peccaret, etiam si dormiat, vel naturaliter obliviscatur; immò etiam si pæniteat de peccato, sed hæc sunt absurda, ergo, &c. Nego sequelam, dormiens, & naturaliter oblitus, vel in maioribus occupatus, non potest commodè, & per consequens non peccat non restituendo, qui vero pænituit, proponens restituere tempore commodo, discontinuat peccatum, quod si tempore commodo adveniente non restituit, de novo peccat, hæc est vera ratio, quæ solvit argumentum, & illud evanescere facit.

An quandoque Restitutio possit licitè prætermitti, aut differri sine peccato.

HViusmodi dubij enodatio petenda est ex ijs quæ dicta sunt q. 1. cum de immutabilitate legis naturalis locutus fui; cum enim restitutionis præceptum sit naturale, numquam licebit restitutionem prætermittere, aut differre, ex eo capite, quod aliquis solvatur a præcepto restitutionis; sed ex eo quod restitutio sit talibus adiuncta conditionibus, ut re ipsa, nec ipsum non restituere sit obiectum præcepti supra explicati; quæ conditiones sunt causæ, quandoque excusantes a restitutione, vel omnino, vel ad tempus. Sunt autem variæ, ut videre est apud *Medinam* c. de rebus restituendis q. 3. quas diversis subsectionibus examinabo.

SVBSECTIO I.

De Inopia, & Impotentia debitoris.

1. COnclusio 1. responsiva dubij propositi in titulo est si debitor, non habet unde restituat, neque ex ijs, quæ actu habet, neque ex ijs, quæ potest acquirere propria industria, labore, aut aliundè excusabitur a restitutione.

2. Probo conclusionem, etenim ad impossibile nemo tenetur, nec tali impotenti restitutio præcipitur; sicuti si ex restitutione sequatur extrema necessitas in restituente, vel suorum, aut proximi, ità quod, si talis necessitas sequitur ad restitutionem, simpliciter excusatur debitor a restitutione, si provenit à restitutione in toto, excusatur à restitutione in toto, non autem à particulari: si autem à restitutione statim facienda provenit illa extrema necessitas, excusatur ab huiusmodi obligatione, & sic restitutionem differre potest debitor; quod intelligendum est etiam

si cre-

ſi creditor in pari verſetur neceſsitate; cum neceſsitatis tempore omnia ſint communia, ſaltem quoad uſum; non minus, ac ſi numquam rerum diviſio facta eſset; & ceſsat dominij poſseſsio, & ceſsat ius gentium post peccatum introductum, quapropter, nec in tali caſu quis tenetur restituere, etiam ſi res eſset in ſpe debita creditori (quid, quid dicat Navarrus lib. 4. c. 4. n. 26.) niſi fortè creditor illius rei ſubtractione, ſit in tali diſcrimine coniectus, quia ſubstrahere rem alicui, qua ille extremè indiget, idem est ac illum occidere, & in pari caſu melior est conditio poſsidentis: quapropter ſi ante tempus extremæ neceſsitatis ſuæ vel etiam comunis, vel etiam per iniuriam, tuum ego occupavi panem, aut tabulam, aut equm tuum tempore fugæ, ſive tempestetatis in mari, aut famis non teneor tempore famis, naufragij, vel fugæ ab hoste, tibi reddere panem, tabulam, aut equm in tempore belli, etiam ſi ſimul in eadem contingentia inciderint. Secus verò, ſi tuum panem ego occupavi tempore famis, tuam tabulam in naufragio, tuum denique equm in fuga. Si autem eodem neceſsitatis tempore eadem res à duabus occupatur, vel dividenda erit, vel ſi indiviſibilis eſt, ſorti tradenda est: idem dicendum putat *Lexius* cum *Soto Suario*, & *Tobien* in materia de extrema neceſsitate, Patris, Matris liberorum, & uxoris, immò & de fratribus, contra Covarruviam, & alios.

3. Concluſio 2. In caſu gravis neceſsitatis propriæ parentuum, & patroni, &c. excuſari debitorem à restitutione, est communiſsima ſententia DD.

4. Limita tamen, niſi creditor in pari verſetur neceſsitate. Immò *Scotus*, *Richardus*, & *Paludanus*, hanc etiam limitationem ponunt in caſu neceſsitatis extremæ, at ego firmo, quod potius dicendum ſit cum Lexio lib. 2. c. 18. dubio 1. n. 19. hanc conditionem nec in caſu gravis neceſsitatis apponendam eſſe, dummodo debitor in illa creditorem non poſuerit; ſive de reliquo debitum ſit ortum ex furto, ſive ex contractu, quia non modo in caſu extremæ neceſsitatis, verum etiam gravis melior est conditio poſsidentis, cum etiam in caſu gravis neceſsitatis liceat rem

alie-

alienam, qua dominus non eget, accipere, & consequenter, si post ablationem ille alter, vel ambo incidunt in gravem necessitatem, suscipiens illam rem, non tenetur primo domino illam restituere, paritate rationis facta cum extrema necessitate.

5. Maior difficultas est: In transacta necessitate ex parte debitoris, teneatur ne dare domino? Respondeo cum Lexio ubi supra a n. 3. & dico; si res sunt magni momenti, ita ut donata non censeantur, teneri, secus verò, si parvi valoris sint, ratio utriusque partis est; quia extrema tua necessitas, non transfert in te dominium rei alienæ, sed tantum tibi tradit ius utendi, quantum satis est, ut periculum evadas, cum minori quoad fieri poterit alterius damno, & incomodo, nec aliter tenetur tibi rem suam dare, nisi quatenus opus est, ut tuæ consulas necessitati; ad hoc autem sufficit, ut rem suam tibi mutuo concedat, cum, ut supponitur, det tibi cum obligatione restituendi, cum habueris facultatem hoc faciendi; ergo, &c.

6. Hæc autem ratio non militat in rebus parvi pretij, quia talia non solent pauperibus sub onere restituendi dari, cum ad feliciorem pervenerint fortunam, sed illis absolutè dantur: quapropter [non solum si res extent, ut fert communis Doctorum opinio, post necessitatem restituere proprio domino teneris, ut si eguisti, ut v. g. est equus, verum etiam si res fuerit consumpta, & hoc non modo si contractus intercessit ante, vel in ipsa necessitate, sive sit dominij translativus, ut venditionis; mutuationis, &c. verum etiam si non sit dominij translativus, ut conductio, depositum, ut inquit Petrus Navarrus lib. 4. c. 4. n. 26. verum etiam si ex delicto, ut esset res furata ante necessitatem, dist. 15. q. 2. ait *Scotus*; vel etiam sine delicto in ipsa necessitate, [quid, quid in contrarium sentiant ipse Scotus ibidem, *Ricardus*, *Paludanus* &c.] cum in hijs omnibus militet ratio Lexij supra relata; unusquisque enim dum in necessitate utitur, cum consumit rem alienam, se tacitè obligat ad restituendum, cum aderit fortasse copia, unde cessat ratio quæ in contrarium adducitur, scilicet non teneri, rem acceptam restituere, quæ videlicet est, ne-

que

que ratione iniustæ acceptionis, quæ vel nulla est, vel si fuit, adest tamen iusta acceptio conditionata tempore necessitatis, cum possit illam tuo iure consumare; neque ratione contractus; qui si est, non obligat re pereunte sine tua culpa. Cessat, in quam, hæc adversariorum ratio: Teneris enim ratione contractus, saltem taciti, qui etiam obligat rem sine tua culpa pereuntem, quia hoc est pactum contentum in contractu, & certò, res perit non autem fortuito, cum ipsam accipias ad consumendum, vel fugiendum, unde si in fuga quis accipiat alterius equum, si equs interimat, tenetur non modo ad pretium conductionis, verum etiam ad pretium equi, si fuit probabile periculum interitus dicti equi; videtur enim illum accepisse, non modo ad utendum illo, verum etiam ad illum occidendum, quamvis sine peccato; secus verò si non sit probabile periculum interitus, tunc enim mors equi censetur fortuita, sive si equs pereat apud conductorem, absque eius culpa, præter contrarium pactum, perit domino, seu locatori, non autem conductori.

7. Magnum periculum tuæ salutis, vel tuorum (docet *Divus Antoninus*, secunda parte titulo 2. c. 8. *Scotus* dist. 15. q. 2. *Enricus* quodlibet 6. q. 24. *Navarrus* c. 17. n. 17.) excusari ab obligatione restitutionis, vel simpliciter, vel ad tempus, si periculum sit ex restitutione simpliciter, vel ad tempus incidendi in aliud maius periculum, restituendo, nempe, ut eius uxor, aut eius filiæ se prostrituant, vel ut eius filij evadant latrones, &c. Sed apud me istæ rationes nihil differunt, à gravi necessitate; nam vel adest extrema, vel gravis necessitas, vel non, si adest & est extrema necessitas, iam non tenetur restituere, si non adest sed solum gravis, iam habet alium modum; quamvis non adeo commodum periculum evadendi, & per consequens non excusatur à restitutione; Neqne tenetur mulier detegere partum spurium, aut suppositivum, ad indemnitatem filiorum legiptimorum, nisi fortè bonum famæ ipsius sit notabiliter minus bono filiorum legiptimorum, ex tali detectione obventuro, quod locum habet, quando mulier non est valde boni nominis; neque in

tali

tali casu distinguendum puto, à magno detrimento infallibiliter, in rebus non debitis secuturo, docent idem DD. a restitutionis non simpliciter, sed statim faciendæ obligatione excusari; quia in huiusmodi eventu secundum rectam rationem, tenetur ex quadam æquitatem creditor in dilationem consentire, ità postulando virtus charitatis. Unde si dominus est invitus, irrationabiliter hoc facit, & per consequens huiusmodi restitutio facienda, non est obiectum præcepti restitutionis (hæc dico de rebus non debitis) quia si magnum detrimentum est in rebus debitis, v. g. furto sublatis, iam non patitur detrimentum in rebus suis, vel si res sublata sit magni pretij.

8. Denique iacturam notabilem decentiæ, proprij status similiter ad restitutionem non simpliciter, sed statim faciendam excusare docent ipsimet Doctores citati, propter eandem rationem: *dixi proprij status*, quia si statum iniustè acquisivit v. g. per rapinam, furtum, usuram, &c. iam non patitur notabilem iacturam proprij, sed alieni status.

9. Quapropter, qui centum debet aureos, & non valet statim solvere, nisi propriam domum, vel predium vendat, multò minoris, quàm valet, non tenetur statim solvere, sive debeat ex contractu, sive ex debito, negat Caietanus cum Soto, affirmat vero Navarrus ex Divo Antonino, nam sicuti debitum est ex facto, sive ex contractu tenetur creditor ex Charitate dilatare; sive dilationem debitori concedere, si id absque gravi incommodo concedere potest: secus vero si substantiæ creditoris perirent, si restitutio non fieret, aut hic & nunc periclitarentur, sicut etiam debitoris, tale detrimentum debitoris non excusat a restitutione simpliciter facienda: verum est, quod vir nobilis non teneatur statim restituere, quando statim restituendo privatur omni obsequio famulorum, &c. cogiturque tamen se abstinere à consortio sui similium: quod idem valet de Cive antiquo, seu primario, quando ad artem meccanicam transire debeat solvendo statim debita, quomodocunque illa sint, sive ex contractu, sive ex debito, quamquam in hoc non omnes conveniant, nam,

ut

ut superius dixi, limitat Lexius, & Sotus lib. 4. de iustitia q. 7. art. 4. & Petrus Navarrus lib. 4. c. 4. n. 40. dummodo ex sua culpa in talibus angustijs non sit redactus, v. g. ludo conversationibus impudicis, ebrietatibus, &c. & nisi creditor simile damnum ex dilatione solutionis huiusmodi sit accepturus in re familiari, vel statu suo damnum notabilem; quia hic non est eadem ratio, quæ est in casu extremæ, vel gravis necessitatis; ijs enim casibus exceptis, in causa paris dominij, melior est conditio possidentis.

10. Puto tamen Regulam generalem in huiusmodi materiam esse (exceptis casibus extremæ, vel gravis necessitatis) tùm in temporalibus, tùm in spiritualibus, tùm sui, tùm suorum, quoties est maius damnum secuturum debitori ex restitutione, quam bonum creditori eventurum, toties excusari, non modo à restitutione statim, verum etiam ex restitutione simpliciter facienda, si maius hoc damnum sequatur à restitutione; ratio est, quia tunc ex charitate solum tenetur debitor ad restitutionem, & creditor ad dilationem consentire, & per consequens dilatio huiusmodi non erit retentio rei alienæ invito rationabiliter domino, unde excusabitur, a restitutione rerum temporalium, vir gravis, qui sine iactura propriæ famæ nequit, vel statim, vel etiam simpliciter restituere, quia eius fama est maioris momenti bonorum temporalium; secus verò, si vir vilis conditionis. Item excusatur à restitutione centum aureorum, qui non potest, vel statim vel simpliciter solvere, vel restituere, absque eo, quod domum vel predium multò minus, quàm valeat, ut supra dixi, vendere cogatur. Si tamen sit minus damnum creditoris, quàm debitoris, vel ad dilationem, aut ad negationem restitutionis iuxtà suam facultatem & conditionem; non enim hæc maioritas, & minoritas debet quomodoqunque pensari; sed in ordine ad conditionem personæ. Diuti enim parum sunt centum aurea, pauperi verò & ordinariæ conditionis multum sunt, qui si vel statim, vel simpliciter restitueret, tantum damnum sibi importaret at si talis ommissio, esset maius damnum creditori, tenetur re-

stituere statim, secus verò in casu parvi damni, ut supradixi ex doctrina aliorum; nam extra gravem, vel extremam necessitatem, in qua secluditur ius gentium de rerum divisione, charitas enim incipit a seipso, unde creditor non tenetur expectare nec suum utilem postponere alieno, & è contrà. Verum est quod debitor veniendo in meliorem fortunam tenetur statim restituere.

11. Nec obstat fortasse in huiusmodi eventu, licerè rem alterius subripere, & consequenter licerè non restituere, nec statim nec simpliciter, vel ad tempus. Tùm quia fortasse, licèt positis suprà explicatis conditionibus, cùm ex charitate quisque fortasse teneatur cum suo proprio damno, alterius damnum maius impedire. Tum quia minus damnum est retinere alienum, quam propria auferre, sicut minus damnum est, non curare vulnus, quam illum in ferre, quæ omnia intelligenda sunt, sive debitum sit ex contractu, sive ex delicto, ut dixi suprà, ex aliorum doctrina. Similiter puto, sive debitor in tales angustias per infortunium, sive per culpam se constituat actum charitas huiusmodi exceptiones non patiatur, aut regulam: quod si alicui non placeat, sive displiceat, sequatur potiùs ex diametro oppositum, nempe sufferat huiusmodi detrimenta, neque ad restitutionem simpliciter, neque ad restitutionem statim faciendam, sive debitor sit ex iusto contractu, sive ex debito, sive in similes angustias per infortunium sive per culpam lapsus, sive redactus, aliqualiter excusari: cum charitatis ratio vel in omnibus militet, vel nullibi; nisi fortè supra explicata distinctio de restitutione simpliciter, & de restitutione facienda fundetur in eo, quod restitutio simpliciter sit maioris momenti, quàm ipsa statim facta.

12. Advertendum est tamen, quod in casu quo status iactura ametur, tenetur debitor quantum potest iuxtà limites decentiæ sui status, qui non sistit indivisibili ut sic, si restituat, cum hoc sit minus damnum, saltem regulariter, quàm quod creditori abneget, sive differat, aut neget restitutionem.

13. Non est tamen improbabilis sententia illorum DD. ut sunt *Scotus*, & *Sotus*, qui dicunt, quod quando debitor non potest

est prolongare restitutionem absque suo gravi damno, creditor tenetur nolle potiùs recuperare id, quod illi debetur, quam id recuperare cum gravissimo damno sui debitoris.

14. Verum est, quod quando ille, qui restituere debet, & si bona possessa ab ipso sunt acquisita negotijs illicitis, tenetur statim restituere, etiam si à statu suo cadat; si propter tale lucrum illicitum ad illum statum pervenit: sic firmat *Alfonsus Vega* minimus par. 2. practicæ interioris verbo restitutio c. 75. columna secunda pag. mihi 552.

15. Verum autem ratione huiusmodi licitæ dilationis teneatur debitor compensare damnum inde sequtum, & lucrum creditori; constat, cum iam ex supradictis colligatur, quod teneatur ad restituendum principale, saltem post transactas angustias, sicuti tenetur transacta necessitate extrema, & consequenter tenetur tūc ad recompensandum damnum emergens, non modò si debitum sit ex delicto, verum etiam ex contractu iusto, contractus enim tacitus videtur, quod si elapso termino debitor non restituat, teneatur ad damna emergentia, & lucra cessantia; quamvis in contractibus contrarium sentiat Petrus Navarrus n. 65. excipe quia Lexius ubi supra, apud ipsum n. 32. contractus de censibus solvendis, quia ex comuni praxi non intelliguntur cum præfata conditione, addit idem Lexius, debitorem, etiam ex debito non teneri ad restitutionem lucri cessantis, & damni emergentis creditori pro eo tempore, pro quo si restitueret, se constitueret in extrema necessitate: sed tantum pro eo tempore, pro quo si restituisset, grave damnum in bonis propris, vel status iurè aquisiti, vel famæ iacturam passus fuisset: sed ego potiùs contrarium dicendum puto, cum in casibus necessitatis, ut supra dixi, cum eodem Lexio, non transfertur usus rei alienæ, nisi quantum opus est, ut periculum evadat, cum tacito contractu restituendi, cum fortè ad meliorem fortunam venerit. Ex quo non modo sequitur obligatio restituendi sortem principalem, verum etiam omnia damna, quæ probabiliter in rei subreptione, vel consum-

ptione videbatur futura: ergo &c. ut suprà concludo de utente equo alieno in fuga, casu quo equus interimat; omnia enim hæc tacito contractu videtur sibi assumere in huiusmodi casibu debitor.

16. Hic occasione plures casus in hac materia de restitutione propono. Primo, An depositarius, sive thesauriarius alicuius Principis, qui negotiationem facit cum pæcunia Principis, absque eiusdem Principis scientia, & facultate, ex qua negotiatione dictus thesauriarius evadit ditissimus, absque eo quod rebus domesticis Principis damnum aliquod eveniat, an iste, qui pæcuniam Principis ministrabat, & absque scientia, & consensu dicti Principis talem pæcuniam ad suam propriam utilitatem traficabat, venit ad mortem, & suum testameutum condere vult, & petit a suo confessario de illis bonis acquisitis ære alieno, an videlicet relinquere debeat Principi, an vero suis filijs, vel parentibus, dum liberos non habet?

17. Respondeo, stante casu poposito, posse talem thesaurarium relinquere filijs suis, vel parentibus divitias illas tuta conscientia; quia, ut supponitur, familia Principis, & Princeps ipse nihil passus est in rebus familiaribus, &c. & omnes servi suo tempore stipendium suum habuere, quod si non habuissent, ad talem damnum tantum resarciendum teneretur. Quare fit, quod cum pæcunia natura sua non sit ex se fructifera, sed solum ratione personæ negociantis illam, quod usurarius, & fur si fiat dives ære alieno industria sua, tenetur solum ad restitutionem principalis, non ad lucrum acquisitum, dummodo lucrum sit acquisitum licita negociatione, immo addo, & dico, quod quando quis vellet accipere alquid de ipso lucro acquisito ab usurario, aut lattrone industria licita acquisito, graviter peccaret, & usuram committeret, dummodo hoc non peteret ratione alicuius lucri cessantis, aut ratione damni secuti ex furto, sic probant Sacri Canones c. *plerique*, & c. *si* 14. q. 1. *S. Thomas* 2. 2. q. 87. art. 4. Div. *Antoninus* par. 1. c. 15. §. 3. *Sotus* de iustitia, & iure lib. 6. q. 1. n. 4. *Navarrus* in Manuale c. 23. circa emp.

& ven-

& vendit. n. 94. *Sylvester* verbo restitutio 3. q. 9. in dicto Veia en sus respons. cas. 41. pag. 183.

18. Item alia difficultas proponitur. Petrus cum Berta simul se desponsarunt per verba de futuro; at deinde Berta mutavit consilium, & significavit Petro, nolle amplius inire matrimonium; Petrus ira motus, & odio, gravibus minis urget Bertam, a quibus minis, ut se liberet Berta mittit Petro centum ducatos, & Petrus dictam pæcuniam recipit, & pacificatur. Quæritur modo: an Petrus tuta conscientia ducatos centum possit retinere, an vero ad restitutionem teneatur?

19. Respondeo, quod si Petrus, passus est aliquod damnum in tali dissolutione matrimonij a Berta, aut in rebus ob expensas iam factas, aut in fama, quia amisit apud alios famam boni viri, &c. potest illa centum retinere, sic firmant Sacri Canones. *Arg.* c. *dilectus* 2. de *Simon.* & *Argum.* ff. denatio, in l. *nemo*; tanto magis, quod Petrus non minatus est Bertam, ad extorquendum dicta centum, sed solum, quia defecit in promissis, unde sine dubio tuta conscientia potest illa retinere ob iniuriam, & damnum sibi a Berta illatum, c. *gemma de sponsalibus*, & c. *cum locum*, & c. *requievit* eod. tit Div. *Thomas* in 4. dist. 27 q. 2. art. 1. in respons. ad 4. *Luis Veia* en sus casus, cas. 1. *Navarrus* in Manual. c. 17. n. 34.

20. Vtrum denique, si quis habeat restituendi propositum, ut ex ipso sit certò futura realis restitutio, notabilis mora ad restituendum realiter, stante commoditate, sit peccatum mortale? negant quidam, quantumvis sit invitus dominus dummodo nullum damnum inde sequatur, nullumque lucrum illi cesset. Verum non video ullam excusationis causam; cum ex una parte sit notabilis retentio rei alienæ invito domino, & ex alia parte nullum sit impedimentum ad restitutionem faciendam commodo, ut supponitur, & per consequens dominus non est invitus irrationabiliter; quod autem dicitur de damno non secuto, & de lucro non cessante, non obstat, nam quamvis non teneatur ad restituendum quid ultra sortem, non sequitur non peccare

mor-

mortaliter contra iustitiam, retinendo rem alienam, cum ipsa retentio sit iniuria domini; præterea sequitur, quod excusetur a peccato, quando ex retentione sequitur damnum, aut lucrum cessat, si videlicet habet firmum propositum restituendi tum damnum, tum sortem principalem, tum etiam damnum emergens, & lucrum cessans.

21. Huc spectant humanæ vitæ ordinariæ functiones, & occupationes, non enim tenetur homo noctu surgere, sacrum relinquere, maioris curæ oblivisci ad restitutionem faciendam: sed forte huiusmodi causæ non excusant a mora, moraliter notabile, sed a mora mathematica, ad quam vitandam homo non teneri, iam antecedenter dictum est, cum huiusmodi functiones soleant pariter durare, secus vero, si è contrà.

SVBSECTIO I.

De Creditoris Remissione.

22. Secunda excusationis causa a restitutionis obligatione, creditoris enumeratur remissio, iuxta ipsius remissionis limitationem, est communis omnium; cum huiusmodi restitutio non sit amplius obiectum præcepti de restituendo: quod intellige etiam, amatissime Lector, si debitor habuerit animum non restituendi; & quatenus creditor non remisisset; quamquam peccaret huiusmodi debitor, non teneretur ad restitutionem; quia per remissionem debitum extinguitur. Requiruntur tamen ad huiusmodi remissionem validandam, & consequenter ad debitum extinguendum tres conditiones, quarum.

23. Prima est, ut sit omninò libera, non extorta, videlicet metu, vel fraude; ut si expressè debitor, vel tacitè creditori minaretur, nisi in parte, vel in integrum remitteret, si fingeret se longè pauperiorem, quam sit, blanditijs, & precibus importunis, itaut creditor hijs importunitatibus potiùs velit se sua pæcunia privari, quàm inquietum vivere in talibus molestijs.

Tunc enim remiſſio non valeret in conſcientia, quia facta eſſet cauſa vexationis redimendæ; Secus verò, ſi preces ſint ordinariæ, etiam ſi pecunia non oſtendatur præſens, ſic enim impediretur intentum, nam preſentia rei moveret potius creditorem ad non condonandum, ut optimè docet Caetanus; quod ſi quis habeat aliqua remiſſionem debiti, ità extortam, tenetur vim, & fraudem tollere, ut donator iterum ratam habeat dictam donationem, aut remiſſionem, vel irritam, quam compulſus minis, aut precibus, ſinitis iam fecerat ab initio.

24. Secunda conditio eſt, quod condonans ſit talis, ut condonare poſſit, quapropter remiſſio facta à Pupillo, & a filio familias non valet, ſicut nec remiſſio facta ab uxore, debitori mariti, nec couſequenter remiſſio facta a tutoribus Pupilli, ſi a pupillo tranſacta ætate pupillari non ratificetur, benè tamen tenet remiſsio facta à filio familiæ, & ab uxore, ſi ipſi habent bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia.

25. Tertia conditio eſt, quod remiſsio non fiat contra c. *Exigit*, & contra c. *ſequent.* de cenſibus, & ex actionibus, ubi Epiſcopus, vel Archiepiſcopus viſitans Eccleſiam ſuam, ſive ſuas Eccleſias, & accipiens pluſquam ſit neceſſarium, ad victum illius diei viſitationis, tenetur ad reſtitutionem in duplum infrà menſem, & ità ſtrictè tenetur ad hoc, ut illi remiſsio dantis nullo modo proſit. Secundus Caſus eſt ex c. *Statutum*, §. *inſuper iuncto*, §. *ſi quid de reſcriptis* lib. 6. de Iudice delegato accipiente aliquid a partibus, niſi fortè eſculentum aliquid, aut poculentum, ex mera liberalitate illi oblatum, quod paucis diebus poſsit conſumi ab accipiente, dum cogitur extrà domicilium, & pluſquam moderatas expenſa cogitur facere; vel aliquid accipiendo, quando partes ſunt notabiliter pauperes. Tenetur enim reſtituere, non obſtante qualibet remiſsione. Tertius Caſus eſt ex Clementina, *volentes de Hereticis*, ubi Inquiſitores prætextu officij pæcunias extorquentes tenentur ad reſtitutionem. Quartus caſus eſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12. de reformatione ubi Canonicus abſens horis Canonicis debet diſtributiones

butiones restituere, non obstante remissione eorum, quibus distributiones deberent accrescere, quæ quidem cessio invalida est.

26. Hinc ego infero; quod sicuti remissio creditoris licitè facta, quando est expressa, excusat debitorem a restitutione, ita etiam remissio præsumptiva a restitutione excusabit.

27. Circa quam præsumptivam remissionem notandum est cum Molina tom. 3 disput. 68. n. 3. quod si quis retinet rem alienam, putans quod dominus non sit invitus talis retentionis, non peccat mortaliter, etiam si revera invitus sit: unde constito sibi, quod dominus postea est invitus, non tenetur ad plus, quàm ad rem illam restituendam, si res adhuc extat, si minus ad rem illam, & ad id, inquo factus est dictior ratione illius rei retentæ. In foro tamen exteriori, semper dominus supponitur invitus, & debitor iniustus detemtor rei alienæ, etiam si postea dicat dominus non fuisse invitus; si tamen non adsint certæ coniecturæ, quæ id persuadeant, iuxta *glossam* in l. *inter omnes* §. *rectè*, verbo veruntamen, ff. de *furtis*, de qua re latius Antonius *Gomez* tom. 3. var. resolut. c. 5. n. 1. & 2.

28. Ex hac doctrina potest dari aliqua regula generalis ad excusandos multos pænitentes ab obligatione restitutionis. Si v. g. filius familiæ furatus sit in propria domo centum, & vel ad ludum, vel ad meretrices consumpserit, sine dubio peccat mortaliter; sed ut plurimum ad restitutionem non tenetur; quia præsumitur, quod si pater eius est invitus circa finem furti, non sit invitus circa materiam.

29. Excipe casum, nempe, quando tale furtum est cum damno aliorum fratruum, quia tunc non præsumitur patrem consentire damno aliorum filiorum. Quod militat de Religiose dante extra Religionem res Religionis, & de servo accipiente aliquam rem in domo domini sui, vel ad æleemosynandum, vel ad rem illicitam, licet peccet furando, non tenetur ad restitutionem, quando adest præsumptio, quod dominus illis in re licita concederet, si illi peterentur ad bonum finem, non vero ad malum. Videatur Molina disput. 686. immo dico, quod non peccat gra-

viter servus, qui v.g. vasculum vini, vel duos panes accipit de domo domini sui, &c. similiter Religiosus è Monasterio ad comedendum, & bibendum cum duobus panibus, cum amico, vel servus cum suis filijs, quando præsumitur, quod superior, vel dominus tales res daret, si peterentur, non tamen est verum hoc, quando acciperent tales res, ad vendendum, vel ad malum finem utendum; quoniam non præsumitur talis voluntas in superiore, aut domino domus. Sic firmant *Armilla*, *Navarrus*, *Graffius*, *Passarellus* meus, *Rebellius*, & alij multi a modernis relati,

30. Obijcies contra ista posita in n. preced. talis facultas suppositiva, vel præsumptiva, non est sufficiens ad audiendam confessionem, vel ad assistendum matrimonio, nam licentia conditionalis non est licita, sed esset si poneretur; ergo neque est sufficiens ad tollendum peccatum, & obligationem restitutionis in servo, & Religioso rei ablatæ absque expressa licentia superioris, & domini.

31. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam: ratio disparitatis est, quia in iurisdictione sacramentorum, & ad eorum validitatem requiritur auctoritas expressa, & positiva, nempe facultas expressa dantis illam, &c. quæ causet illos effectus: at ad excusandum malitiam furti, non est necessaria voluntas positiva domini, &c. sed satis est, quod præsumatur, vel sit positivè invitus, nempe, quod si illas servus peteret, dominus daret.

32. Hinc deduco: quod si aliquis Religiosus præsumpta tali voluntate accipiat aliquid in domo amici sui, & applicet deinde talem rem in beneficium Monasterij, deinde mutata voluntate, non potest reddere illam rem domino rei, quia iam per illam licitam applicationem, fit res illa de iure Monasterij, cum quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirat.

33. Fit ergo ex hoc clarum, quod si Religiosus pro sui necessitate aliquid accipit de rebus Monasterij præsumendo, quod si peteret talem rem, Prælatus illi concederet, neque peccat,

neque ad restitutionem tenetur. Immò peccaret superior, si petenti rem iustè concedendam, non daret, nam esset, & contra iustitiam, & contra Charitatem.

SVBSECTIO III.

De Cessione Bonorum.

34. IN foro Animæ non magis excusat cessio bonorum, quàm necessitas, docet *Navarrus* c. 17. n. 86. quia in hac cessione tantum ceduntur alimenta creditori pro se, & suis; ut patet ex l. 9. *bonis* §. de cessione bonorum, id autem quidquam sibi reservare, ex lege naturæ absque cessione; ergo, &c.

35. In foro autem externo liberat debitorem a pœna carceris, ut patet l. 1. c. *qui bonis*, cedere possunt, & si post cessionem aliquid acquirat, non potest ei accusari, si ad suam, suorumque necessariam substentationem sunt, l. *qui bonis* 4. & l. qui bonis 6. unde sequitur, quod, qui bonis cessit, sive propter debitum, sive alia causa, aut ex contractu, sive cum culpa, sive sine culpa ad inopiam redacturus, quæ si fiat executio in bonis eius, quam tempore cessionis habet, potest abscondere, quantum sibi suisque satis est ad eorum vitam substentandam. Leges enim generatim loquuntur, etiam de bonis, quæ tempore cessionis habet, ut patet ex dicta l. *qui bonis 6.*

36. Quod si quis bonis quibuscunque cessare cogeretur etiam quibusdam actibus ignominiosis, ut puta sedendo in loco publico cum corda capiti imposita, vel lapide in foro mercatorum, manibus, vel aliàs percutiendo iuxta varietatem regionum, in simili casu cessionis bonorum; si postea ad meliorem venerit fortunam, teneantur integrè satisfacere iuxta superius dicta subsectione, quia cessio bonorum non tollit obligationem naturalem, aut illa pœna, quæ imponitur, ponitur, ut a solutione liberetur. Sed ut plectatur ob primam, quæ supponitur ab eo voluntariè commissa, accipiendo mutuum, quando erat impotens

ad solvendum. Quantum possint ipsis bonis cedere ad me non pertinet, cum illa ceremonia, nihil addat, vel minuat in foro conscientiæ, sed tantum necessitatem, & inopiam, quam quisque currere exterius videtur, manifestat: vide, Lector Benevole, *Lexium* ubi supra dubit. 3. a n. 50.

SVBSECTIO IV.

De Ingressu Religionis.

37. HIC prius quærendum est, quinam sint proprij Religiosi, & suppono primo, quod (absque ullo præiudicio aliorum) verè, & propriè Religiosi sint quinque Religiones mendicantes, nempe quæ profitentur in Religionibus a S.Sede approbatis, tria Vota, nempe Castitatis, Paupertatis, & Obedientię, nos autem Minimi Votum vitæ quadragesimalis perpetuò, iuxta modificationes positas in nostra Regula, a nostro Sancto Patriarcha; quamvis omnes fideles Catholici Christiani, nec non Clerici, & omnes illi, qui rectè vivunt, vocari possint Religiosi largo modo, ut fatentur Sacri Canones, de diu. c. *gaudemus*; & de constit. c. *Ecclesia*, & c. *ex multo*, de voto, *Armilla* verb. Religio n. 1. nihilominus. meo videri, veri Religiosi (semper absque ullo præiudicio aliorum) mendicantes strictè dicuntur Religiones, quæ quinque sunt. Primus, Ordo PP. Prædicatorum. II. Minorum. III. Eremitarum S. Augustini, sub quo Ordo Servorum B. M. V. IV. S. Mariæ de Monte Carmelo V. Minimorum S. Francisci de Paula. Quibus alij additi sunt, & ab Ecclesia Mendicantium privilegijs ornati, ut dicitur, per participationem, &c. At fortassis, quia aliquis invidus posset contra me scribere, aut loqui, dicendo: quod mea Minima Religio non est ex verè Mendicantium una, & vera Religio; respondebo falsum dicere; etenim Pius V. ex Sacro Ordine Prædicatorum Sanctissimus Pontifex suo motu proprio ordinavit, ut Minimorum Religio gauderet omnibus Mendicantium privilegijs, &

item quod Fratres sint verè, & propriè mendicantes, & sub isto nomine comprahensi, sicut cæteri, qui propriè mendicantes sunt sicuti fratres Ordinum supra enumeratorum. Vnde si quis malè opponeret contra nos Minimos, dicendo, quod Summus Pontifex Gregorius XIII. omnes annullavit Motus proprios a suo prædecessore confectos: Respondeo, quod solum annullavit, qui erant contra Concilium Tridentinum, & legem communem, non vero destruxit alios, sicuti non est contra dictum Concilium numerare V. Mendicantium Religionem; nam non est lex aliqua determinans, quod solum sint quatuor, vel quinque Religiones Mendicantes: ergo motus proprius Pij V. sanctæ memoriæ in suo robore manet; hæc obiter dixi, ad hoc, ut quando loquitur de Privilegiatis Religionibus Mendicantium, constet, quod Religiosi Minimi sunt verè Mendicantes, sicuti aliæ Religiones supra enunciatæ. Tractat de hac re diffusè R. P. *Rodriquez* 1. tom. q. 9. Reg. q. 55. art. 2. pag. 489. motus enim proprius Pij V. incipit sic: *Pius V. ad perpetuam rei memoriam, &c.* loquitur etiam de hac re R. P. *Laurentius de Peyrinis* tom. 3. Privilegiorum, & *Vega* in sua Practica interiori, tom. 2. c. 71. de Religiosis casu 1. pag. 507. columna 1. & 2. ergo, ut dixi, de hac re locutus fui per transennam, de alia enim materia est hic mihi labor.

38. Igitur ad institutum tituli redeo, nempe ad discursum de Religiosis. Certum est in hac materia apud omnes, quod cum quis alicui ex approbatis Religionibus adnectit se media professione, verè sit Religiosus non obstante Bulla Sixti V. quæ incipit: *Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus* edita anno sal. 1587. & eiusdem prioris declaratoria, quæ incipit: *Ad Romanum spectat Pontificem* edita anno 1581. quibus efficiuntur, ad Religionem perpetuò inhabiles, qui acceperunt habitum alieno ære gravati, supra valorem suarum facultatum; quia Clemens Papa Octavus suis Constitutionibus firmavit, quod talis professio facta in tali circunstantia valida esset, non tamen viri uxorati, aut servi, cum non sint sui iuris, ubi loquitur de servis mancipijs.

39. Ve-

39. Verum in hac re dico, examinanda sunt, primò, utrum debitori liceat creditore invito Religionem ingredere, secundò, an ingrediens, vel licitè, aut illicitè, extinguatur debitum ipsius erga suum creditorem? In primis non videtur tali debitori iuvare sententiam *Gersonis* Alphabeto 39. lin. 10. *Azzorij* l. 12. c. 1. *Maioris* in 4. dist. 38. nisallor, & aliorum quos citat, & sequitur *Bonaccina* de restitutione q. 1. & ultima, punct. 2. §. 1. asserentium debitorem, si in seculo manendo putaret, quod creditori satisfacere posset, nec non in Religione manendo, si suppetit facultas, non liberari a restitutione; immò dicunt isti DD. quod superior Religionis tenetur dare licentiam dicto Religioso, ut suo labore, & industria (quantum status Religionis permittit) ut lucrum faciat ad hoc, ut creditori satisfaciat, si superior est conscius talis debiti antequam dictum debitorem ad Religionem admitteret. Non satis, inquam, hæc sententia sibi consistit. Si enim ideo peccat Religionem ingrediendo, quia per talem ingressum se voluntariè reddidit impotentem, quando in Religione manet tenetur per sua opera industriosa satisfacere? vel enim potest Religiosus debitori satisfacere, vel non: si primum: ergo non peccavit, nisi fortè contra Charitatem, si minus non tenetur, quamvis Religionem ingrediendo peccaverit, nec potest amplius in hac re peccare; quoniam non est amplius in ipsius potestate auferre impotentiam, in qua se voluntariè constituit; sicuti, qui in longam navigationem proiecit Breviarium in mare; peccat quidem Breviarium in mare proiciendo, non tamen continuat peccatum; quia non potest tollere impotentiam.

40. Secundo non videtur approbanda sententia autenticorum scolasticorum, & summistarum. *Angelo* verbo *Religionis* n. 6. & aliorum asserentium debitorem ubi fecerit, quod potuit, & bonis suis cessit, in sæculo manere non teneri; quia obligatio iustitiæ perfectæ illa est, quæ dictat hoc fieri deberi consilio, & assensu creditoris, aliàs esset totum invito creditore factum, quia cum debitor manendo in sæculo potuisset creditori integrè satisfacere, se reddit impotentem Religionem ingrediendo; nec cessione bo-

norum

norum a vinculo restitutionis absolvitur, cum cessionis gratia sit in favorum illorum introducta, qui non possunt se aliter liberare a vexationibus creditorum, quod si debitor manendo in sęculo non poterat aliter se liberare, nisi bonis cedendo: iam cessat ratio dubitandi, ratione inopiæ.

41. Nec puto, quod amplectenda sit tertia sententia, quæ est *Petri Navarri* lib. 4. c. 4. num. 94. & 95. & omnium sequentium Div. Thomam, quia ut ait *Malderus* de iustitia, & iure c. 47. dubit. 4. & in hac tertia sententia subscribit Malderus cum *Lexio* lib. 2. c. 16. dub. 8. habet enim, quando debitor ad breve tempus, nempe ad paucos annos, ad usum sui status vivendo, proprijs laboribus posset creditori satisfacere, ad huiusmodi dilationem ingressus Religionis teneri, non autem si dilationem in sæculo ad multos annos facere deberet, & indecentes labores deberet facere: quia tunc poterit creditori bona cedere, & Religionem ingredi, nec in Religione manens, tenebitur ad restitutionem; secus vero, si iterum sæculum petat; quia debita per ingressum Religionis non fuerunt extinta, sed solum suspensa, amplectendam, inquam, hanc sententiam non puto. Egrè enim fero oppositas sententias, ubi enim militat eadem efficacia rationis? cur enim si est potens ad breve tempus, non potest se absque creditoris præiudicio reddere impotentem, si vero est potens tantum ad longum tempus, poterit? in utroque enim casu est præiudicium creditoris. Item sequeretur, quod sicut remanens in sæculo teneretur satisfacere, ita regrediendo ad Religionem, cum tamen semper adsit moralis impotentia. Negant sequelam; quia moralis hæc impotentia non tollit impotentiam, quantum potest tollere, saltem in parte, toto tempore vitæ suæ, nempe debitoris; unde debitor accipiendo rem alienam, quàm brevi tempore solvere potest, propriæ libertati suæ præiudicavit ad breve tempus, vel ad longum, quod solvere nequit, nisi longo tempore, unde in sæculo existens tenetur ad longum tempus, prout poterit satisfacere.

42 Sed

42. Sed in promptu sic insurgo: saltem tenetur manere in sæculo per aliquos annos, ad hoc, ut saltem in partem satisfaciat, aliter melioris conditionis esset debitor, quàm creditor: verum est, si posset in brevi tempore magnam summam compensare, secus vero si minorem, ad quod nescio quomodo quæant adversarij respondere, præterea præiudicium libertatis ad longum, vel breve tempus, sequitur ex conditione æris alieni, quod pro maiori, vel minori summa consumpta posset debitor, vel ad longum, vel ad breve tempus satisfacere; ergo sicuti accipiendo aliena præiudicavit propriæ libertati, ita accipiendo maiorem summam præiudicavit magis libertati ad satisfaciendum ad longum tempus, quia ipsa obligatio facit hominem non liberum, ad exequendum id, quod requiritur ad satisfactionem. Quanto igitur magis reddit hominem ad se reddendum impotentem, ad satisfaciendum ad longum tempus; ergo non præiudicavit libertati ad Religionem ingrediendum, quia non præiudicavit ad id, quod potest proprio labore in Religione longo tempore acquirere, quin minus sit obnoxius, creditoris deductis necessarijs alimentis; quia cum denique est impotens in hoc ultimum nulla est difficultas in ingressu Religionis, cum tota excusatio sumatur ex defectu potentiæ, immò casus implicat in terminis, cum opponatur impotens ad longum tempus. Si secundum: ergo neque manendo in sæculo erit obnoxius, si primum petunt, adversarij principium, ut speculanti patet sit ergo hijs positis.

43. Conclusio 1. ære alieno gravatus, si cognoscit manendo in sæculo saltem in partem creditori satisfacere posse, etiam in toto periodo suæ vitæ sit creditori satisfacturus, & ex alia parte videt, in Religione numquam posse satisfacere, saltem eo modo, quo posset in sæculo, non debet ingredi in Religionem: peccaret enim mortaliter contra virtutem iustitiæ, ut satis patet ex supra dictis in impugnatione 1. & 2. sententiæ.

44. Conclusio 2. debitor sic illicitè Religionem ingrediens, non tenetur industria sua, labore, &c. acquirere media, quibus restituat, nec peccatum, quod in Religionis ingressu commisit, amplius

plus continu[illegible] actus peccatorum in malæ voluntatis actu non continuetur, quando talis effectus independenter a libertate conservatur, quomodo est impotentia talis debitoris, qui in huiusmodi impotentia se coniecit. Similiter, qui ab initio longe navigationis Breviarium proiecit in mare, immò si aliqua lucratus fuerit, nec ipse, nec Monasterium satisfacere tenetur, cum ex una parte, nec ipse, nec Monasterium, sit restitutionis obnoxium, & ex alia parte, quidquid acquirit Monachus sancta Religio acquirit. Nec si fortè aliqua bona Religio de eius industria sumpsisset, aut eius intuitu donatione, aut successione, vel ultima voluntate accepisset cum reali traditione; nec potest in foro externo Monasterium adstringi ad satisfaciendum pro illo Religioso de huiusmodi bonis; quia quamvis fortasse hæc bona priusquam Conventui realiter traderentur, sint restitutionis obnoxia, Conventui tamen valide incorporata sunt: quia relicta sunt Deo cuius Conventus domus est; nec tenentur illi, qui ante realem traditionem possidebant restituere, sicuti, qui uni bovem vendidit decem, etiam si decem realiter accepisset, etiam si deinde bovem vendat, vel det alteri cum reali traditione, bos erit huius secundi, quia primus non acquisivit nisi ius ad rem, secundus vero ius etiam in rem; habebit tamen primus contra personam actionem, quam per ingressum Religionis iniustum perdidit creditor in casu nostro.

45. Conclusio 3. si debitor scit, quod ingrediendo Religionem satisfacere potest creditori, aut sua industria, vel de rebus sibi advenientibus iustè quovis titulo, &c. & Religio hoc scit, & illum esse debitorem verè, ac clarè cognoscit, & in hoc paciscantur, & dictum debitorem in Religionem admittunt, tunc Religio, sive Monasterium, in quo est talis debitor Religiosus factus tenetur creditori satisfacere simul cum ipso debitore Religione ingresso; & hoc, quia videntur cooperasse illo damno creditoris.

46. Verum unum est, quod ingrediendo Religionem non peccavit contra iustitiam, licet fortè peccavit contra obedien-

tiam,

tiam, & contra Summorum Pontificum constitutiones, & tàm ille, quàm superiores illius Religionis subduntur pœnis contra eos inflictis in sacris Canonibus.

47. Patet hæc conclusio; quia debitor quamvis sit restitutioni obnoxius, liber tamen manet, ad se recipiendum in quodcunque locum, tàm spiritualem, quàm temporalem, dummodo ex tali loco non sequatur iniustitia creditori, vel hæc comitetur. Sed lucrum spirituale, quod debitor accipit in Religione nullo modo debet adnecti iniustitiæ creditori factæ, aut faciendæ, cum eodem pacto se habeant in Religione manens, quoad posse satisfacere, ac si in sæculo fuisset ille debitor; ergo, &c.

48. Quæres 1. An debitor habens aliqua bona, debeat restituere ea priusquam in Religionem ingrediatur.

49. Respondeo cum distinctione, vel illa bona sunt acquisita per culpam, ut furtu, rapina, &c. & sic erunt restituenda proprijs dominis, iuxta ea, quæ infra dicenda sunt, de obiecto *cui* restitutionis; si autem hæc bona sint sui iuris, nempe propria debitoris, restituendum est creditori; si tamen dedit Monasterio erit valida donatio, si talis donatio, fuit realis, peccavit tamen donando talia bona Monasterio, & quidem peccato contra Iustitiam; sive de reliquo debitum sit per conttactum, sive aliunde ortum.

50. Quæres 2. Num dubitans, an manendo in sæculo possit creditoribus satisfacere, licitè queat Religionem ingredi, in qua nullo modo satisfacere potest.

51. Negativa pars tuetur cum Bonaccina de restit. disp. 1. q. ultima, punct. 2. §. 1. in dubijs enim melior est conditio possidentis, quæ stat pro ctediroribus habentibus ius ad hoc, ut sibi satisfiat.

52. Quæres 3. Qui alieno ære gravatus est supra vires suas, cum ignorantia invincibili de tali debito, ingreditur Religionem; num recedente ignorantia sit restitutioni obnoxius? Respondeo negativè eodem modo, ac si invincibiliter in foveam incidisset, unde servata esset virium debilitas quarum suffragio potuisset satisfacere.

53. Quæres 4. Num habens votum Religionis possit Religionem ingredi, cum prævideat in Religione satisfacere non posse, & aliàs in sæculo manendo satisfecisset?

54. Respondeo negativè, quæ quidem responsio est conformis supra iactis principijs, etiàm si votum ingrediendi Religionem factum fuerit ante contracta debita, cum votum tale sit intelligendum cum conditione; nempe nisi supervenerit notabilis mutatio. Quod si dubium sit; an manendo in sæculo poterit etiam saltem ex parte satisfacere, tenetur Religionem ingredi, postquam in parte satisfecerit.

SVBSECTIO V.

De obligatione, quam habet dominus restituendi, vel compensandi damnum factum ab eius mancipijs, Brutis, vel domesticis.

55. CVM secunda radix restitutionis obligationis proveniat ex iniusta acceptione, prout insinuatum est in antecedentibus; plura hac in re advertenda sunt, antequam ad decisionem quæstionis deveniatur; non enim est res parvi momenti, sed magnæ considerationis: nam sunt difficultates, quæ accidunt quotidie, & nescio quomodo multi Confessores in hac re se gerant, ubi requiritur multa, & gravis consideratio.

56. Pro qua re, advertendum est, quod multiplex est culpa, quæ hominem culpabilem reddere potest; primo namque dividitur, in iuridicam, & thæologicam. Prima a iurista consideratur, & respicit forum externum; secunda consideratur a Theologo, & forum internum attendit, quia convertitur cum peccato. Culpa autem iuridica, alia est latior, alia latissima. Culpa latissima est dolus manifestus; culpa latior est dolus suppositus, & præsumptus ex aliquo indicio. Culpa lata est ommissio diligentia (quæ solet reperiri in Procuratoribus, & Advocatis, ac in famulis, de quibus loquimur in præsenti) qua

qui-

quidem diligentia non carent viri conſcientiati in officio ſuo, quia ſunt omni prudentia præditi; exemplum culpæ latæ erit, v. g. ego commodavi Petro meum Breviarium, ut divinum officium perſolvere poſſet, & ille eum reliquit extra cubiculum ſuum, & furatus fuit. Culpa levis eſt, ſi v. g. repoſuit Breviarium in ſuo cubiculo, ſed non clauſit oſtium, & furatus fuit. Culpa leviſſima eſt, quando clauſit oſtium, ſed non tentavit poſtea, an porta cubiculi eſſet benè clauſa, itaut illa niſi cum maxima difficultate aperiri poſſet.

57. Notandum eſt etiam 2. quod hęc quæſtio poteſt procedere, vel quando dominus tenebatur ex officio impedire malum, & non impedivit, vel ad id tenebatur ex contractu, vel quando culpa quæcunque illa eſset, fuit extra debitum officij, & contractus; igitur pro nunc examinabitur difficultas de illo, qui culpabilis eſt extra debitum officij, & contractus, deinde de alijs diſcurram.

58. Communiter omnes tenent, quod damnum illatum ab animali, vel a famulo abſque culpa domini, vel famuli, non obliget dominum ad reſtitutionem.

59. Sed revera, benè penſatis penſandis, fallit hæc doctrina; & aſſignari poteſt caſus, in quo abſque culpa ulla domini, dominus ad reſtitutionem teneatur, ob damnum illatum ab animali vel ſervo; v. g. quando aliquis equs Franciſci ſeges Berti comedit, vel illas pedibus calcat cum magno damno Berti, certum eſt, quod Bertus poteſt illum equm accipere, & apud ſe illum retinere, pro noxa, niſi aliàs Franciſcus damnum illatum a tali equo ſolvat, quod idem valet de mancipio, & ſervo, ut habetur in toto titulo *iuſtitiæ*, & ff. ſi quo duplex pauperum feciſſe dicatur, & hoc eſt ſemper intelligendum, quando abſque culpa domini, & mancipij factum eſt damnum dictum; quia facto damno culpa domini, non eſt vertendum in dubium, quod dominus ad reparationem damni tenetur in totum.

60. Ad hoc autem damnum patrandum ſufficit ſi canis Franciſci, vel equs, immediatè, vel mediatè damnum inferat, v. g. vel quod equs ariſtas commedat, vel per plauſtrum ſegetum

 aſinam,

asinam, vel equum sumat segetes rumpendo, vel eius canis per plaustrum aliquod corpus protrahat, aut fœminam caninam iunctim conducat, &c. ità habetur in l. 1. §. *sive autem*, ff. *si quadruplex* pauperiem, undè si inde canis Francisci, vel equs alium animal concitavit, & concitatum intulit damnum Caio, Franciscus tenebitur ad damnum solvendum Caio, non autem Sempronius, cuius est animal concitatum, ita habetur ex dicta l. 1. §. *& si animalia*, ubi in §. *& si arietes* adnotatur, quod si animal aliquod meum tuum agrediatur, ego teneor ad damnum resarciendum illi, cui damnum est illatum; & si animal meum aliud animal invasorem occidat, ego ad nihil teneor. Similiter si canis Sempronij ligatus in eius domo pro domus custodia, fullanus fugiens in domum Sempronij, ut mortem evadat, & dum fugit accedit ad canem Sempronij, a quo morsibus truncatur manus, Sempronius non tenetur ad damnum resarciendum fullano illatum a cane Sempronij, quia fullanus sibi ipsi imputet tale damnum, non enim ad canem ligatum accedere debebat. Item si fera Titij v. g. quæ damnum tibi intulit, dum fugitiva erat, Titius non tenetur ad restitutionem damni sibi illati a fera ipsa, quia post fugam non est amplius Titii, ut habetur ex §. *cæterum*, & in dicta l. 1. §. *in bestijs*; immò subdit *Molina* tom. 3. disp. 712. n. 5. quod si fera deinde ad domum primi domini revertatur, eo quia ab eodem iterum capta fuit, etiam tunc dominus feræ non tenetur ad tale damnum resarciendum ab ea illatum; quod idem dico de mancipio fugiente damnificante alium, dum fugit, & valet hoc de feris exeuntibus de locis muris recintis, si aliquem damnificare habent, non sic quando, aliqui domini habent venationes reservatas, absque muris, quia tunc domini loci illius ad omnia damna tenentur. *Corduba* q. 19. punct. 5. *Lopez* 1. par. in inf. consc. c. 148. *Navarr.* in Manual. c. 17. n. 125. ubi habet hæc formalia verba: *Qui per feras, vel animalia domestica nocet predijs proximi, postea cumulatissimè damnum restituat, & consequenter non solum oportet eum pænitere, & confiteri, quod non sufficienter, vel non debito tempore restituerit damnum illatum, sed*

etiam,

etiam, quod intulerit illud invito domino. quod Concionatores, & Confessarij meminisse deberent. Firmat etiam *Rodriquez* tom. 1. cap. 33. conclus. & n. 4. tenet firmiter *R. P. Vega* meus tom. 1. suæ practicæ interioris c. 39. pag. 228. cas. 2. & 3.

61. Tota difficultas est, an hæc obligatio restituendi sit in foro conscientiæ, an vero solum in foro iudiciario, & expectata Iudicis sententia?

62. Ego, & cum probabilissima sententia fundata rationibus clarissimis, & evidentibus, dico; quod Dominus feræ, vel ferarum, &c. tenetur ad dictam restitutionem in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam, & totum deduco ex c. 2. §. 2. dub. 1. n. 3 quæ quidem conclusio, ut tutior in conscientia pro illis, qui venationes habent.

63. Probatur sic, quoniam postquam introducta fuit rerum divisio, non est ablatum ius naturale, nempe quod quilibet homo habet ius, ut illi reparetur damnum sibi illatum à damnificante, vel à servo, seu à Domino servi, sive servus sit liber, vel mancipium, sive brutum; unde si Titius passus est damnum à bruto, ipsum animal manet obnoxium secundum suum valorem, quod idem valet, de servo, & mancipio; Dominus ergo obligatur ad restituendum, rem ob suam culpam, quia res ipsa, quæ ab eo est possessa obligata est, & obnoxia ob illud damnum. Secundo, quia si lex ipsa naturæ non obligaret, non videretur iuxta lex positiva ad hanc restitutionem obligans Dominum, absque eius culpa. Concludendum est ergo: legem humanam, nihil novi induxisse, sed solum naturalem obligationem explicasse, nempè quod sibi, vis, aut non vis, alteri facias, vel non facias, & hoc ante Iudicis sententiam, & ante iudicium intestatum tenetur Dominus damnum illatum ab animalibus, vel à servo, sive libero, sive mancipio resarcire, & hoc factum est per legem humanam ad hoc, ut Domini erga actiones servorum magis invigilent. Verum est, quod ad hanc obligationem contrahendam, requiritur necessariò saltem culpa Theologica.

64. Quæ-

64. Quæres, quænam culpa necessariò requiratur ad hoc ut quis ad restitutionem teneatur?

65. Respondeo cum *Sylvestro*, *Innocentio*, *Decio*, & *Felino*, quod requiritur culpa lata, nam si non esset culpa lata, dicunt, quod ante Iudicis sententiam nullus esset obligatus ad restitutionem.

66. Ratio est quia tunc obligatio restituendi, non potest provenire ex rei acceptione, nec ex iniusta retentione: etenim ubi non est peccatum, non est iniustitia, sed neque oritur ex contractu; ergo non est ponenda talis obligatio. Tum etiam, quia, ut supra dixi, culpa lata est, quando omittitur illa diligentia, quæ solita erat ab hominibus eiusdem conditionis uti, igitur, qui huiusmodi diligentiam non omittit satisfacit suæ obligationi, nemo enim ad exhibendam exquisitam diligentiam tenetur in suis operationibus, dummodo communem, & ordinariam adhibeat; ergo ex levi, vel levissima culpa non oritur obligatio restituendi alijs damnum illatum.

67. Hinc intelligere possumus, quomodo Lex Aquiliæ obliget in foro conscientiæ, & quando. Est autem Lex Aquiliæ facta à Romanis sic postulante Aquilio Regulo, Plebis Tribuno, qua quis cum dedit damnum alicui in rebus externis, absque usurpatione illarum, quia tunc si esset furtum, aut rapina culpabiliter, culpa saltem iuridica obligatur ad damnum resarciendum, & aliquando ad plus restituendum; de qua lege fuit institutus totus integer titulus, ff. *ad Legem Aquiliam*. Controversia non levis est, an dicta lex locum habeat, quando damnum datum ob culpam levem, vel levissimam; an verò quando solum cum culpa lata damnum illatum fuit, vel certè levi. Sed quicquid sit de hoc in foro conscientiæ, ante Iudicis sententiam, quia nimirum obligatio illa ad hæredes non pervenit, & quia non aliter usu recepta est. Exempla autem quæ de tali lege Aquilia afferuntur, videntur supponere semper culpam latam, ut ex adducendis patebit.

68. Pri-

68. Primo indubitatum est, non teneri ea lege ad restituendum, qui bello iusto, vel causa propriæ defensionis (vel cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel sine alio moderamine) ut ego defendo, damnum infert oppressus cum vitæ evidenti periculo; nec etiam tenetur ad damnum resarciendum ille, qui appropinquante igne ad domum suam proximam domum, quæ iam ardebat, destruit, ad hoc ut cesset incendium, & propria libera maneat l. *si quis fumi* §. *ultimo* ff. *ad l. aquiliam*, est enim quasi naturalis defensio propriæ domus, immò nec vicini tenentur ad compensandum damnum talis domus destructæ ad communem utilem. Non sic evenit in naufragio navis, quia quando navis est in periculo evidentis naufragii, si nauctæ, ut navim, & aliquis merces salvent, aliasque in mari proiciant, domini mercium, quæ salvantur, tenentur insolidum compensare damnum illatum domino mercium proiectarum, pro salute navis, & aliarum mercium, quæ salvæ remanserunt.

69. Item non habet vim lex illa pro damno a furioso illato alicui, vel ab infante, vel proximo infantiæ quamvis hic aliquando obligationem contrahat in foro conscientiæ, nempe quando ibi intercessit culpa theologica; immò habemus in l. *qui occiderit* in principio ff. *ad l. Aquiliam*, si quis depræhendat servum alienum adulterantem cum sua uxore, & illum occidat, lex non concedit domino servi actionem legis Aquiliæ: quia tanta iniuria videtur excusare delictum, ex quo exemplo deducendum est, constare satis, quod non quælibet culpa sufficit ad obligationem illius legis Aquiliæ.

70. Ex ista doctrina aliorum casuum decisionem afferam, nempe si v.g. milites in bello existentes, sive in obsidione, aut aliquo in præsidio, habeant aliquem locum eis destinatum a suo Gubernatore, ubi se exercere debeant ad iacula mittenda, vel arma sua exercenda; dum talem exercitium faciunt, occidant mancipium transeuntem, non tenentur ad aliquid, secus autem si alibi essent, aut in eodem loco extra tempus eis militibus designatum, vel ibidem alij non milites talia exercitia facerent, vel

fimi-

similiter iacula proijcientes, viderent inde mancipium transeuntem, iacula emitterent. Item si quis dum habet pilam in manu impelleret eam in manu Tonsoris, dum novacula alicuius gulam radere habet, vel vim aliam faceret in bracium Tonsoris, & Tonsor gulam illius recideret; manet in arbitrio prudentis viri iudicare, quisnam fuit in culpa, an scilicet Barbitonsor, qui ibi periculo se exposuit: an qui manum Impulit? videatur *Milus* in principio ff. *ad legem Aquiliam*, *&c.* Item magister scolæ inordinatè, ac sine moderamine, discipulum aliquem percutit, damnum ei inferendo, tenebitur ad expensas, & damna subsequentia, l. *sed*, *& si*, & duobus sequentibus ff. eod. in titulo. Nec non quando quis præparavit in silvis laqueus, aut foveas ad feras capiendas, ubi homines, & animalia familiaria, accedere non solent, & homo, aut equs, &c. per accidens decidit in laqueum, vel in foveam ad nihil tenetur, qui laqueum paravit, vel foveam: secus autem si in alio loco laqueos, vel foveas parasset, ubi homines, & animalia domestica transire solent. Si signum non relinqueret ad advertendum, qua advertentia faciliter homines, & animalia domestica periculum evitare possent l. *qui foveas*, ff. eod. tit.

71. Sicut feras per vias publicas si quis ducat, & damnum alicui inferant, ad duplum conducens illas tenetur, l. jis enim; ita nec immunis est ille iudex, aut minister Principis, qui absque iusta causa aliquid præcipit, vel pignora iustè accepta sua culpa pereunt: aut deteriora fiunt, v. g. retinendo pecudes, vel alia, animalia reclusa, &c. itaut pasculare non valeant, aut bibere, tenetur ad damnum resarciendum, l. *quemadmodum Magistratus*, ff. ad l. *Aquiliam*.

72. Quemadmodum si servum alienum periculo vitæ exposuisti, v. g. ut ascendat equm indomitum, vel in turri, & inde cadat cum suo damno, ad damnum resarciendum proprio domino teneris. Allata exempla, & alia similia, quæ a viris peritis afferri solent, arguunt ferè semper culpam letalem, ad hoc, ut quis incurrat pœnam legis Aquiliæ.

73. Dixi,

73. Dixi, *ferè semper*, quia *Molina* hic n. 3. ait, quod aliquando sufficit levissima culpa occidentis mancipium, vel pecudem alienam; debemus enim adhibere illam diligentiam, qua homines diligentissimi uti solent; nam quando deficimus in tali diligentia, est culpa levis. Quando autem fit solum diligentia, quæ solet fieri a puro homine diligente, & non fit illa, quæ ab homine diligentissimo fieri solet, dicitur culpa lata, hæc est materia necessarissima pro praxi conscientiæ, utinam, qui dormiunt, & comedunt cum pigmeis, hæc intelligerent.

SUBSECTIO VI.

An ex delicto solum venialiter culpabili consurgat obligatio Restitutionis alicui.

74. QVæstionis status est; an si aliquis consilio fraudolento, vel metu alium in aliquod peccatum duxit, teneatur illum inductum in tale peccatum, ab eodem removere, & in suam pristinam libertatem restituere?

75. Responsio ad dubium pro me est affirmativa, unde dico; quod ille, qui causat damnum animæ, tenetur ad tale damnum reparandum, & peccantem per illum a tali peccato evellere, & in sanctam libertatem reponere, ne amplius in tale peccatum, quantum per ipsum fieri potest, cadat, est communis sententia DD. oh miseria humana, & magna, ac deplorabilis infelicitas huius temporis, in quo videntur aliqui, non solum ducere animas ad peccandum, sed insuper volunt, ut fortiter, ac firmiter in peccato persistant.

76. Ratio huius conclusionis probativa est; quia minari, aut vim inferre est contra iustitiam (quando sine iusta authoritate fit, quæ nunquam iusta esse potest, talis coactio, dum quis ad peccatum cogitur, vel minis, vel promissionibus, aut comoditatibus, &c. idem dicendum est de eo, qui decipit alium falsa doctrina, circa fidem, mores, vel artes humanas, sicut enim qui-

libet habet ius ne ab alio iniustè ledatur in corpore, ita ne in anima ledatur invitus ius habet, ultraquod leditur Deus, etiam ipso consentiente, cuius ius supremum, & primarium est: atqui ille, qui facit contra iustitiam tenetur lege iustitiæ cessare, & quantum in se est, & factum retractare, irritum infructuosumque reddere; ergo ex iustitia tenetur vim, metum, & minas tollere, fraudem patefacere: unde non malè dicunt illi Doctores, qui asserunt, quod si ille error non sit in materia iustitiæ, v. g. circa contractum, aut restitutionem, sed solum in materia fidei, vel temperantiæ, quod non tenetur inducens errorem tollere, ratione iustitiæ, sed solum lege illius virtutis circa cuius materiam decepit errantem,

77. Dico tamen, quod qui alterum traxit ad peccandum, sive precibus, pretio, vi, aut fraude non tenetur ex iustitia curare, ut peccatum. vel errorem dimittat: tenetur tamen ex lege Charitatis. Tenet hanc conclusionem *Sotus* lib. 4. de iustitia, q. 6. art. 3. ad 1. *Silvester* verbo restitutio 3. q. 1. Petrus *Navarrus* c. 2. n. 1. videtur tamen dictum esse contra Scotum in 4. dist. 15. q. 3. art. 2.

78. Probo 1. de illo. qui pretio, vel prece induxit alium ad peccandum, sine violentia, aut fraude; quia ille, qui tali modo inductus est ad peccandum, nullo modo iniustitiam passus est, nec iniuriam: ergo qui talem personam inducit ad peccandum non tenetur ex iustitia dictam personam peccantem a peccato retrahere: quia inducens nihil abstulit ab inducto ad peccandum invito peccante, cum talis inductus sciens volens peccaverit.

79. Probo 2. de eo, qui vi, & fraude inductus fuit ad malum, ubi neque inducens ad peccandum, ex iustitia tenetur illum a peccato retrahere; & ratio est, quia, nemo tenetur resarcire damnum ei, qui censetur tale damnum condonare; atqui ille, qui vi, aut fraude inductus est ad peccandum, postquam scit esse in peccato, & ad gratiam divinam resurgere potest, non vult resurgere, neque divinam gratiam acceptare, videtur velle condonare; ergo inducens non tenetur ex iustitia peccantem a

pecca-

peccato reducere. Sicuti, si Petrus furatus esset Ioanni centum, & ante Ioannem illa centum poneret, & Ioannes illa centum non acciperet, videretur, quod Ioannes illa centum Petro condonasset, & illa habere pro derelicta, & Petro restitutionem condonare.

80. Dico 3. qui fraude inductus est, ut faciat malum antequam malum cognoscat, ad quod inductus fuit, malum imputatur consulenti, qui illum decepit, quoniam qui facit aliquam actionem, etiam si mala sit, dummodo faciat illam ex ignorantia inculpata; sive sit ignorantia legis, sive ignorantia facti, non peccat. Ratio est, quia consulenti illud opus est voluntarium, cum sciat esse pravum,ècontra vero, operanti in voluntarium, ut malum, eo quia pravitas talis actionis, est operanti omnino ignota, quare si delictum est homicidium, aut mutilatio membrorum, consilium dans irregularitatem incurrit, non autem executor consilij, undè benè dixit Exodus *malum consilium consultori pessimum*.

81. Dico 4. quando aliquis consilium dat ad peccatum veniale, & intendit damnum proximo, facit culpam mortalem in in intendendo proximi damnum, è contra vero quando damnum proximi non intendit. Ratio est, quia si peccatum veniale est maius malo corporali, prout afferit Lugo hic disput. 9. sect. 2. n. 77. ergo qui causat in proximum suum infamiam, vel malum gravem, etiam non intendendo formaliter illud malum, peccat mortaliter. Sic etiam, qui suadet proximo suo mendacium leve, etiamsi non faciat affectu ad eius ruinam spiritualem venialem peccabit mortaliter, quia causat illud malum proximo suo, secus autem si non intendat malum proximo.

82. Si vero fiat per vim, & metum talis inductio ad peccatum veniale, potest esse culpa gravis; contra iustitiam. Suadetur conclusio, ex eo quod, sicuti in materia furti ablatio unius iulij homini pauperrimo est peccatum mortale, quia respectu illius nocumentum reputatur grave a viro prudenti, & conscientiato, & in materia famæ potest esse gravior, si falsum impona-

 tur

tur alicui, sive sit mulier, sive vir, & præcipuè Religiosus bonæ famæ apud viros bonos aliquos defectus leves ipsi imponantur, v. g. esse mendacem, esse vanum, quia hoc est magnum nocumentum respectu illius. Sic etiam si hominem probum, vi, vel metu, aut fraude, ad aliquam venialem culpam quis inducat, graviter peccabit, maximum enim malum esset, ut quis eum superbum esse diceret, aut mendacem. Nec valet dicere, illud malum esse simplicem mendacium, quod quidem mendacium dicens, non tenetur evitare nisi sub veniali; ergo inducens ad illud patrandum peccatum, non peccabit nisi venialiter, quomodocunque faciat talem inductionem. Etenim nego consequentiam; nam si Caius possit suas pæcunias in fluvium, vel puteum proijcere, quia est dominus pæcuniæ suæ, tamen si hoc ad faciendum, dolo, vi, aut metu duceretur a Sempronio, Sempronius peccaret graviter.

83. Hinc deduco aliam conclusionem pro Regula nostra Minimorum tuenda, & eius observantia, habemus enim in ultimo Capitulo Correctoris num. 116. de obligatione Regulæ, & Correctorij, hæc formalia verba: *Præterea non intelligatur, quod aliquod in hac huius Ordinis Minimorum Regula, & Correctorio insertum aliquem ex se obliget ad culpam*; ex quibus verbis colligitur, quod solum transgressores votorum peccent. Si quis item non servet silentium, deferat camisas lineas, non dormiat cum habitu, aut non ieiunet in diebus a Regula præfixis, non peccat lætali culpa, nec veniali, prout in ultimo Capitulo dictæ Regulæ præfigitur. Verum est, quod superiores nostri negligentes, ut hæc prædicta serventur adunguem, & sine causa legitima permittentes, aut dispensantes peccant culpa gravi, quia deficiunt graviter in officio suo, nam pro viribus debent incumbere, & omni diligentia, ut Regula adunguem servetur, & ut Religiosi semper ad bonum Animæ suæ tendant; quod non faciunt, dum in talibus Regulæ observantia, ipsis permittentibus, labefactatur, confirmat meum dictum *Peyrinus*, in Comentu Regulæ nostræ Minimitanæ c. 5. §. 19. q. 4. & probat hoc ex Constitutio-

nibus

nibus Clementis VIII. Summi Pontificis. Pauli V. & Gregorij XV. ac Vrbani VIII. loquendo de egressu a Conventu Religiosorum. Etenim superiores magis curare debent bonum spiritualem suorum subditorum, quàm temporale Conventuum, si enim negligentiam habentes in hoc secundum graviter peccant, & ad restitutionem tenentur, multo magis, si nègligant bonum spiritualem suorum subditorum graviter peccabunt, etiam si aliquando in hoc subditi non peccent, nisi fortassis per abusum regularis observantiæ, in qua re facienda est multa consideratio, quæ ab ignorantibus, non consideratur.

84. Quando autem superiorum negligentia in præmissis ad solum veniale peccatum pertingat, & quando ad mortalem, non facilis est dare regulam certam. Ego quidem, meo parvo iudicio, dicerem (sine aliorum offensa) quod omnia ea, quæ reddunt Religionem venerabilem negligere in Prælato sit peccatum letale, v. g. non impedire ludum, conventionem comestibilem cum sæcularibus, & præcipuè malæ famæ, immodestas locutiones cum sæcularibus, & inter Religiosos permittere, vanitates vestimentorum permittere, attrectatio pæcuniarum publicè tollerare, in locis mercatorum cuiuslibet rei accedere (præcipuè sacerdotibus) non invigilare, ut sacerdotes, & alij ad Chorum destinati studijs incumbant, & restricti sint in Monasterio, exceptis diebus recreationis ordinarijs, & tunc cum modestia religiosa se gerant, cuncti in Choro, Deum laudando, non stent, sicut Angeli coram Deo, &c. nam si ista parva videntur in subdito, quæ magna sunt, maxima sunt, & magnam culpam producunt in superiorem; unde dictum fuit ad vigilantiam superioris: *Væ vobis, qui iudicatis terram.* Vide (sapientissime Lector) quæ dicuntur a Cardin. de *Lugo*, quando agit de iniuria facta alicui in bonis spiritualibus, disput. 9. sect. 11. n. 21. & 22. quod idem valet de Episcopo respectu Clericorum, & de Principe, &c. respectu subditorum suorum; quare de omnibus in hjs negligenter se gerentibus illud Apocalypsis cum lacrymis repeto: *potentes potenter tormenta patientur.*

SVB-

An, qui a Religionis retrahat ingressu, vel post ingressum, consilio, vi, vel metu, fraude, aut odeo extraxit, aut dimissit aliquem, ad restitutionem teneatur.

85 MVltipliciter potest quis in Religionem introduci, primo vi, vel fraude, secundo solis precibus, aut suasionibus spiritualibus parentuum, vel amicorum, tertio suasionibus divinis, in his omnibus procedit quæstio, de accollente deinde ipsum ingressum a Religione, an ad restitutionem teneatur nempe, an teneatur evellens Caium a Religione, ut in Religionem reponat, vel solum, ut illi restituantur incommoda passa, unde cum res magni momenti sit, multæ considerationes habendæ sunt, quare in isto titulo plures conclusiones ponam.

86. Conclusio prima. Qui aliquem Novitium a Religione aliqua extraxit absque fraude, vi, & metu, vel odio, non tenetur aliquid restituere Religioni: verum est gravissimè peccare, ut tenent multi gravissimi DD. & pręcipuè *Lexius*, & *Lugo*. Ratio est, quia nulla iniuria fit Religioni, antequam Novitius vota solemnia emittat, eum revocando: etenim Novitius est liber, & sui iuris; quare talis educens non tenetur ad aliquam compensationem temporalem pro utilitate, quam Religio spetabat a Novitio educto, quia non habet adhuc Religio ius in illum, nisi in spe.

87. Tum, & præcipuè, quia qui occidit Religiosum, vel eduxit professum ex Religione consilio suo, non tenetur se Religioni offerre, aut alium procurare loco educti, aut occisi, aut fugientis; ergo neque tenebitur ad damna, qui iniuste extraxit, vel impedimentum ad ingressum intulit; etenim, si ille qui extrahitur professus erat, semper manet obligatus, ut redeat ad Religionem, etiam si extrahens Religionem ingrediatur illam, ex qua extractus fuit, quia extractus non erat amplius sui iuris; ergo non potest extrahens ad hoc obligari, nam nemo ad impossibile tene-

tenetur; tanto magis, quod extractus revertendo, Religio plus haberet, quàm illi deberetur, sic *Turrianus*. Verum est, quod hæc ratio apud me vim non habet, quia ad summum, si hoc est verum de Religioso fugiente, vel liberè exeunte non valet de illo, qui occiditur, vel extrahitur vi, metu, aut odeo emittitur, consule benè (Lector benevole) DD. de hac re loquentes, & videbis, quod multi damnantur, ob negationem voti Novitio profitendo, vel postulante licitè habitum Religionis ob proprias passiones, & è contra admittunt, ut plurimum iuvenes inhabiles, & hoc non alia causa faciunt, ut plurimum superiores aliqui, aut facientes officium superioris, etiamsi superiores non sint, quia illis, à petentibus votum, aut Religionis ingressum, non defertur illis aurum, vel argentum (oh deplorabilis avaritia huius tempestatis)

88. Conclusio 2. Quando vi, metu, fraude quis extrahit Religiosum à Religione, aut illum tempore professionis expellit aliqua fraude, vel illi impedit professionem directè, aut indirectè, & alias expulsus habebat votum ingrediendi, ac profitendi in dicta Religione, à qua expellitur; non tenetur quærere ingressum in alia Religione; sed solum tenetur metum, & iniustitiam; ac fraudem tollere; quod si hoc facere non possit, quia vel inferenti illi iniustitiam loqui non possit, aut illum à tali malignitate impedire, ad nihil amplius tenetur, verum est, quod impediens tenetur ex iustitia alium Novitium Religioni invenire, qui sit sanctæ expectationis, & indolis, non autem, ut minoris conditionis emissi, cum Religio non indigeat animalibus, sed hominibus habentibus rationem, non radicalem, sed actualem.

89. Probo Conclusionem 1. nempe quod non teneatur impediens, &c. Religionis ingressum, &c. quia Religio debet liberè acceptare inquit Lexius, quod ego non amplector, etenim qui habet votum talis Religionis, etiam liberè debet acceptari, unde facto quantum potest, & aptus est pro illa Religione, non tenetur ad aliquid; verum est, quod non acceptantes illum, ei iniustitiam faciunt, & graviter peccant; nam ipse fecit quantum

facere

facere debebat, non sic illi; quod autem non acceptantes o fraudem, &c. teneantur fraudem, & dolum tollere, est res indubitata: etenim qui malum facit per aliquod medium, & medium tollere potest, & non tollit, graviter peccat. Tertia autem pars, nempe, quod ex æquitate, & iustitia teneatur alium similem inducere; sic suadetur, quia cum seductor, aut iniquus subtraxit à Religione, & à Deo illum Novitium probum, servitutem, & honorem, qui daretur ab illo Religioni, compensare debet, ut benè docet *Sotus*, non tenetur tamen ipse expulsus ad Religionem redire, ut multi defendunt; verum est, quod multi etiam hanc doctrinam non intelligunt, quia solum bonum proprium quærunt, & quæ sua non sunt, non autem bonum Religionis, & gloriam, quæ est, ut in Religione sint viri conspicui in virtutibus, nobilitate. Non autem bestiæ, quamquam nomine homines, verbis autem, & factis Chiemeræ; non tenetur tamen expellens ad restitutionem eiusdem personæ expulsæ, cum ipsa sit sui iuris, sed solum ad metum, & fraudem tollendam; etenim impulsus ad Religionem non est hominis actus, sed Dei vocatio. Tum etiam quia Religio non possidet Religiosum tamquam mancipium, qui si auferatur domino suo vi, aut fraude, auferens ad restitutionem tenetur personæ, & damni ex iustitia, vel alium illi procurare eiusdem qualitatis, &c. sed Religio possidet illum, tamquam filium Dei per devotionem; unde si ab aliquo occidatur, vel à Religione separetur, nec accidens, nec seductor separationis, alium filium patri restituere tenetur, nec à Iudice si lix contestetur condemnari potest, non sic in Religione, quia seductor filij, sive occisor tenetur ad damna, ità in casu nostro.

90. Conclusio 3. qui Novitium vi, vel fraude seduxit, aut alia via extraxit ex Religione, ubi talis Novitius volebat emittere professionem, & aptus erat, tenetur ex iustitia Monasterio compensare; quanti spes ille Novitius Religioni erat, sive ratione donationis, sive alio titulo.

91. Pro-

91. Probo conclusionem, quia quis fraude, & mendacio, aut odio impedit, v.g. ne Franciscus Caio aliquam hæreditatam relinquat, dum iustè relinquere potest, aut auferat beneficium, quod illi ritè ac canonicè propositum erat a conferente, tenetur ad restitutionem in totum, quanti spes erat, vel hæreditas, aut beneficium, prout iudicium viri prudentis pronunciabit; quia ille habebat ius, ne illi impediretur talis donatio hæreditatis, aut talis beneficij consecutio, pari modo phylosophandum est de illo, qui vi, fraude &c. a Religione extrahitur, completo novitiatu, profitenda, aut ingredi impeditur, &c. quia tunc Religio habet ius ne impediatur, &c. undè impediens ad totum damnum reddendum tenetur Religioni, prout Religio amisit illam servitutem, & utilem sequuturum.

92 Verum est, quod si ille seductor, aut impediens non infert violentiam exeunti, neque ipsi Novitio, neque postulanti libertatem tollit; sed remanet libertatem veram in donante, aut offerente beneficium, aut petenti profiteri, vel Religionis ingressum, puto, quod non teneatur ad restitutionem impediens, &c. & si mortaliter peccet. Idem dicendum est de Matrimonio, ac ministro Principis tàm respectu iudicij, quàm respectu belli, & servi respectu domini.

93. Sed valida difficultas est quando, v. g. Sempronius fraude, vel metu induxit Professum, vel Novitium, ut egredatur ex Religione, vel in illa non profiteretur; an ad restitutionem damni temporalis, & quanti teneatur Sempronius?

94. *Lexius* hic lib. 2. c. 3. dub. 3. n. 16. tenet, quod ad restitutionem tenetur, eo quia Religio habet ius ad illa commoda temporalia, ut supra iam etiam ego tetigi, præstatura ab illo Religioso professuro, vel iam professo, vel Religionem ingressuro; secus autem, si solum precibus levibus hoc factum fuit; docent etiam hoc Petrus *Navarrus*, & Michael *Solonus* q. 62. art. 2. & ratio est, quia qui talem fraudem, &c. paravit, iam apparet voluisse efficaciter nocere Religioni, quæ iam habet ius ad illa commoda, &c. Etenim ille Religiosus ex voto saltem Obedientiæ te-

neretur pro Religionis utilitate, & honore insudare, & illi laboribus suis inservire, & ei dare emolumenta.

94. Excipe tamen casum, nempe quando ille Religiosus non habet conferre maiorem utilitatem Religioni, ita ut sint commoda, quæ eidem Religioni dantur a pluribus Religiosis, de quibus dici valet: *nos numero sumus fruges consumere nati*; & si fætorem potius, quàm odorem ferant actionibus suis, de quibus non currit difficultas præsens, sed alia via de istis discurrendum est, cum sint sal infatuatum eijciendum foras, ut conculerentur ab hominibus, &c. unde de illis, qui utilitatem Religioni præstaturi erant, vel in Economia, vel in Literis, aut Concionibus, &c. Adverto tamen, quod postquam egressus est, defraudatus a Religione agnovit deceptionem, & fraudem, fraudolentus no tenetur ulterius ad restitutionem, sed solum de præterito ante dictam cognitionem. Et si *Bannes* dicat, quod ille Religiosus non tenetur præstare illa commoda Religioni ex iustitia, sed solum merè virtutis Obedientiæ, atque adeo non intercessit iniustitia; ac consequenter seductor non tenetur restituere damna illa ratione virtutis iustitiæ, sed solum ratione æquitatis.

95. Verum hoc dictum Bannes, mihi non placet, quia in contractu professionis, profitens se tribuit Religioni, & Religio illi, unde servitus contractatur, atque adeo ab illa servitute deficiendo, deficit a iustitia commutativa. Vnde teneo, quod Religiosus teneatur ex iustitia omnem commodum possibilem suis viribus præstare, nam si ego persuaderem mancipio, vel servo, ne quantum posset, faceret officium suum, peccarem, & tenerer restituere damnum illatum domino servi, &c. multo magis, qui Religiosum suadet, aut impedit, ne utile, & commodum conferat suæ Religioni, facit contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur, sicuti qui servum suadet ad non faciendum officium suum, cum currat eadem ratio, ad restitutionem tenetur, ut alibi in antecedentibus dixi; quoniam, & si Religiosus pro suo commodo spirituali se Religioni emancipavit, talia commoda præstanda Religioni; nempe labores, &c. sunt media præcipua ad il-

lud

lud commodum attingendum; unde si vera est propositio Phylosophorum, & Theologorum, nempe; quod, *qui efficaciter finem vult, vult etiam efficaciter media ad finem consequendum*; dicendum est, quod si Religiosus Religionem ingrediendo vult suum commodum spirituale efficaciter, efficaciter etiam velit publicum utile Religionis, & illi suam servitutem præstare, ad hoc ut inde finem primarium deducat, tamquam consequentiam infallibilem ex præmissis certis, quidquid dicant *Lugo*, *Lexius*, & alij in hac materia.

SVBSECTIO VIII.

Vtrum peccet graviter contra iustitiam, qui Novitio absque causa negat professionem.

96. NEgativa sententia tuetur ab aliquibus, & fundant suam rationem in hoc, videlicet, quod non minus sunt liberi Religiosi professi, & habentes vocem activam ad ipsum Novitium retinendum, vel non retinendum, quàm Novitius ad remanendum, vel non remanendum in Religione; sed Novitius, dicunt illi, absque peccato potest domum suam petere, & Religionem relinquere; ergo, & Religiosi possunt sine peccato illi professionem denegare, & in domum suam mittere: ad hoc enim datur annus novitiatus, sive probationis, ut videlicet, tàm illi, quàm iste probet, & probetur, tuentes hanc sententiam sunt Thomas *Sanchez* lib. 5. in præceptis decalogi c. 4. num. 59. cum alijs.

97. Conclusio unica pro me sit. Religiosus negans Novitio votum suum tempore professionis, absque legitima causa, quæ debet esse clarior, luce meridiana, peccat mortaliter, & tenetur restituere illi damna illata. Tenent hanc conclusionem *Suarez* tom. 3. lib. 4. c. 3. n. 7. de Religione. *Portell.* ad dubia Regularium in additament. verbo *Novitius* n. 17. *Vechius* in praxi Novitiorum disput. 12. dub. 2, n. 4 *Corduba* in Regula Minorum

c. 2. q. 2. & 11. Antoninus *Diana* tom. 2. tract. 2. de dubijs regul. resol. 19. qui dicit hanc conclusionem veram esse, & illam probat, ex eo, quia si quis vi, consilio, &c. impedit, ne aliquis accipiat habitum Religionis, vel iam obtento dimittat, peccat graviter contra Charitatem, immò addo ego, contra iustititiam, ut supra dixi, ita pari modo, & multo magis, qui tempore professionis negat votum suum Novitio profitendo absque legitima causa, gravirer peccat, & ad restitutionem damni tenetur, quia & si pro suo commodo spirituali se Religioni emancipavit, talia commoda præstanda Religioni, videlicet labores, &c. sunt media præcipua ad illud commodum obtinendum, unde si vera est propositio Phylosophorum, ac Theologorum, videlicet, quod, *qui efficaciter vult finem vult etiam efficaciter media ad finem consequendum*, dicendum est, quod si Religiosus Religionem ingrediendo vult suum commodum spirituale efficaciter, efficaciter etiam vult publicum utilem Religionis, & illi suam servitutem præstare, ad hoc ut inde finem primarium attingat, tamquam infallibilem consequentiam ex certis præmissis, quidquid dicat, *Lugo*, & *Lexius*, & alij in hac præsenti materia.

SUBSECTIO IX.

An peccet graviter contra iustitiam, qui Novitio tempore professionis negat votum suum sine gravi causa,

98. EX antecedentis resolutione quæstionis facilè resolvitur difficultas præsentis tituli; verum est quod nondesunt Auctores negativam partem defendentes, & fundant suam rationem, in eo, quod non minus sunt liberi Religiosi professi, vocem activam habentes in admissione Novitij ad professionem, vel non admissionem, quàm Novitius ad redeundum in sæculum, apud parentes suos, vel in Religione remanere, etiam si ad professionem votis vocalium admittatur; at qui Novitius huiusmodi potest ante emissam professionem habitum dimittere

absque

absque peccato, & Religiosi professi votum habentes in tali casu possunt illi absque culpa votum suum denegare, ad hoc enim datus novitiatus Novitio, nempe ad, ut probet, & probetur. Sic tenet *Sanchez* lib. 5. in præceptis decalogi c. 4. n. 59. nihilominus pro me sit.

99. Conclusio unica, quæ est; Religiosus, &c. negans Novitio tempore profitendi votum suum, absque legitima causa, quæ debet esse, luce meridiana clarior, peccat mortaliter, & ad restitutionem damni dati tali Novitio tenetur. Tenent *Suarius* de Religione tom. 3. lib. 4. c. 3. n. 7. *Portella* ad dubia regul. in additament. verbo Novitius n. 17. *Vechius* in praxi Novitiorum disput. 12. dub, 2. n. 4. *Corduba* in Regula Minorum c. 2. q. 2. & 11. *Antoninus Diana* tom. 2. tract. 2. de dubijs Regularium resolut. 19. qui asserit meam conclusionem veram esse, & illam sine probatione non relinquit, nam dicit ipse, qui vi, consilio, &c. impedit ne aliquis accipiat habitum Religionis peccat graviter, saltem contra Charitatem, ita qui negat votum Novitio, &c. gravius peccat hoc faciendo absque evidenti causa, nam primus solum illi impedit Religionis ingressum, sed secundum iam ingressum violenter a Religione expellit, ad quam iam per primam acceptationem ad ipsam cum fuerit, a quibus hoc spectat, & ut suppono, habilis repertus ius acquisivit (dum nova causa non superveniat) ut in illa retineatur.

100. Probo 2. conclusionem alia ratione evidentiori. Defectus enim, qui possunt reperiri in Novitio sufficientes, ac evidentes, ut habitu privari possit, sunt parva sanitas, malæ indolis, ut sit, vel quia non habet humilem obedientiam, &c. quæ necessaria sunt ad Religionis servitium, cum multiplex sit Religiosi usus in Religione; at quia expellere aliquem a Religione sine iusta causa clara, & evidenti est proximum suum deteriorare in fama, & honore; ergo Religiosus negans votum suum Novitio peccet graviter contra iustitiam, & ad restitutionem damni dati tenetur. Secundo ostendo meam conclusionem esse veram; quia eorum, quorum est approbare ad professionem, solum est

iudicare

iudicare de aptitudine Novitij externa ad labores Religionis: circa mores videlicet Novitij, in quibus standum est attestatione Magistri, ac submagistri Novitiorum; cui credendum est, quia cum supponatur homo bonus, & maior omni exceptione; non est dubitandum de eius assertu; unde non est ab alijs ponenda falcis in tali messe. Immò ego dicerem, quod graviter peccent illi, qui iudicant ineptum ad Religionem illum, quem superior Prælatus cum suis coniudicibus aptum extimavit pro Religione, & illum in illam acceptavit, quia supponitur, quod in examine Novitij iustè sententiam suam protulerint: isti namque sunt testes idonei, omni exceptione maiores, quibus est credendum; unde negare votum Novitio tempore professionis, est Novitium infamare, atque adeo contra iustitiam facere: quare datur occasio sæcularibus dicendi de eo, *ecce, qui cæpit ædificare, & non potuit consumare*, sicut quod fratres sint sine pietate, & iniusti; nec non quod in acceptatione Novitij, superiores non benè exercuerint officium suum, quod nunmquam supponi debet probabiliter.

101. Probo iterum alia ratione, talis pernegatio voti sui Novitio faceret contra iustitiam commutativam, negando illi votum suum, ut dixi, nam Novitius sine causa data tempore Noviiatus dimissus potest in iudicio reclamare, & quoties de iniuria ei facta constet, debet Religioni restitui, ut docet in terminis *Hostiensis*, *& Ioannes Andreas*, quos citat, & secutus est *Cregorius Lopez* l. 3. tit. 7. par. 1. & fatetur hoc idem ipse *Sanchez* lib. 5. supra cit. ergo aliquid ius est in Novitio ad hoc, ut sine sufficienti causa, illi non sit denegandum votum tempore professionis, nova sufficienti causa data fratribus tempore Novitiatus: quod quidem ius acquisitum est ab ipso Novitio, quando a superiore Prælato acceptatus fuit ad habitum Religionis legitimè, ut supponitur; tanto magis, quod quando Religio elegit Acceptatores Novitiorum totam suam facultatem dat, & ipsi tenentur sub peccato gravi, solum idoneos acceptare; ergo si Novitium, A. v. g. approbant signum evidens est, dictum habere

aptitu-

aptitudinem, atque adeo novis non emergentibus causis exclusivis illius a Religione, non potest illi denegari votum in professione facienda.

104. Ad id, quod dicunt adversarij, nempe quod Novitius potest a Religione exire, absque eo quod letaliter peccet, dico verum esse, etiam si hoc fiat levitate animi; non tamen potest expelli absque peccato per negationem votorum suorum a vocalibus sine gravi peccato, nam Novitius ingrediendo Religionem se exponit periculo notæ, non sic Religio illum recipiendo, quia, sive retineat illum, quia bonus est; sive illum dimittat, quia non est aptus, nullum damnum subit; quare plus fecit Novitius Religionem ingrediendo, quam fecerit Religio illum recipiendo, hinc est, quod maior libertas est in Novitio ad exeundum ex Religione, quàm sit Religioni ad illum expellendum.

105. Adverto tamen, quod causa sufficiens ad Novitium expellendum, non debet esse semper moralis, aut orta ex culpa Novitij, ad hoc enim se obligavit Religio; sed sufficit etiam causa extrinseca, v. g. si ex eius retentione aliquod grave damnum Religioni immineret, etiam absque Novitij culpa, ut esset indignatio parentuum, qui Religioni nocere possent, item si Principis, aut Reipublicæ aversio a Religione timeretur; damnum etiam temporale; infirmitas habitualis, quæ posset illum inhabilem ad servitium Religionis reddere, & aliæ similes causæ, de quibus tractant Auctores supra citati, & præcipuè Ioannes de *Lugo*.

106. Quæres, an Novitius exiens a Religione, vel invalidè professus a Religione recedens voluntate propria, teneatur restituere Conventui, sive Religioni expensas factas pro eo a Religione ipsa pro illo tempore, quo mansit in ipsa.

107. Respondeo affirmativè, non solum in foro conscientiæ, verum in foro fori, & primo de Novitio, quoad dimidium saltem, probo, nam illa probatio Novitiatus, respicit & Novitij, & Conventus favorem, quare in ea parte, quæ respicit Novitij favorem tenetur restituere Novitius Conventui; *Ancaranus* in c. beneficium n. 1. notabil. 4. in fine de Regularibus in 6. & favet

Ioan-

Ioannes Andreas ibidem. Alij strictius de hac re loquentes, asserunt, non solum teneri ad restitutionem, dimidij expensarum Conventui, sed in totum, ita inter alios *Peregrinus* ad constitutiones Clericorum Regularium par. 2. c. 1. litera G. §. 10. qui fundat suam rationem in authoritate *Concilij Tridentini sess.* 25. *cap.* 16. ubi de Regularibus loquendo dicit, quod Novitio discedente a Religione ante professionem: si Religiosi ante professionem aliquid a parentibus Novitij; nempe pro victu, & vestitu illius Novitij pro illo anno acceperunt, non tenentur Novitio aliquid restituere, aliàs, si nihil solvit, ex authoritate Concilij citati ad restituendum in totum tenetur Monasterio omnem expensam restituere, in quo Novitius mansit; quod idem dicendum est de invalidè professo ob defectu ætatis; quia usque dum ætatem non habet sempercensetur Novitius, & usque dum non reiteravit professionem, & præcipuè quando stat mala fide, & cum animo exeundi è Religione.

108. Dices, ex Suario, & sequacibus eius in hac materia; semper Novitius, dum Novitius est, debet esse liber ad relinquendam Religionem, si exire, aut illam relinquere vult, si autem teneretur ad solvendum expensas pro suo victu, & vestitu non esset liber; quoniam Religiosi eum retinere possent iustè, usque dum restitueret consumptum: ergo dicendum est ad dictam restitutionem non teneri.

109. Sed respondeo, falsum esse Suarij argumentum: etenim Novitius semper est liber tempore novitiatus ad habitum dimittendum. Ad alia dicta, nego suppositum, quod Religio eum retineret, & retinere poßet; sed deberet illum convenire coram iudice competenti, ubi càusa examinari deberet, si alias ipse, aut parentes eius liberè, & voluntariè non solverent.

101. Dices iterum. Novitius non habet modum solvendi, quia est pauperrimus, sicuti parentes eius; quid ergo faciendum erit in iudicio, vel extra? Respondeo, quod iuxta leges, omnia sunt dimittenda ex pietate, usque dum veniat ad meliorem fortunam, saltem, si superest si autem non est spes, liberè debet illi Religio omnia condonare.

SVB-

Tempus in quo facienda est restitutio assignatur.

111. INdubitatum est contra Lexium lib. 2. c. 7. in fine n. 49. quod præceptum restitutionis est præceptum negativum ut alibi dixi, atque adeo obligat semper, & ad semper; non est tamen intelligendum, quod actus positivi restitutionis debeant fieri singulis momentis temporis, quo in homine est obligatio restituendi; sed in toto tempore, in quo restituere potest; quidquid dicat Caietanus, hic art. 8. & infra q. 66. artic. 3. ego sequor D. Thomam hic artic. 8. ad 1. unde si obligatio restitutionis oritur ex furto, rapina, &c. statim facienda est restitutio; si vero ex aliquo contractu, vel pacto, restitutio facienda est statim, ac transivit tempus sancitum pro solutione in contractu, vel pacto; & si quoad actum externum non sit necesse; ut fit statim materialiter, sed solum moraliter; quoad actum internum fieri debet illico, & hoc sufficit, ut debens restituere cesset a continuatione peccati; & hoc est verum, tàm in restitutione famæ, quàm rei acceptæ, quomodocunque iniustè retineatur, & hoc non solum explicitè, & in particulari, sed etiam in confuso; ut v. g. si quis non attendens se alienam rem retinere, sufficienter dolet in genere, de huiusmodi omnibus culpis se accusare, & propterea in posterum proponere, nullum se peccatum commissurum.

112. Obijcies 1. pro Caietano loco supra citato in hac subsectione n. 111. præceptum restitutionis est affirmativum, & contra eum non peccat, qui quoties non habet actum positivum restituendi: ergo præceptum restitutionis non obligat semper, & ad semper.

113. Respondeo ex Div. Thoma, loco supra citato in præsenti subsectione n. 11. & distinguo primam partem antecedentis, præceptum restitutionis est affirmativum, minus principaliter, ut alibi dixi, concedo: principaliter, nego, & eodem pacto distinguo secundam partem, & nego consequentiam.

114. Obijcies 2. ex eodem Caietano, ſicut ille, qui rem alienam retinet, cum poſſit illam reſtituere, ſtat in peccato mortali, eo modo ac ille, qui letaliter peccavit, & non pænituit, tamen interna vuluntas non continuatur in illa externa retentione; ergo ipſa continuatio retentionis externæ non est continuatio peccati mortalis, quando quidem ſicuti peccatum non potest eſse ſine voluntate, ſic continuatio peccati abſque voluntaria continuatione eſse nequit. Antecedens probatur, quia voluntas non continuatur, niſi in actibus ab ipſa voluntate imperatis, non autem in effectibus actuum imperatorum, ut patet in privatione gratiæ ſecutæ ob peccatum in ſententia multorum; atqui retentio rei alienæ non est actus imperatus a voluntete, ſed effectus ſecutus ab actu imperato, nempe a furto v. g. ergo interna voluntas non continuatur in externa retentione.

115. Reſpondeo, nego antecedens, & ad eius probationem distinguo maiorem; voluntas non continuatur in affectu actus imperati, ſi talis affectus liberè duret, ſemper dependens a voluntate, nego, in hoc enim mala voluntas continuatur, quantum ſatis eſt ad peccati continuationem, ut patet in eo, qui manet armatus cum voluntate occidendi; ſi vero talis effectus, vel affectus duret independenter a voluntate non eſt privatio gratię, concedo maiorem, & eodem pacto minorem distinguo, & conſequentiam nego abſolutè.

116. Obijcies 3. Stante concluſione poſita, nempe quod præceptum reſtituendi ſit præceptum negativum, ſequeretur, quod ille, qui hominem occidit, etiam ſi de occiſione non gauderet, ſemper continuaret in peccato homicidij; atqui hoc eſt falſum; ergo, &c.

117. Reſpondeo, dicendo, quod eſt diſpar ratio, nam effectus ex occiſione ſequtus non eſt occiſionis voluntarius, ſed ſequitur neceſſario ex occiſione, unde non pergit amplius nocendo, quem occidit; at qui non reſtituit, pergit ulterius afferens domino rei furatæ maius damnum, quod quidem damnum ſequitur ex retentione illa libera, & voluntaria, quam ipſe poteſt, & te-

& tenetur tollere; ſicut etiam poteſt iudex, vel creditor iniuſtus tollere iniuſtam carcerationem: ergo, &c.

118. Obijcies 5. Si concluſio poſita vera eſſet, ſequeretur, quod gravius peccaret, qui per totum annum alienam rem retineret, quam qui quotidie furaretur, & ſtatim reſtitueret, atqui hoc eſt falſum; ergo, &c. & aſſertum falſum erit.

119. Reſpondeo, negando ſequelam maioris, quia magis peccat ſecundus, quàm primus, ratione affectus quo furatur, & fertur in tot latrocinijs, in quibus habituatur, & fit in illis quaſi immobilis.

120. Obijcies 6. data veritate concluſionis firmatæ ſequeretur, quod, qui ſæpius renovavit intentionem rem alienam retinendi, & non reſtituendi per unam vicem talem intentionem haberet, eodem modo peccarent, atqui hoc eſt abſurdum aſſerere; ergo, &c. Reſpondeo, negando ſequelam; quia ille, qui renovat propoſitum, novum peccatum committit, ut de ſe patet.

121 Objcies ultimo, dato pro vero aſſerto, ſequeretur, quod qui tenetur reſtituere continuò peccaret etiam ſi dormiret, vel naturaliter oblivi ſceretur de reſtitutione facienda; immò etiam ſi pænitet et de peccato furti, &c. atqui omnia iſta ſunt abſurda: ergo, &c.

122. Reſpondeo, nego ſequelam, dormiens enim, & naturaliter oblitus, vel in maioribus occupatus, itaut non poſſet commodè reſtituere, non peccat; qui vero pænituit reſtituere proponens tempore commodo, certum eſt, quod diſcontinuat peccatum, quod poſtea ſi tempore commodo non reſtituit, & diſcontinuat, intentionem, & effectum, denuo peccat ita DD.

123. Quæres 1. Poteſt ne differri, aut prætermitti reſtitutio? Reſoluta manet difficultas ex antecedentibus, de immutabilitate iuris naturalis allatis. Cum ergo reſtitutionis præceptum ſit naturale, numquam liberabit hominem rem alienam retinentem a reſtitutione; vel illi concedet cum differre, vel illi concedetur, ex c. quod aliquis ſolvatur a præcepto, nempe eam differre; ſed ſtante quod reſtitutio ſit obligata talibus conditionibus, ut

nec ipsam, nec illam rem retinere, non sit obiectum præcepti iam superius explicati, quæ conditiones sunt causæ excusantes à restitutione, vel omninò, vel ad tempus, quæ quidem conditiones sunt validæ, ut refert Medina c. de rebus restituendis q. 3. de quibus ego infra in sequenti sectione sermonem, & si breviter, faciam.

124. Quæres 2. An tuta conscientia possit dari compensatio inter servum, & dominum, & è contra, quando inter ipsas rei iustitia reperitur, &c.

125. Respondeo, & dico (si in hoc sit mihi libertas dicendi, quod non credo) dico, inquam, cum omnibus Doctoribus, quod qui compensare habet, solvere dicitur, *l. si debitor, qui potiores in pignore, de gestis, &c.* & hoc tàm ex parte eius qui compensatione usus est, quàm ex parte eius contra quem facta est compensatio, servandum est tamen, primo, ut debitum sit certum, & liquidum, aliter fieri nequit compensatio, quæ est debiti, & crediti inter se contributio, de *compensationibus* l. 1. secundò adverto, quod compensans credat, & existimet se debere, quod compensatum est. Tertiò, quod compensatio non fiat, quando sine multis expensis potest suum per magistratum recuperare, sic enim esset facere supra iudicis iurisdictionem; verum est, quod in hoc non malè facit in foro conscientiæ, & si peccet contra iudicis iurisdictionem, hoc est, contra modum iustitiæ, non contra iustitiam, & puto hoc dicere voluisse Summum Pontificem Innocentium XI. in suam Innocentianam editam die 2. Martij 1679. prop. 37. quando dicit; non licere servo facere sibi compensationem contra dominum suum absque peccato, quia talis servus si non facit contra iustitiam, facit tamen contra modum iustitiæ in re gravi: iudex namque datus est ad iustitiam tuendam, & ad hoc ut unuquique suum datum sit, *Malderus* de iustitia tract. 4. disput. 1. dubio 6. Quartò, ne compensatio fiat in deposito, nisi fortè alterum debitum sit ex deposito. c. *bona fide*, de deposito, neque in campo dato, l. *ultima*, c. de concordato, de quo non est ait certum apud DD. ut ait idem Malderus ubi supra cit. c. 7. dub. 5.

sed intelligenda sunt in foro externo non vero in foro interno, ut docet Petrus Navarr. lib. 3. c. 1. n. 390. & etiam si præfatæ leges adstringant in foro conscientiæ, non negatur compensatio expensarum, quæ depositarius debet ex re commodata, aut depositata, & expensarum factarum commodationis tempore, ut compensatio fieri possit in pæcunia data quæstorij ad Reipublicæ commodum, ut habetur l. *ob negocium ff. de compensationibus*. Mandatarius vero, qui non solet stipendium accipere, si nihil ei promissum fuit, nec in foro conscientiæ mercedem compensare potest, ut existimo, præter necessarios sumptus in administratione; etiam si quid illi debeatur ex gratitudine. Quintò ne compensatio fiat de credito facto usurariè, ut v. g. si ego debeo, ducatos decem de fructibus scutorum ducentorum de capitali, etiam si alia centum mutuavi sibi, sive cum pacto usurario, sive non currit tibi redditus, quousque tibi significaverim in meam voluntatem esse, ut tu centum retineas pro sorte principali ad debitum exigendum. Sextò, ne compensatio fiat si creditum sit sub conditione, conditione pendente. Septimò, ne compensatio fiat ante tempus crediti maturandi: aliàs exceptiones, &c. vide Lector apud doctissimum Malderum ubi supra citatum, quarum quædam nihil sunt in foro externo, quædam vero etiam in forò animæ, utpotè, quæ sunt de lege naturæ.

S V B S E C T I O XI.

De interitu rei debitæ, & damno, quod præstatur creditori adventuro.

126. CONclusio prima est; quod si res quam debet Caius Petro est in specie aliena, ut v. g. bos, equs, &c. nisi intercedat sua culpa, vel appositum sit pactum, vel etiam esset apud dominum peritura res ipsa, Caius excusatur a restitutione, quia res domino suo perit, si vero res sit in propria sua specie, ut

ut est pęcunia, quam Caius creditori suo Petro mittit, & a latronibus per viam furetur, vel vi capiatur, non excusatur Caius; quia sibi perit, nisi fortè creditor, personam assignaverit, cui res debita consignaretur, & illi consignata fuit, tunc enim iam res consignata est in dominio creditoris, cum sit tradita ius procuratori, vel quasi procuratori.

127. Utrum autem persona in cuius potestate res perijt cum culpa, vel sine culpa illius, si sit confessarius, qui apud se retineat, vel apud ipsum latrones furentur, excusetur particularis debitor a restitutione? Aliqui affirmant; tum quia fecit quantum debuit, tum quia creditor tenebatur consentire, ut res pro restitutione facienda traderetur confessario ad conservationem famæ debitoris. Alij vero negant, quia sive res sit in specie propria, sive in aliena, non sic apud dominum fuisset peritura; nec tenetur creditor consentire in talem restitutionis modum; nisi cum conditione, quod re pereunte in posse Confessarij, teneatur iterum debitor alia via iterum indemnem reddere, & verè utraque sententia probabilis videtur, & suos graves habent protectores; unde potest quis, quem sibi placuerit sequi.

128. Conclusio 2. damnum creditori obventuro evitare non solum possumus, sed aliquando ex Charitate tenemur, & aliquando ex iustitia obligati sumus ad restitutionem, vel ad tempus, vel in parte, quia hoc esset non solum illi utiliter gerere, sed etiam esset Charitatis legem implere, ex qua lege tenemur impedire malum magnum proximi, cum illius minori damno, prout possibile est. Et aliquando esset adimplere legem iustitię, qua tenemur propinque non cooperari ad damnum tertij; ut si quis inimicus petat gladium depositum, & cui vi perit ex dilatione solutionis, periculum sit maioris, vel peioris incommodi creditoris, item, nisi transgiversatio parum prodesset; nisi denique ex dilatione aliquod damnum sibi notabile nimium eventurum.

Quæres; quid dicendum sit de creditore excommunicato, an videlicet illi debeat fieri restitutio.

129. Debitoris excomunicationem non excusare illum a restitutione, docent communiter Doctores contra quosdam Canonistas, non gravis momenti, ne excommnnicatio illi prodesse videatur. Vtrum vero excommunicatio creditoris, in quo consistit quesiti difficultas, excuset debitorem a restitutione, non parvi ponderis est dubium. Aliqui volunt excusari, tum quia excommunicati non tollerati sunt vitandi omni humano convictu. Restitutio autem est quidam convictus humanus; ergo, &c. tum quia *cap. nobis*, Sanctiss. P. Gregorius VII. absolvit ab obligatione servandi fidelitatem eis, qui aliquando vinculo excommunicationis sunt abstricti, ubi, quamvis videatur loqui de debito servandi fidelitatem, quam subditus debet Principi, miles duci suo, famulus domino, tamen eadem ratio, militare habet de debito pecuniario. Tum quia alij negant; eo quod non prohibetur iure divino cum ethnicis, & publicanis debita sint solvenda; neque iure humano, cum Sacri Canones loquantur tantum de fidelitate servanda, non autem de debito pæcuniario, cum odiosa sint restringenda. Tum quia solutio debiti est quædam convictio parvi momenti, & consequenter non videtur prohita, sicut nec eleemosyna prohibetur, quando urget eleemosynæ præceptum, etiam si pauper sit excommunicatus. Limitant tamen Doctores, nisi ex dilatione speretur reversio illius excommunicati ad Ecclesiam. Prima sententia mihi probabilior videtur; quia nisi excusaretur debitor a restitutione facienda in iure positivo in ordine ad excommunicationem, nescio quomodo posset debitor creditorem excommunicatum in iudicio extetno repellere, quod hoc posse facere debitorem omnes DD. communiter affirmant.

130. Quæres 2. quænam sit Confessarij, & iudicis authoritas in hac materia de restitutione.

131. Responsio est, non licere Confessario concedere inducias in restitutione, & hoc certum est, cum non sit iudex nisi debitoris, si vero ab utroque eligatur, nempe a creditore, & debitore, ut arbitrer, potest; quod idem dicendum est de iudice, quia aliquando posset in casibus, quibus expedit, secundum le-

gum

gum diſpoſitiones ad communem bonum. Caſus autem hic non enumerantur, ut prolixitatem fugiam; addiſcuntur autem lectura Auctorum, uſu, & praxi, quare illos relinquo, ut ad alias res maioris neceſſitatis tranſitum faciam.

132. Quæres 3. An quando creditor eſt incertus, debitor certus teneatur reſtituere, & cui?

133. Reſpondeo, debitorem certum in tali caſu non excuſari a reſtitutione; & quamquam ex una parte creditor ſingularis incertus ſit, ex altera ſemper eſt certus creditor, qui ſunt pauperes, quibus facienda eſt reſtitutio: ita communiter ſentiunt DD.

134. Vtrum autem in tali caſu debitum ſit ex iure naturæ, an vero ex iure poſitivo, dicam infra, cum de obiecto *cui* reſtitutionis ſermonem faciam.

135. Quæres 4. An Pontificis diſpenſatio, & cum eo compoſitio excuſet a reſtitutione.

136. Reſpondeo, quod ignotis creditoribus, ſive debitum ſit ex delicto, ſive ex contractu, iuſto, vel iniuſto, compoſitio cum Summo Pontifice Romano excuſat a reſtitutione; quia in hoc caſu, ut infra dicam, reſtituendum eſt pauperibus iure poſitivo ſaltem exigente, obligante creditorem, ad credendum tacitè, in quo poteſt Pontifex diſpenſare, ſublata autem obligatione ſervandi præceptum, vel ſublato creditore poſſunt res debitæ reſtitui, ut dixi, a Pontifice, vel alio loco illius deſtinato pauperibus. Secus vero, ſi creditor ſit certus, quia tunc, nec Pontifex, nec Princeps, aut Reſpublica ſunt domini abſoluti bonorum ſubditorum; niſi fortè adſit iuſta cauſa, ut eſt v. g. peccatum creditoris, ut eſt peccatum hæreſis, tunc enim in peccati pœna, poteſt Pontifex diſpenſare, &c. & abſolvere debitores ab obligatione reſtituendi creditori certo, ſicuti poteſt bona illius confiſcare, quod idem dico de Principibus ſæcularibus reſpectu ſuorum ſubditorum.

An sufficiat restituere simplum, quod iniustè ablatum est, & an quis restituere teneatur, quod non abstulit.

137. MOvet D. Thomas has difficultates in sua secunda secundæ hic q. 62. per plures articulos: nempe artic. 3. & 4. unde quoad primam difficultatem, quæ in posito titulo movetur.

Dico cum Angelico Magistro loco citato art. 3. in argumento, *sed contra*, quod simplum, quod iniustè ablatum est, non modo dicitur id, quod a domino invito iniustè transfertur, sed etiam cuius damnum patitur per iniustam actionem alterius; unde reddere simplum, quod ablatum est, significat, reddere id, quod est ablatum, cum omnibus damnis secutis, & lucribus cessantibus ob iniustam ablationem; hæc enim omnia sunt ablata saltem in causa. Affirmat igitur S. Thomas loco citato artic. 3. sufficere, ut quis restituat simplum, quod iniustè acceperat, non autem necesse esse præter id aliquid deberi propter iniuriam præcisè, præscindendo ab omni damno secuto; quapropter si quis tormenti belli laxata rota non percutiat, quem intendebat, vel percutiat armatum, aut mortuum, ad nihil tenetur, quia nihil iniustè abstulit, nisi forte in pœnam delicti, aliqua multa pecuniaria illi a iudice imponatur, quæ quidem doctrina recipitur ab omnibus & sic est in praxi, apud Legistas omnes, unde rectè docet Divus Thomas, neminem teneri restituere id, quod non abstulit sic artic. 4. ibidem. Quare notandum est, quod dupliciter potest aliquis auferre aliquid ab alio: primò si auferat id, quod, actu habet, & hoc debet ad æqualitatem restituere; secundò quando aufert ab aliquo id, quod iste habet in spe, & hoc debet restituere in actu, non autem ad æqualitatem, cum re existente in spe, sed facta compensatione valoris rei, quatenus in actu, & rei, quatenus in spe deductis omnibus expensis, & periculis, quibus res in spe obnoxia erat, quousque in actu re-

duceretur, quod non tollit veram æqualitatem arithmeticam in valorem. Occasione autem horum duorum articulorum D. Thomæ multa solent a DD. hic dilatè dici, quæ commodiùs infra, post explicationem sexti, & septimi articuli, declarabuntur quantum satis est, quæ omnia articula, nempe 6. & 7. in uno quæsito hic ponuntur.

138. Quæres. Vtrum teneatur semper restituere ille, qui alienam rem accepit; & ille, qui non accepit alienum ad restituendum teneatur?

139. Respondeo, quod Beatus Thomas in art. 6. citatæ quæstionis ait, quod cum duplex sit radix restitutionis, nempe rei acceptæ, & rei occupatæ; ratione rei acceptæ tenetur restituere ille, qui eam apud se habet, ratione occupationis, si hæc sit iniusta; tenetur restituere eam, qui talem rem occupavit, etiam si amplius illam rem non habeat; si vero sit iusta occupatio, vel est ad utilitatem eius, qui occupavit, & tunc qui accepit eam tenetur restituere, etiam si illam amiserit; si vero sit in utilitatem eius, a quo, sive cui fuit occupata, aut accepta iniustè; ad nihil tenetur, etiam si sua culpa pereat.

140. In artic. vero 7. Beatus Thomas quæstionis superius citatæ docet; ad restitutionem non modo teneri, qui fuit vera, & prima causa iniustæ acceptionis rei alienæ, sed illos omnes, qui directè, vel indirectè reipsa causa fuerunt iniustæ talis acceptionis, quos S. Thomas in corpore septimi articuli enumerare habet, qui omnes subsequentibus versibus compræhenduntur,

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus
Participans, mutus, non obstans, non manifestans,

Ea, quæ circa hanc D. Thomæ doctrinam agitari solent a DD. prius explicabuntur, quàm alia, quæ ad articulum tertium prætactum pertinent, sicut, & ad articulum quartum, hæc enim sunt de obiecto *a quo* actus iustitiæ, qui consistit in interna restitutione; illa vero de obiecto *quod*, prius autem in ordine est obiectum *a quo*, quam obiectum *quod*, ultimum vero, est obiectum *cui*, de quo agam occasione doctrinæ Aristotelis, inte-

rim

rim tamen agam de radice prima restitutionis ex parte obiecti *a quo* unde sit, ratione dubij resolvendi.

141. Quæres 2. Quænam sint primæ radices restitutionis ex parte obiecti *a quo*?

142. Respondeo, quod ex doctrina D. Thomæ desumpta ex 6. & 7. articulo quæstionis 62. duo capita colliguntur, ex quibus oritur restitutionis obligatio. Primum, ex iniusta acceptione; secundum vero ex re accepta, sive iuste, sive iniustè; iniusta etenim acceptio, non solum est furtum, rapina, &c. sed etiam quodvis damnum parricidium, incendium, adulterium, struprum, infamia, & quovis modo damnum alteri datum; res accepta non modo ea est, quæ domino aufertur, sed etiam, quæ ex iustitia alteri debetur, ut legatum, aut creditum, quod apud me est; quia ex utroque cap. verus dominus factus est minus habens. Vnde ut fiat æqualitas iustitiæ, debet tantnm illi dari, quantum sufficit, ut non sit amplius minus habens, prout ius suum exigit. Præter hæc capita connumerari solet contractus; sive stipulatio: verum est, quod ex illo non sequitur vera restitutio, benè tamen solutio, nisi fortè largius nomen restiutionis sumatur, & sic erunt tres radices restitutionis.

143. Notat tamen Lexius c. 7. lib. 2. dub. 5. de iustitia, & iure hic, quod differentia est inter ista capita, ex quibus restituendi obligatio oritur; nempe quod id, quod debetur ex iniusta acceptione, vel ex contractu, debet restitui, etiam si pereat absque culpa acipientis, aut retinentis; secus vero, id quod debetur tantum ratione rei acceptæ, ut patet in deposito, unde hic nihil aliud de hac re dicam, sit itaque.



An nascatur obligatio restituendi ex damno dato proximo nostro absque culpa, vel per culpam levem, extra, vel intra officium, vel contractum.

1. PER transemnam aliquatulum tetigi hanc difficultatem in antecedentibus, at ex proposito modo opus est prætactas difficultates in titulo positas examinare, & illas resolvere; quare dicunt DD. quod tripliciter culpa alicuius potest alteri damnum afferre, primò si quis tenetur ex officio impedire, & negligat ponere impedimentum; secundò, si ex contractu; tertiò extra officium, & contractu, unde ego dividam præsentem sectionem in tres subsectiones.

SVBSECTIO I.

De obligatione restituendi ex damno dato, extra officium, vel contractum.

2. CVlpa diverso modo accipitur a Theologis, & Iuristis: nam illi culpam dicunt idem esse, ac peccatum, vel letale, vel veniale; isti dicunt ommissionem cuiuscunque diligentiæ, undè sequatur aliquod incommodum, quàm dividunt, in latam, latiorem, levem; & levissimam. Latissima est dolus apertus, latior dolus præsumptus, dolus autem est quædam calliditas, fallacia, & machinatio adhibita ad convincendum, decipiendum, calliditas fit tacendo; fallacia mentiendo, machinando, arte verborum, Culpa lata est ommissio eius diligentiæ, quam possunt huiusmodi homines talis conditionis adhibere, ut si quis accomodatum negligat foris, culpa levis est huiusmodi diligentia, quàm homines diligentiores uti solent. Levissima est ommissio diligentiæ, quam homines diligentissimi operari solent; de quibus omnibus iam alibi plura dicta sunt.

3. Con-

3. Conclusio 1. ratione damni dati, seu acceptionis, præcisè non oritur saltem in conscientia obligatio restituendi, nisi fortè ex culpa lata, non autem ex levi, aut levissima.

4. Probatur conclusio; quia nemo tenetur in suis operationibus adhibere maiorem diligentiam, ne alteri noceat, quàm cæteri homines positi in huiusmodi operibus adhiberi solent: sed maiorem, vel maximam diligentiam non solent cæteri adhibere sed solum ordinariam; ergo nemo tenetur in similibus operibus vitare culpam levem, vel levissimam; sed si ex his oriretur obligatio restituendi, teneretur unusquisque in consimilibus operibus vitare culpam levem, vel levissimam, adhibendo maiorem, vel summam diligentiam; ergo, &c. Item non oritur obligatio ratione contractus, nec ratione rei, nec potentiæ, cum hæc non sit iniusta, ad iniustitiam enim debet intervenire culpa saltem thæologica, ut infra dicam, cum non possit stare cum culpa levi, vel levissima; ergo nullo pacto oritur ex culpa levi, vel levissima in illatione damni obligatio restituendi, extra officium, vel contractu, ut iam dixi, unde ad maiorem claritatem sit.

5. Conclusio 2. ad hoc ut ex culpa lata in illatione damni sequatur obligatio restituendi, debet necessario esse culpa thæologica mortalis.

6. Probo conclusionem, quia quando solum culpa venialis commissa est in illatione damni, non adest actus perfectus in ratione iniuriæ; sed solum imperfectus; ergo nulla oritur obligatio restituendi perfecta, nempe sub mortali, cum obligatio hæc in suo ordine, maior esse nequeat, quàm iniuria, ex qua oritur; ergo nulla oritur obligatio, neque perfecta, neque imperfecta, nempe, neque sub mortali, neque sub veniali. Ridiculum enim esset hominem obligari sub veniali ad restituendum decem mille aureos, a quo nisi totidem restituat liberari nequeat, cum enim sola venialis culpa in damno inferendo intercesserit, censetur solum fortuito obvenisse.

7. Quæres, num oriatur obligatio restituendi saltem imperfecta, ex parte rei restituendæ, videlicet, num ex damno illato

veniali

veniali culpa, quamvis non oriatur obligatio restituendi ad equalitatem, neque sub mortali, neque sub veniali; num, inquam, oriatur saltem obligatio restituendi ex parte; negativa pars, est dictis conformior; tum quia non est maior ratio de toto, ac de parte; tum quia cum hæc pars possit attingere materiam peccati mortalis in obiecto iustitiæ, vel ex peccato veniali oriatur obligatio restituendi partem sub pœna veniali, vel sub pœna mortalis culpæ: certè prima dici non potest, quia ridiculum est magnam summam debere restitui sub veniali, neque secundum: quia obligatio hæc in suo ordine maior esse nequit, quàm iniuria, ex qua nascitur, ut supra dixi.

8. Conclusio 3. Idem dicendum si damnum absque culpa lata, quæ sit letiferum peccatum, etiam si cum culpa lata, veniali, vel levi, aut levissima sit illatum a tuo servo, equo, bove damnum in rebus alterius; eadem enim est ratio; in quibus tamen casibus advertendum est, debere restitui id in quo fortè dominus factus est dictior; ut si tuus bos depastus est herbam, sed hoc non provenit ex damno dato, cum non sit iniustè datum, sive ex acceptione simpliciter, & præcisè accepta; cum hæc non sit iniusta, sed ratione rei acceptæ, quam tenemur restituere, etiam si sine nostra culpa etiam levissima accepta sit.

9. Conclusio 4. Culpa ex qua oritur obligatio restituendi ratione acceptionis præcisè extra officium, & contractum, necessariò debet esse contra virtutem iustitiæ.

10. Patet quia ex acceptione præcisè non sequitur obligatio restituendi, nisi acceptio sit iniusta; sed ad hoc ut sit formaliter iniusta debet esse necessariò formaliter contra virtutem iustitiæ; ergo, &c.

11. Conclusio 5. Non tenetur quis ad restituendum damnum secutum ex eius actu imperato, sive exteriori, etiam si eius actus internus sit peccaminosus, & intendens damnum illud, & per consequens peccatum iniustitiæ, si tamen actus externus, non sit formaliter contra iustitiam, v. g. diligenter aspiciens putat post sepem esse feram, voluit tamen in mente sua fieri posse, ut non

sit

ſit fera, ſed eius inimicus, quem tamen moraliter putat de facto non eſſe; tum quia fortè paulò antea in domum reliquit; tum quia ibi commorari ſolitus non eſt, ideoque telo petat, & de facto inimicum occidit, iſte non tenetur ad reſtitutionem damni illati, quando reſpectu illius actionis cenſetur totum fortuitum. Actio enim illa non cenſetur tunc periculoſa, ut propter tale periculum vitari debeat, ſicut, ſi quis iaculetur in altum, ut cadat in caput inimici quem poſſibile eſt eſſe vicinum, cum aliunde probabiliter poſſet eſſe domi.

12. Probatur, quia quamvis interna voluntas fuerit contra iuſtitiam, exterior tamen actus, quamvis coniunctus cum damno alterius non fuerit prævilus, nec debuiſſet, ut coniunctus cum damno alterius, prævideri, & per conſequens non fuit volitus, ut coniunctus cum tali damno; ergo damnum de facto ſecutum volitum non fuit, neque in ſe, neque in cauſa, & conſequenter ex tali damno, nemo tenetur ad reſtitutionem. Probatur antecedens, quia tantum fuit cognitus talis actus, ut poſſibiliter coniunctus cum tali damno, non autem actualiter; neque debuit, ut taliter coniunctus, præcognoſci, ut ſupponimus ex caſu poſito. Conſequentia ſequitur, quia obligatio reſtituendi oritur ex damno actu dato, & ut ſic volito, ſed tale damnum etiam ſi ſit actu datum, non eſt tamen, ut ſic volitum, ſed tantum, ut poſſibile, &c. ergo, &c.

13. Sexta Concluſio, qui alteri damnum dat, actione ſequta in eliciente, vel dum dat operam rei illicitæ, etiam contra iuſtitiam, in qua tamen, nec prævideat, nec potuit prævidere tale damnum probabiliter ſecuturum, etiam ſi contingat, poſſibiliter, ad nihil tenetur pro tali damno illato. Probatur, hoc ultimum, quia obligatio reſtituendi non oritur ex leſione iniuſta, niſi hæc ſit iniuſta, prout refertur ad ipſum operantem, ſed hoc non evenit niſi fuerit prævilum, vel debuerit prævideri damnum ſecuturum ex actione externa; ergo, &c.

14. Objicies 1. multæ leges concedunt actionem ad petendam compenſationem pro damno dato, etiam ſine culpa thæologica; ergo,

ergo, &c. Respondeo, non obligare in conscientia, maximè ante sententiam iudicis; ad leges enim sufficit inferre pœnam pro culpa civili, sunt autem iustæ, quia sic pertinet ad bonum communitatis, &c.

15. Obijcies 2. qui damnum intulit culpa lata tenetur ad restitutionem damni ex communi DD. opinione: ergo sine culpa theologica est obligatio restituendi ratione acceptionis præcisè, cum quandoque inveniatur culpa lata sine culpa theologica, saltem letifera; ergo, &c. Respondeo, nego consequentiam, quia ideo dicunt Doctores in culpa lata teneri ad restituendum damnum illatum, qui illum intulit; quia qnando in materia gravi intercedit, hæc culpa præsumitur letale peccatum, quod si quandoque contingat culpam esse tantum in suo externo lata, etiam si in materia gravi, tunc nulla erit restituendi obligatio, ratione supra adducta.

16. Obijcies 3. In pluribus ex Sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificijs solum excusantur ab obligatione restitutionis, qui ne damnum inferrent nihil omisserunt de contingentibus; ergo qui aliquid omisit, etiam culpa levi, aut levissima, & multo magis culpa lata, cum peccato, vel sine peccato veniali, ad restitutionem damni illati tenebitur. Explicandi sunt de ijs, qui cum peccato mortali aliquid omiserunt, non vero, qui omiserunt sine peccato, sic Sacri Canones, ut clarè patet legenti.

17. Obijcies 4. multæ sunt leges civiles, & canonicæ obligantes ad restitutionem, pro damno illato eum, qui dat operam rei illicitæ, etiam cum culpa civili levissima. Respondeo, eomodo, quo dedi responsionem ad primam obiectionem, quæ parum, aut nihil a præsenti differt.

18. Obijcies 5. D. Thomas infra q. 150. artic. 4. docet, quod opera, quæ sequuntur ex ebrietate non excusant a peccato, non solum ebrietatis, sed nec iniustitiæ, sive alterius vitij, ad quod pertinet tale opus; ergo, &c. Respondeo, quod S. Thomas ibidem in argumento, *sed contra*, & in corpore articuli loquitur de operibus, quæ sunt prævisa, vel debuerant prævideri futura

ex ebrietate, quapropter S. Augustinus contra Faustum docet de ebrietate, quod quamvis non excuset a peccato ebrietatis, excusat tamen a peccato ex ebrietate secuto.

19. Obijcies 6. Vt quis teneatur ad restitutionem, sufficit, ut peccet contra iustitiam, ex quo sequatur damnum contra ius alterius. Sed quando quis cum ignorantia invincibili infert damnum alteri, quem maximè vellet damnificare; etiam si tunc ignoret se inferre damnum, peccat contra iustitiam, ex quo peccato sequitur damnum alterius; ergo, &c.

20. Respondeo, negando maiorem, ultra hoc requiritur, ut adversatur ab illo per suam actionem inferre alteri damnum, aliàs actio non erit damnificativa, nisi per accidens in ordine ad operantem; ad obligationem enim restituendi, requiritur, ut actio sit ex obiecto damnificativa, nempe cognita ab operante, ut talis &, quod hic, & nunc inferat damnum, ad hoc, ut verè, & propriè dici possit volita, non autem sufficit, ut possibiliter, possit damnum inferre, ut supra dixi.

SVBSECTIO II.

De obligatione restituendi ex damno dato intra officium, aut consilium.

21. Conclusio 1. intra officium nemo tenetur ad restitutionem, nisi ex culpa lata mortifera; eadem ratione probatur, qua supra ostendi non teneri, qui damnum sine culpa intulit extra officium; nemo enim, in officio, aut consilio tenetur esse diligentior, quam sint homines eiusdem conditionis. Quapropter Advocatus non tenetur esse diligentior, quàm alij Advocati possuut esse; idem dic de medico, architetto Principe, &c. excipe tamen casum, in quo quis fortè in huiusmodi muneribus profiteatur esse alijs diligentiorem, & doctiorem, vel etiam doctissimum, & diligentissimum, & sub hac ratione, eum qui talem quærebat, ad se pertraxisset, tunc enim ad restitutionem te-

 netur

netur ex damno dato, etiam ex culpa leviſſima: hæc enim in huiuſmodi caſibus habet rationem culpæ lætalis, cum ad maximam diligentiam præſtandam teneatur, cum ex alia parte materia ſit gravis.

22. Quæres. Verum qui profitetur ſe diligentiorem, v.g. Advocatus, aut diligentiſſimum, & hac ratione alium extrahit ab eo qui talem quærebat, ſi non præſtando maiorem, aut maximam diligentiam, qua non adhibita clientulus a cauſa cadat, teneatur ad reſtitutionem ipſius damni. Lexius lib. 2. c. 9. dub. 7. reſpondet, meo videri, negativè, ſed teneri ſolum ad reſtitutionem clientuli tanti quanti ſpes illa cauſa habere iudicabatur; verum ſi tantum ſit fruſtratus ſpe dubia, iuxta dubij quantitatem, vera erit Lexij doctrina; ſi vero certum eſt, lie s a cauſa numquam cecidiſſet, ſi Advocatus maximam diligentiam, quam profitetur, adhibuiſſet, tunc non video, cur non teneatur ad integram ſummam, deductis laboribus.

23. Concluſio 2. Idem prorſus ſentiendum eſt de conſulente, unde ſequitur Concionatorem, Parochum, Confeſſarium, Theologum, Iuriſconſultum, vel eius profeſſionis, ad quam talis conſultatio ſpectabit, teneri ad reſtitutionem damni dati ex culpa letifera, non vero ex alijs, ut ſi Confeſſarius ex ignorantia craſſa (idest bettica) dicat alicui non teneri ad reſtitutionem, qui tenetur, vel teneri, qui non tenetur, vel poſſe licitè accipere in mutuo ultra ſortem principalem, vel de communitate Conventus, & alicui Religioſo dare in magna quantitate, ut fortaſſis Cornelius tenet, quia huiuſmodi ignorantia in hoc eſt peccatum graviſſimum, in quo poteſt, & debet prævidere Confeſſarius omnia damna, ex huiuſmodi ignorantia ſequtura; unde, lignarius ſi petatur ab aliquo cognoſcente eius ignorantiam, quid in ijs caſibus præſtari debeat, non tenebitur damni dati, ex conſilio procedente ex ignorantia; quia ignorantia hæc in lignario non eſt peccatum mortale, conſilium enim petitur a volente, & cum volenti, & conſentienti nullam fiat iniuriam, niſi accidat parentibus invitis.

24. Num,

24. Num, qui consultus respondet iuxta suam opinionem verè probabilem, teneatur ad damnum illatum? Respondeo, negativè, neque quis simpliciter aperit suum sensum, nec qui indicat se in re proposita dubitare, sic enim tenent Authores gravissimi, & sic docuit doctissimus Magister meus R. P. Bonaventura Perremutus nei Ordinis Lector Iubilatus, nec non pro Natione Italica Assistens Generalis.

SVBSECTIO III.

De obligatione restituendi ex damno dato intercedente contractu.

25. SI contractus in tua utilitate cadit, ut v. g. in commodato teneris etiam in culpa levissima; si vero cadit in utilitatem utriusque, teneris ex culpa levi, non vero ex levissima; si vero in utilitatem dantis, teneris ex culpa gravi: sed prima duo procedunt ex lege positiva, non autem ex naturali, inqua semper eadem est ratio; unde est dubium apud Doctores; an quis teneatur in conscientia ante, vel post sententiam iudicis, an vero solum in foro externo. Posito tamen non teneri in conscientia, iustè sunt leges utilitatem communem spectantes. Advertè tamen, Lector benevole, in huiusmodi casibus, non esse veram restitutionem, quando teneris ex culpa levi, vel levissima, sed solutionem esse ratione contractus, qui semper debet intelligi iuxta legum conditiones.

SVBSECTIO IV.

De cooperantibus ad damnum positivè.

26. IN hac quæstione, sive subsectione quarta multæ sunt difficultates dilucidandæ, quapropter dubia diversa proponentur, & resolventur breviter.

27. Quæres 1. Num qui positivè ad damnum inferendum cooperatur, teneatur ad restitutionem damni dati, quando solum sunt causa sine qua non?

28. Vel nomine causæ sine qua non, intelligitur causa sine qua, in individuo considerata, non fuisset damnum illatum, v. g. rivalis si ad damnum concurrat, vel Paulus, quod sine ipsorum concursu in individuo non fuisset tale damnum illatum, quia non concurrisset alius, vel intelligitur causa, sine qua, in specie, non fuisset damnum illatum, v. g. si Paulus concurrit ad damnum quod sine ipsius concursu non fuisset secutum. Si dicis primum non est necesse ad hoc ut cooperans teneatur ad damni illati restitutionem, ut ita sit causa sine qua non. Si autem verè Paulus, ad damnum concurrit, etiam si talis concursus non sit illius conditionis, ut si reipsa in individuo damnum non fuisset, quia videlicet ipso non concurrente, concurrisset Petrus, indubitatè tenetur, quidquid dixerit Sylvester verbo restitutio 3. q. 3. nu. 3. quia, verè est causa damni invito domino notabiliter: unde benè hoc advertit Malderus de iustitia tract. 4. c. 2. dubio 2. hunc excusari posse causis excusantibus furem, si quæ sunt. Si vero dicatur secundum, hoc modo non est causa, sine qua non, non tenetur de damni dati restitutionem, si quis illum furtum suasit, quod nihilominus esset æque benè fur effecturus, sine suasione huius, vel alterius, unde non censebitur causa influens ad damni illationem, sed quid si damnum sit quidem ab executore inferendum, sed non ita citò, & non animatius, sed non ita nunc, neque in isto momento, sine suo, vel alio simili concursu; vel non in tanta quantitate, ut si paratus fuisset furari decem, suadeat furari viginti? receptior sententia est te non teneri, nisi ad illud plus, quod tua cooperatione damnificatus est dominus rei furatæ; quamvis opposita sententia improbabilis non sit, & fortè in praxi magis servanda ad huiusmodi cooperatores puniendos pro bono communi.

29. Quæres 2. quàndo singuli positivè concurrentes debeant cooperari, ut censeantur causa damni, & ad restitutionem obnoxij.

30. Re-

30. Respondeo secundum probabiliorem sententiam, quod sive implicite, sive tunc, sive antea mandaverit, sive nomine proprio, sive alterius, ut nuncius, sive oretenus, sive per literas, sive etiam post damnum mandaverit, vel non mandaverit ad restitutionem, quæ suasa sit, tenetur ad damnum illatum: etenim qui ita cooperatur, censetur vere causa influens in damnum; secus vero, si mandatum expresse, vel tacite revocavit, & revocationem mandatario ante executionem notificavit: quamvis non sufficiat significasse secundo mandanti, vel primo mandatario, quando sunt duo mandantes, vel mandatarij subordinati. Item si mandatum non fuit causa sine qua non, saltem secundo modo supra explicato, vel si mandatarius mandatum non acceptavit, quod postea secutus est. Nec denique notum non habens damnum nomine suo illatum, censetur tamquam iubens teneri damni illati, ut quidam putant, quia vere non fuit causa damni; quidquid dixerit Sylvester supra, ratiabitio non equiparatur mandato, neque retrotrahitur, nisi in contractibus, & in peccatis. Vndè propter ratibitionem percussionis Clerici, nomine tuo ab amico factæ incurris in pœnam excommunicationis, c. *cum quis de sententia* excommunicationis in 6. c. *cum ijsdem*, non autem in obligatione ad restitutiouem, ad quam efficientiam, & prioritas requiritur.

31. Secundo, consulens, qui multa cum iubente habet communia, quamquam alia habeat propria, tenetur damni dati, etiam consilio revocato, & etiam si restitutionem, sive damnum ineffitaciter suaserit, dummodo adsit conditio, in prima dubitatione superius explicata, nec suaserit factum esse licitum dicendo, hoc potest fieri, videlicet, vel quid simile in hoc enim sufficit, si falsitatem suæ opinionis aperiat. Sed ostendendo utilitatem, commoditatem dulcem, &c. in qua re dispar est ratio de mandante, nisi enim hic aliqualiter sit consultoris pallio indutus; quia cum mandatarius agat nomine mandantis, ad hoc ut actio non fiat amplius, eius intuitu, sufficit insinuare mandatario revocationem suæ voluntatis, & promissarum, si quæ sunt. Si vero

agit

agit ex consilio alterius, agit nomine proprio, uters veluti armis præstitis a consulente, quæ nisi realiter auferantur, semper damnum inferunt sicuti, qui arma furenti dedit tenetur ad restitutionem damni, nisi realiter arma auferat antecedenter ad executionem, & si pænituit, & voluerit auferre.

32. Vtrum autem volenti maius damnum inferre, suadeat quis minus: certè non tenebitur ad restitutionem damni maioris, si in tale damnum maius non cohæreat, etiam si aliàs meliores vias non tentaverat, quidquid dicat Malderus, ubi supra, dubio 3. secus vero, si damnum minus sit contra alterum, maximè si illi, cui damnum maius erat obventurum, si non sit damnificando pensaturus, nec hic sit vir opulentus, cui damnum minus pro nihilo reputetur; nec denique fur, qui de minori damno cogitabat, quia si anceps erat dum expenderet damnum inferre Petro, v.g. potiùs quàm Paulo, minus poteris licitè non modo persuadere damnum minus in genere dicendo: *ex duobus malis minus esse eligendum, & quod minus malum est damnum inferre Petro, quàm Paulo* ut docent Lexius, & Malderus, cum communi Doctorum Classicorum doctrina, etiam dicendo, ut inferat damnum Paulo; conclusio enim continetur formaliter in præmissis, ut ostendi in logicis, propositio minor clarè ostendit conclusionem contineri in maiori propositione, non est enim maior ratio cur possit persuadere præmissas, non vero conclusionem, nec iniustitiam, ut facis Paulo, erit enim irrationabiliter invitus; teneris enim lege Charitatis suadere proximo minus malum, siçque de illo cogitet, etiam si sit contra tertium. Adverte hoc certius esse, si tum res Pauli, tum Petri, tum rivalis si sint tuæ curæ commissæ, si autem fur de minori damno cogitabat, non licet tibi, nec in genere, nec in specie, nec in individuo, neque per præmissas, neque per conclusionem suadere minus malum contra alterum; undè quamvis Lot non peccaverit peccato intemperantiæ, seu luxuriæ offerendo proprias filias sodomitis in hospites convenientes, peccavit tamen contra iustitiam, & ius filiarum, qui de minori malo illis inferendo, nec per transitum viri illi iniqui cogitaverant.

33. Quæ

33. Quæ dixi de consulente in ratione damni, intelligenda sunt prorsus de consulente non restituente post damni illationem.

34. Vtrum vero, qui solum docuit, quidnam, & quo pacto, & tempore poterit damnum, tale impunè, & certè committi, ad nihil aliud teneatur damni, si audiens, accipiat damni occasionem, negant communiter ij omnes, quos adhuc vidi; sed ego non video excusandi causam, cum verè fuerit damni causa physicè influens in damnum, & maximè si intercessit dolus apertus, vel præsumptus. Nec excusat ignorantia, aut inadvertentia, erit enim ignorantia crassa; tenetur namque unusquisque loquens quid malè poterit ex eius locutione consequi; prævidere, nisi fortè secretè fuerit locutus cum amico, quem, ut probum virum semper expertus est.

35. Tertias habet *consentiens*, quando videlicet ab alterius consensum pendet damni illatio, ita ut sine illo, vel in individuo, vel in specie non fuisset, & universaliter quando talis consensus est verè causa damni, tenetur enim sic consentiens damni dati: secus vero, si non sit causa, quamquam mortaliter peccabit, & iusta pœna erit puniendus. Tunc non tenetur damni consentiens, qui nec per se solum, nec cum alijs habet impediendi damnum potestatem: nec, qui postremo loco suffragatur indigno, sine alios in proposito spe dimovendi, non sic quando suffragia dantur secretè, quia tunc nullo modo potest indigno suffragium præbere, idem dicendum est de illo, qui præsens est, & tacet. Vtrum autem ille, qui se absentat, quando debet suffragium suum dare peccet mortaliter, affirmant omnes cum Grassio lib. 2. c. 127. n. 17. quamvis eximant illum ab onere restituendi, cum non sit causa positiva damni, bene quidem tantum negativa, quæ non obligat nisi ex officio, non vero ex sola Charitate.

36. Quartas obtinet *palpo*, nempe laudans, qui tunc tenetur, quando verè influit per suam laudem in damnum alterius, sicuti de consulente dictum est; unde nisi animum addiderit, vel laudet damnum inferendum, aut ad illud quoquo modo incitet, non tenetur.

37. Quin-

37. Quintas agit *receptans*, sive recursum praebens, tenetur hic quando receptat res furtivas, & iterum restituit furi, non autem domino proprio, si tamen hoc sine suo gravi incommodo praestare potest. Tenetur etiam quando furem hospitio recipit, itaut ex hac receptione animum sumat iterum damni dandi; sic etiam, qui furem abscondit, ne a privatis, vel a magistratibus occidatur; verum est, quod si talis refugij species non sit causa furtorum sequentium, non tenebitur ad restitutionem; secus vero si ita receptat, & abscondit, ut furem tali refugio ad novum furtum, & alienum damnum inducat. Ita dico de Advocato, & Procuratore, qui ita latronem defendunt (quamquam sciant furasse talem rem) ut restitutionem impediant, ad illam ipsi tenentur.

38. Sextas denique occupat, *participans*, idest participans cum operante malum alterius, hoc est adiuvando illum quocunque modo, nempe dando illi instrumenta, scalas, illum sustinendo ascendentem, &c. dando illi custodiam, &c. ijs tenentur ad restitutionem, nisi hoc cautè agant. Hinc apud Lexium excusantur Christiani, qui iusto metu coacti remos agunt apud Turcas, & naves, quia iste actiones sunt indifferentes de se ad bonum, & malum finem, nec per se ledunt dominum, nisi ex prava intentione furis, aut piratis, &c. similiter se habent actiones iuvantes furem in furando. Non autem sic se habent actiones adiuvantes furem in re iam furata, &c. postquam res furata est, quia sicuti fur ob iustum metum, quamvis rem furatam possit tenere occultam, & trasportare, non potuit tamen primitus illam auferre, quia hoc est de se intrinsecè malum, noli mirari, Lector Benevole, si in hac materia sto ab authoritate longinqus, quia, ratio pro me communis stat, & Authores citare, solum iuvat ad implenda maiora volumina.

39. Quaeres 3. Num illi ex praedictis teneantur in solidum ad restitutionem in totum, si unusquisque in suo genere causa partialis damni fuit: partis vero si solum partialiter causam dedere, unde qui volenti furari decem, suasit furari alia decem, teneatur

ad decem in solidum cum principali fure; difficultas est, quia non habet influere in totum illum effectum, ego teneo partem negativam, nisi alio pacto fuerit causa totius damni; etenim miles in bello non tenetur nisi ad restituendum id, quod in bello iniusto, iniustè accepit, Dux vero ad totum damnum præceptum, aut permissum restituendum, quia miles fuit causa partialis, mandans, aut permittens fuit causa totalis damni secuti.

SVBSECTIO V.

De cooperantibus ad damnum negativè.

40. TRibus modis quis negativè ad damnum alterius concurrere potest, tacendo nempe, non obsistendo, & non manifestando, non dissuadendo, non repræhendendo, non deprecando, non prohibendo, &c. cum damnum alterius impedire possit, semper dicitur malum alterius causare negativè; quare ex hoc multa dubia insurgunt examinanda, unde ad claritatem tituli.

41. Quæres 1. Quando nam huiusmodi cooperantes negativè ad damnum alienum, sint causa damni, & consequenter restitutionis obnoxij?

42. Duo communiter, dicunt Doctores requiruntur ad hoc, ut mutus, non obstans, non manifestans, &c. censeatur causa damni, & ad restitutionem teneatur. Vnum est, ut aliquid omiserit ex gravi culpa, quod facere tenebatur ex iustitia ad proximi damnum impediendum (quidquid in contrarium dicat Caietanus verbo restitutio c. 1.) alterum ut impedire potuerit, sine gravi suo, vel suorum damno; ratione primæ conditionis, non tenetur damni, nisi, qui ad hoc fuerit ex officio obligatus, quia aliàs obligabitur solum, ex officio Charitatis, cuius obligatio non inducit damni dati restitutionem; quo sensu intelligendum est Innocentius VI. c. quantæ de sententia excommunicationis, ubi ait, *non impedientes injicientes manus in Clericos excõmunicationis*

 senten-

sententiam incurrere, & similiter Alexander III. c. sicut si de homicidio, dum inquit: *qui potuit hominem liberare a morte, & non liberat, eum occidit*: Loquuntur enim de ijs, qui ex officio ad hoc tenentur, vel de violatione Charitatis, quæ sufficit ad excommunicationis sententiam incurrendam, & ad homicidium, non quatenus est contra iustitiam, sed tantum contra Charitatem; sicuti qui non pascit famæ morientem. Neque obstat, etiam qui non impedit, & si non ex officio obligatus esse causam damni; erit enim solum causa privativa, quæ nullo modo influit in effectum, nisi adsit obligatio ex officio.

43. Dices; ergo neque, qui suadet alteri, ne furem impediat, tenebitur damni? Distinguo consequens, si facit sine vi, aut fraude, concedo, quia solum faciet contra Charitatis debitum; si cum vi, aut fraude, nego; quoniam facit contra iustitiæ obligationem, cum tollat libertatem auxiliantis, ad quam ius habet iniustè oppressus, quamvis ius non habeat ad actualem auxilium. Quid autem si fur det tibi aliquid, vel precetur, ne impediat; non tenetur ad restitutionem pretij, nisi sit pars furti; secus vero ad damnum, quia concurris positivè consentiendo, quidquid dicat Scotus lib. 4. q. 7. art. 3. cum multis alijs.

44. Vtrum autem Custodes Sylvarum, Gabellarum, &c. dissimulando eos, qui furantur ligna, aut merces extrahunt, pascere habent greges in nemoribus, aut pratis ad restitutionem teneantur? Negativè respondeo, quoad aliqua nempe, quando tales personæ sunt in necessitate; affirmativè vero, quoad pretium rei furatæ si damnificantes non sunt in necessitate gravi, ut fert communior opinio, contra Navarrum lib. 3. c. 4. n. 42. Solonium q. 62. artic. 7. controv. 5. demum si Confessarij teneantur restituere, si non moneant pænitentes, ut restituant. Nego de ijs, qui ex officio ad curam non tenentur, ut sunt Religiosi, quia hij quamvis habeant obligationem ad admonendum pænitentem, hoc tamen non est, quod sint creditori obstricti, sed pænitenti, de ijs, quæ ad animarum curam sunt tenentur illos sollicitare, ut etiam sunt Episcopi, &c. verum est, quod utraque pars contradi-

traditionis probabiliter amplecti potest. Legendus est Lexius lib. 2. c. 13. dub. 10. de iustitia, & iure. Ratione vero secundæ conditionis non tenetur damni Princeps, magistratus, præter, Dux belli non impedire furta, latrocinia, iniusta monopolia, & similia si vergant in detrimentum privatorum, & nisi possint absque notabili damno propriæ vitæ, honoris, aut rei familiaris; quia ita videntur Reipublicæ collocasse, ut quamvis gravia communitatis damna teneantur impedire, etiam cum vitæ periculo, damna tamen privata non tenentur, nisi quando hoc facere possunt sine suo æquali damno. Idem accidit ijs, qui cum ex aliquo contractu se ad custodiam alicuius rei adstrinserunt propter stipendium, de Curatoribus, & Tutoribus, sive stipendia accipiant, sive non, dummodo damnum illatum sit grave, & dominus irrationabiliter invitus, tenentur sine suo incommodo gravi impedire, aliàs non tenentur. Quapropter non tenentur custodes si dent alicui pauperi aliquid, aut Religioso; quid dicendum de famulis est si eis domus custodia a domino demandatur? non ita si non demandatur, nisi fortè quid subripiatur ab extraneis, hæc enim est conditio contractus, quo quis ad famulandum se obligavit, tenebantur enim impedire, undè si poterant impedire, & noluerunt, causativè se habuere ad damnum illatum.

SVBSECTIO VI.

De obnoxijs restitutionis ratione rei acceptæ.

45. SEquitur, ut alijs rebus propositis, ac dilucidatis in hac materia de restitutione, ut agam, de obligatione restitutionis, ratione rei acceptæ, circa quod quæri solet hic; num teneatur ad restitutionem, qui rem alienam, aut quis bona fide fructus alienos consumpsit.

46. Respondeo dubio proposito, non teneri, nisi in eo, in quantum facti sunt locupletiores; nec inde factus quis locuple-

ctior existimatur, ex fructibus meræ industriæ, etiam extortibus, sed rei cum ipsis deductis expensis; locupletior autem, factus ille censetur, quando per eius facultates ad talem statum ascendere non poterat, sine possessione rei illius alienæ, undè qui nullas elemosynas, aut luxus facere antea erat solitus, totum id, quod bona fide habuit, bona fide dedit pauperibus, aut consumpsit, ad nihil tenetur cessante bona fide, qui autem eiusdem conditionis sumptus iam fecisset, & quia etiam sine aliena solitus erat hoc facere, tenetur cessante bona fide, totum restituere. Qui denique aliena re destitutus, & dimidium tantum consumasset, ad dimidium tantum tenetur cessante bona fide, quia in solidum rebus consumpsit ex suis; nec tenetur ad fructus, nec ad rei substantiam, si per suam negligentiam res pereat, etiam si in posse domini non perijsset; quod post quam bona fide cæpit possidere, si incipiat dubitare, an res sit aliena, potest rem retinere, sed adhibita diligentia, si veritatem non assequatur, cum in dubijs melior, ac tutior pars sit eligenda, & melior consequenter sit conditio possidentis, debet tamen talem rem possessam, si vendere vult, emptori indicare; non ita si dubium sit ab initio quo rem alienam occupavit; tunc enim cum eodem quo dubitat, debet partire portionem pro maiori, vel minori partis affirmantis inclinatione, ad seipsum, vel ad alterum. Si denique post quam rem bona fide habuit, incipiat dubitare, an sit aliena, inquisitionem malitiosè amittat, tenebitur recedente dubio, ad restitutionem rei una cum fructibus, a tempore dubitationis perceptis, & similiter si veritatem non assequatur ad partem cum parte fructuum: si tamen dubium fuit ab initio possessionis, &c. Cætera autem, quæ in hac materia examinari solent a DD. summistis relinquo, quia hic solum, quæ ad Theologos scolasticos pertinent, summatim proposui.

47. Quæres, quo ordine procedere debeant obnoxi restitutioni, ad restitutendum.

48. Antequam ad dubium respondeam supponendum est potiùs quàm probandum, dari ordinem quo præfati obnoxii ad re-

ſtitutionem, ſed quaſi ſubordinati in damnificatione ſunt; ita in reſtitutione ſubordinati erunt.

49. Primo detentor malæ fidei rei alienæ, re exiſtente, ſive in re, ſive in fructu, aut emolumento reſtituere tenetur: quia hæc obligatio eſt maxima, quæ oritur non modo ex iniuſta acceptione, verum etiam ex re accepta, unde hic in reſtitutione erit principalis, etiam ſi in damno primo inferendo talis non fuerit, adeout, ſi iuſtus, aut ſi executor, vel alius reſtituerit, detentor teneatur ipſis pretium refundere, quare adverto, diſcrimen inter bonæ, & malę fidei detentorem. Primus enim quamvis teneatur domino dare rem exiſtentem, non tamen tenetur iuſtari, aut executori ſi reſtituerint; immo ſi ipſe reſtituerit, tenentur ei refundere, qui tenebantur ratione iniuſtæ acceptionis; & ſi rem conſumpſit, non factus ex illa locupletior ad nihil tenetur: ſecus vero, ſi ſecundus, qui tenetur, etiam ante iuſſorem, & executorem, ſi rem culpatè conſumpſit, ſi vero citra culpam tenetur poſt illas: quia quamvis ſuo domino teneatur de caſu fortuito, quia reſpectu illius erat in mora, non erat tamen in mora reſpectu executoris, & iuſtationis.

50. Secundò iuſſorem, qui æquiparatur ei, qui cogit dolo, vel fraude induxit, & qui ſuo nomine traxit, vel rogavit fieri.

51. Tertio executorem, quod ſi plures hii ſint, quiſque tenetur pro aliis ad damni partem, quam intulit; ad reliquas vero defectu ſociorum.

52. De reliquis poſitive concurrentibus probabilius eſt, eſſe in eodem gradu, unde ad prudentis extimationem, deficientibus præexplicatis, principalis tenebitur pro rata, ſecundum quod plus, vel minus cauſam damni dederit; eorum quiſque in ſolidum ex defectu ſociorum tenebitur.

53. Hii vero, qui privative concurrunt, probabile eſt, quod non teneantur niſi poſt omnes poſitivè concurrentes, & in ipſorum defectu; inter ipſos vero primo tenetur non obſtans, quia cenſetur efficacius cauſam dediſſe damni, qui efficacius ex iuſtitia remedium tenebatur opponere, & non oppoſuit; efficacius

enim

enim remedium est facto resistere, quàm verbo, Secundo mutus; quia efficacius remedium est, verbo per seipsum impedire, quàm verbo per alium. Vndè tertio tenebitur non manifestans.

54. Vtrum autem ex pluribus in solidum obligatis, uno restituente, reliqui maneant a restitutione liberi. Sequitur ex dictis, manere erga dominum rei ablatæ, remanere nihilominus restitutioni obnoxii in solidum restituendi; hoc tamen ordine, ut subordinatus nihil restituat subordinanti; sed è contra subordinans tantum restituat subordinato, nisi contrarium pactum intercedat, quod non est iniustum, nisi subordinator omninò a subordinante pendeat, & dummodo proportio servetur, quod si ambo essent in eodem gradu, restituat alius partem pro rata. Similiter dicendum quando offensus uni ex offendentibus damnum remittit, itaut si remittit subordinanti, intelligatur subordinato remisisse, sint in eodem gradu; reliqui vero remaneant obligati in solidum, non ad totum damnum, sed seclusa parte eius cui facta fuit remissio; quod si reliqui sint plures unusquisque eorum tenebitur proportionaliter ad suam partem, & in solidum deficiente socio, non qdidem ad totam illius partem, sed ad dimidium; ad aliam enim partem pro socio non restituente, tenebitur ille cui facta est restitutio, v. g. si tres furati sunt duodecim, & uni eorum facta fuit restitutio, ex duobus altero deficiente, reliqui non tenebuntur ad octo, sed ad sex.

SECTIO QVARTA.

An restitutio semper debeat fieri proprio domino.

1. DIvus Thomas hic secunda secundæ q. 62. artic. 5. quærit; an restitutio semper debeat fieri ei, a quo acceptum est aliquid, cui difficultati respondere habet, quod omnibus debita, nam *cui tributum, tributum. cui vectigal, vectigal*, & quod restitutio debeat fieri ad æqualitatem commutativæ iustitiæ, quod consistit in aequatione sicut dictum est, &c. ita

in

in argumento *sed contra*, & in corpore articuli in principio inde constat, quod non potest minui satisfactio, sed id, quod tollitur ad æqualitatem restitui debet; ergo restitutio facienda est illi, cui res ablata est, circa quam doctrinam plura examinari solent a Scribentibus, quæ claritatis gratia per sequentes subsectiones proponentur, & enodabuntur.

SVBSECTIO I.

Vtrum si Franciscus emit rem furtivam bona fide, teneatur eam domino restituere.

2. POsito pro certo fundamento, quod verum ac verissimum sit, nempe, quod si gratis accepistis, recedente bona fide teneris proprio domino restituere, non autem furi, nisi sis certus furem restituturum; si amisisti non teneris domino restituere, sed poteris contractu rescisso dare furi, ut pretium ab eo accipias nisi fortè domino facile sit pretium a latrone recuperare, qu a ut ait Malderus de iustitia tractat 4. c. 3. dubit. 2. sicuti si T ius rem tuam, & dominus rem suam, non teneris facere iacturam pæcuniæ tuæ, ut dominus suam servet; ita neque tu quando pæcuniam tuam non habes, neque dominus rem suam, non teneris præteritam recuperationem pæcuniæ tuæ facere, ut dominus rem suam recuperet. Tum quia cognito rei emptæ vitio, potest rescindere contractum. Tum quia nullam iniuriam facis domino ponendo rem in eodem loco, in quo illam invenisti, in quo te indēnem serves. Tum denique, si bovem proximi tui ex loco, ubi erat a latronibus subripiendus, eduxisti, post quam alligare cepisti, cognovisti cornupetam esse, tunc poteris bovem reducere, vel in via relinquere, dummodo via non sit locus deterior illo, de quo illum cæpisti. Similiter in casu nostro. Si vero emisti mala fide sciens, aut dubitans de vitio rei animo eam tibi retinendi, teneris domino restituere, quia obligatio est ex iniusta acceptione, non solum ratione rei acceptæ, unde teneris cum iactura proprij

pretij domino restituere cæteris partibus, nisi fortè retinueris ad breve tempus, ubi parvam, vel minimam domino inferre habes iniuriam, per parvum tempus iniustè rem illius detinendo, aliter non poteris contractum rescindere, quia per commutationem illam inter furem, & emptorem, nascere habet obligatio emptori, rem illam proprio domino custodiendi, ideoque, idem putat Malderus dicendum esse de illo, qui rem furtivam emit, & deinde recedente bona fide, permutabile tempus sibi illam retinet, non potest tunc contractum rescindere, quia per iniustam retentionem contraxit debitum servandi contractum, sive adhuc rem illam retineat, sive non.

3. Dices 1. si fur non invenireutur, aut esset impotens ad prætium reddendum, non liceret emptori bonæ fidei rem vendere ad prætium recuperandum; ergo non potest reddere furi ad recuperandum pretium.

4. Respondeo; dicendo, quod est dispar ratio, quia non habet ius indemnem reddendi se contra personam domini, aut navi emptoris, sed tantum contra furem, undè ipso non comparente, cessat ius se reddendi indemnem rescisione contractus.

5. Dices 2. detrimentum, quod timetur, si res domino restituatur, non excusat a restitutione, quia est intrinsecum restitutioni; ergo, &c. distinguo antecedens tale detrimentum est intrinsecum, idest, naturaliter inexistens restitutioni, nego antecedens; est intrinsecum, hoc est, nascens ex vitio intrinseco rei emptæ, concedo antecedens; primum est carentia rei restituendæ, vel quid simile, secundum vero est carentia proprij iuris in pretium, ratione vitij exisetntis in re.

6. Dices 3. iste cooperaretur iniustæ detentioni furis; ergo, &c. Nego antecedens, nteretur enim iure suo, relinquendo furem in propriam iniuriam, neque enim suadet, aut consulit detentionem.

7. Dices 4. Iudex condemnat ad restituendum domino rem suam; ergo, &c. Quid inde? illud enim, quod expedit, iudices iudicant, nec expeditum putant dominium rei per istas ambages deducere.

8. Pe-

8. Petes, cum dominus teneatur emptori bonæ fidei prætium refundere, si illud nequeat a venditore recuperare, si sciens rem esse alienam, parvo prætio emisti, ut domino dares, tenetur; secus vero si magno pretio, quia inutiliter negotium eius gessisti, sed debet tibi dare iuxta prudentis viri extimationem, non autem totum tibi reddere, vel si eam tibi emisti non domino.

9 Advertendum est tamen, hoc locum habere quando res ita propriè amissa non est, ut ab alijs discerni non possit; secus vero transeunt in dominium furis, & remanet obligatio personalis, non autem realis. Quapropter quacunque fide vendatur ad nihil tenetur emptor, neque venditori, neque domino.

10. Hinc patet, quid dicendum sit, quando quis bona fide rem alienam, quam emerat, alteri vendidit, domino comparente, num teneatur ad restitutionem. Quidquid dicat Navarrus c. 17. n. 8. ubi constiterit rem esse alienam, si secundus emptor voluerit contractum resciodere, tenetur primus emptor restituere, & sibi rem accipere, ut domino, vel primo venditori rem illam restituat, iuxta a me superius dicta: nec sufficit, ut primus emptor cedat secundo emptori actionem, quam habet, in primum venditorem. Quod si secundus emptor statim nescivit esse alienam. In scio primo emptore reddat proprio domino, tunc primus emptor potest sibi retinere pretium, ratione damni, quod ipsi a secundo emptore datum est, nec possit a fure recuperare pretium rescisso contractu, ut supra dixi. Si autem etiam res in possessione primi emptoris restitui non possit, & recuperari a fure nequeat ob aliquod impedimentum, vel è contra facile sit recuperanda, etiam primo domino restituta, tenetur primus emptor secundo emptori pretium refundere, nullum enim damnum ab illo accepit. Si denique domino comparente, secundus emptor non inveniatur, vel sit impotens ad restituendum, ad nihil tenetur primus emptor, nisi fortè primus emptor, plus quam res erit voluerit, tenetur enim summæ in qua factus est dictior, nisi sit factus mere industria sua.

11. Vtrum autem si post venditionem primo emptori innotescat rei vitium, non tenetur his admonere dominum, aut secundum emptorem, si damnum sibi emergat, bene tamen ex Charitate, secluso domini periculo.

SVBSECTIO II.

Num bona, seu debita incerta sint pauperibus restituenda.

12. INcerta voco, quorum dominus incertus est, ita ut post diligentem, secundum prudentum iudicium, pro rei valore persolutam inquisitionem nequeat inveniri; de reliquo prius fuerit cognitus, sive non; neque incerta iudicantur, quæ alicui communitati, sive ex toto, sive ex parte debentur, & si ignoretur quid, quique debeatur, tunc nequit fieri distributio in pauperes, aut alia pia opera, sed debet fieri restitutio communitati, & distributio superiori relinquenda; quod si ante sufficientem inquisitionem præcipitanter rem pauperibus distribuas, cognito domino teneris illum indemnem servare. Vtrum autem post inordinatam, & acceleratam distributionem sufficientem instituas inquisitionem, nec dominum invenias, itaut licitè possis res illas pauperibus, vel in pios usus, si prius non distribuisses distribuere, puto quod comparente domino ad nihil teneris, se habet enim quasi, qui post diligentem inquisitionem distribuisset, nec iniuriam intulisti in rem, sed in modo.

13. Conclusio 1. Quando res verè inventa fuerit, si fuit acquisita aliquo maleficio pauperibus debet distribui, ita præcipitur in c. cum tu alij, quamvis expressè agatur de usurarijs, tamen communiter ex praxi DD. se extendit ad omne iniustè acquisitum per quodcunque delictum. Pauperes autem non solum sunt mendici, sed omnes illi, quibus naturaliter deest ad proprium statum necessarium, inter quos comprhenditur etiam ipse debitor, si autem verè, & simpliciter, non autem secundum locum, & tempus, & hoc absque consilio Episcopi, Parochi, aut

Con-

Confessarij, quia, ut ait Scotus in 4. dist. 15 q. 2. art. 4. membr. 4. ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, nisi forte vigeat contraria alicubi consuetudo; & si nullum expediat pro certitudine dubij reiquæ gravitate consilium prædictum adhibere, ad proprias cohibendas passiones, quæ sæpe sæpius mentis oculos execant. Vtrum vero dicta obligatio oriatur iure naturæ stante determinatione iuris positivi determinantis successores incerti domini; id autem, non ex eo mihi suadeo, quia ut ait S. Thomas hic ad secundum, quando dominos oportet restituere ei prout possumus, nempe dando eleemosynam pro ipsius salute, hæc enim non est mera congruentia, nec convincit obligationem ex iustitia, sed quia res aliena est verè restituenda, ex iure naturæ, quando dominus cognoscitur; sed stante iure positivo, iam determinatur ius in alium dominum, nempe, in pauperes, & Ecclesiam; ergo stante iure positivo debent hæc ex natura rei Ecclesijs, aut pauperibus erogari; quod si post distributionem factam a debitore pauperibus, vel Ecclesiæ, proprius dominus compareat, nihil ipsi debetur, neque a pauperibus, neque a distribuente, si ij sint ad meliorem fortunam redacti distingunt DD. si distributor aplicuit sibi tamquam pauperi, tenetur, secus vero alij. At ego non video maiorem rationem, unde puto hunc, & illos debere restituere proprio domino comparente; neque enim in locum domini succedunt, nisi cum hac conditione, quod ipso domino cognito, sint restitutione obnoxij, si sint ad meliorem fortunam evecti.

14. Conclusio 2. bona verè incerta acquisita absque iniustitia, debent similiter pauperibus distribui: ita probat communis praxis piorum, quæ designat pauperes, ut successores loco domini, quibus assignatis restitutio debetur ex iure naturæ.

15. Vtrum denique, compositio licita sit cum Pontifice, aut commissario in huiusmodi casibus; affirmativa sententia tuetur a DD. propter varias rationes, quarum maxima est, quia potest dispensare Pontifex in iure positivo, & consuetudine assignante pauperes, aut Ecclesia, ut successores dominorum incertorum, &c.

ut benè ait Malderus de iustitia tract. 4. c. 4. non sic Episcopus, quia iste non potest in iure positivo dispensare, quando hoc a suo superiore latum fuit, neque cum Principibus sæcularibus, nisi fortè de inventis, ut sunt thesauri, quia hi non possunt dispensare in iure positivo, quare sit ad maiorem dilucidationem huius ultimi dubij.

SVBSECTIO III.

Cui nam inventarum rerum habentium incertum dominum facienda est restitutio, sicuti qui accepit ob turpem causam, cui restituere debeat, & quando.

16. INventa certum dominum habentia, esse domino restituenda certum est apud omnes Scribentes, nec ab ipso domino potest inventor aliquod pretium exigere ratione inventionis, & restitutionis, quamquam possit accipere aliquid ratione industriæ, laboris, aut conservationis, &c. inventa autem, quæ nullius sunt domini, ut in insula in medio Oceani, de novo inventa, aut de novo exorta mineralia, cum non sint restitutionis obnoxia spectant ad dominum fundi, aut ad Reipublicam, Regem, vel Principem cuius est ille locus, sive in toto, sive in parte iuxta legum sanctiones diversarum nationum, & consuetudines. Inventa incertum dominum habentia, putat Sotus lib. 4. q. 3. art. 2. ad secundum ad inventorem pertinere, sicuti spectantia ad habentia dominum, contra vero putant communiter Doctores, qui asserunt pertinere ad pauperes, vel ut debeant erogari in pias causas, quorum sententia in praxi esse ponendam putat Lexius dubio 7. c. 14. lib. 2. quia talis sententia est magis iuri communi, & pietati consentanea; immò, & consuetudini, quæ vim legis habet, quando videlicet est vera consuetudo, & non abusus. Denique quia hæc videtur esse mens domini, sicuti unusquisque in tali casu de rebus suis facere oportet.

17. Vtrum

17. Vtrum autem liceat res Naufragorum in litore, a Mari proiectæ, fisco applicare? Negativam sententiam teneo, quia applicantes talia in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt, quasi, qui afflictionem dant afflictis, debent igitur huiusmodi bona ipsi domino restitui.

18. Quæres. Cui nam acceptum ob turpem causam sit restituendum, & quando restitui debeat.

19. Dico, quod si acceptum est pro actione, quæ sit peccatum mortale; debet fieri restitutio, si opus non est completum; Secus verò si opus completum est. Quidquid dicat Medina C. de restitutione q. 20. & 28. quia si solum Ius naturæ spectetur, sive opus sit contra Iustitiam, sive contra aliam virtutem, opere iam impleto, retinere potest. Ante opere impleto debet restitui, cum non debeat accipere sine tali opere, prout dixi, cum de testibus accipientibus pecuniam ab aliquo, ut testimonium ferant falsum, nam opere adimpleto nullam intulit iniuriam illi, à quo pecuniam accepit; quamvis enim opus, ut malum, non sit pretio dignum, neque extimabile, tamen, ut utile, & delectabile, periculosum, aut laboriosum est pretio extimabile; nisi fortè quis commune pretium excesserit; ut si publica meretrix, cuius consimiles pro loco, & tempore solent copiam sui corporis pro solutione unius iulij, vel duorum iuliorum alijs facere, extorqueant ab aliquo iuvene decem aureos, ad quod pretium non tenetur honesta puella restituendum, ut affirmat Lexius, ubi supra citatus dubio 8. de his enim nullum certum pretium habetur, nec ad vitam degendam est necessaria, unde ad arbitrium venditoris vendi potest; Quæ ratio militat etiam de maribus; Item si spectetur ius positivum, quamvis multæ leges sint, quæ pacta turpia, & iniqua rescindunt, non faciunt tamen contra acquisitionem rei in tali causa, nec faciunt accipientem inhabilem ad illius rei dominium comparandum post opus patratum; sed tantum ante opus patratum habeantur pacta illa, tamquam si non fuissent. Dixi etiam quando debeant restitui, quia non est certum, quod semper debeat fieri restitutionem huiusmo-

di

di acceptorum, quamvis aliquando certum sit, ut si tribuens sit Religiosus, vel filius familias, quibus interdicuntur huiusmodi largitiones, & tunc restitutio facienda est Religioni, vel Patri familias (O infelix milla, si tanta, quanta habuit, debet restituere) sic fert communis peritorum sententia, & si non scit ille, qui talia accepit proprius dominus, vel iste mortuus est, & hæredes non habet, ut supra dixi, debet fieri pauperibus, ut docent communiter DD. quia cum leges nolint id restitui illi, qui dedit, & ad maleficium induxit, nec possint, ut supponimus, retineri, necessariò res tales debent impias causas converti: re vera tamen id esset salutare consilium, potius, quàm præceptum, prout docet Navarrus apud Lexium ubi supra citatus dubitatione 8. poterit tamen imponi in pænitentiam à Confessario. Ex his facile est deducere, cui sit restituendum acceptum ob causam honestam, aliàs debitam, sive ex Iustitia, sive ex charitate. Certum enim est facienda proprio domino, contra hunc enim multæ sunt leges, sed tantum contra dantem ob maleficium patrandum. Dixi debitum, sive ex Iustitia, sive ex charitate, quia si opus sit quidem debitum, non autem alteri, sive donatio, sed tantum in honorem Dei, & ipsius accipientis; ut si quis aliquid accipiat, ut non lædat, non tenetur restituere, cum id quod datur censeatur liberè donatum. Idem dicendum de acceptis à debitore ipsi donanti, sufficiens est enim inditium liberalitatis donantis.

SECTIO SECVNDA.

De ordine in restitutione servando ex parte eius, à quo debet fieri restitutio.

EGi usque modo de personis quibus restitutio facienda est, sequitur, ut sermonem faciam de ordine, quo his debet restitutio fieri, quando bona debitori, pro omnibus non sufficiunt.

SVB-

SVBSECTIO I.

Sint ne debita certa incertis preferenda.

1. VEl res incertum habet dominum, & in sua specie, ut Equus, &c. vel non est, sed in aliena, ut pretium rei usurpatæ culpabiliter. Si primum prius sunt solvenda debita certa his quibus iuxtà superius dicta, debentur huiusmodi, quam incerta, nisi fortè rem hanc sibi non debeatur tamquam indigenti, secundum quod superius dixi, sibi applicaverit, ut suis certis creditoribus satisfaciat, ne in carcerem coniciatur. Ratio est, quia restitutio debet fieri de proprijs, non de alienis; atqui res in specie aliena incerti domini est pauperum, aut Ecclesiarum; ergo per hanc nequit fieri restitutio certis creditoribus. Si secundum, prius sunt debita certa solvenda, quàm incerta, quia certi creditores sunt de iure naturæ, incerti vero de iure positivo. Neque obstat remissionem incertorum si non sint in specie aliena deberi de iure naturæ. Non obstat, inquam, quia non non debentur creditoribus, qui tales sint de iure naturæ, sed tantum sunt tales creditores de iure positivo, quod non est ita per Ecclesiam interpetrandum, ut assignet pauperes, ut creditoris successores, etiam casu quo bona in specie propria debitoris non sufficiant pro certis creditoribus.

SVBSECTIO II.

trum venditor de re adhuc extante, cui nondum est solutum pretium, sit ante alios certos creditores habeat restituenda proprio venditori?

2. POsito tamquam certum, quod si res sit Ecclesiæ, fisci, vel minoris, ante omnia solvendum esse pro ea pretium iustum, vel ipsum esse restituendum, quia huiusmodi rerum dominium non transfertur, nisi facta talis pretij iusta solutione;

unde

unde sequitur rem hanc, etiam si alijs vendita fuerit vindicari posse.

3. Posito item, quod cuiuscunque res sit, emptori tamen non dicitur sua, quia nec pignus, nec fidei iussorem præbuit; nec pretium abstulit, nec creditor illum pro soluto habuit, solum fidei emptoris facit fidem pretium solvendum, aut rem restituendam, quia non dum fuit dominium translatum, etiam si res tradita sit, unde sequitur etiam rem aliquem hanc vindicare posse, etiam si sit aljs vendita.

4. Dubitatur modo, num quando dominium est translatum in ipsum emptorem, ex eo præcisè, quod dominium est translatum in ipsum emptorem, venditor sequtus sit ipsius emptoris fidem, credendo absque fide iussore, vel pignore, iuxta id quod dicitur de institutionibus, de rerum divisione, prout ego ibi dixi §. *vendite*, sed his, qui vendidit, fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est statum rem emptoris fieri.

5. Dubitatur, inquam, an creditor habeat ius Prælationis, in quo multi negativam partem probabiliter defendunt. Tum quia res illa non est amplius venditoris, cum translatum sit dominium, nisi fortè contrahentes rem solutioni obligaverint, inducendo in illam hypotecam. Tum quia si emptor ille alteri vendidit, prior venditor non potest eam vendicare. Tum denique, quia neque expressa hypoteca, seu obligatio ex contrahentium conventione potest sic constituit ut venditor habeat ius prælationis præ alijs hypotecis iure positivo constitutus, cum hi non habeant talem potestatem, ut hi, qui iure civili, vel municipali habent prælationem, sint posponendi; ut si v. g. ego emi a te navem, & postea ob eius reparationem accepi ab alio mutuam pæcuniam, hic de iure civili tibi præfertur; unde sequitur venditorem esse creditorem hypoteca carente; & consequenter non est res vendita ipsi primo obligata.

6. Sed istæ rationes nullius sunt vigoris, priorat , & secunda solum probant, non esse hypotecam perfectam, at sunt hypotecæ iure positivo introductæ, hæc enim est hypoteca iure gentium, vel naturæ inducta, quæ est imperfecta, nempe cuius

non

non retinetur ius apud quemcunque fit; ſed tantum dum eſt apud emptorem. Tertia vero ratio probat aliquam hypotecam eſſe huic præferendam, quæ ſcilicet induat rationem mutui ad rei reſtaurationem, non autem aliàs, unde ſit.

7. Conciuſio unica; ſi venditor ab emprore neque pretium, neque pignus accepit, & res vendita apud emptorem extet, in eam rem erit cæteris præferendus, ita ut ei pretium primitus reſtituendum ſit, vel res ipſa ante omnes alios creditores, præter fortaſſe hypotecarium ratione mutui ad reſtaurationem petenti.

8. Probo concluſionem, quia valde durum eſt, ut res mea, quam a me emiſti exiſtens in ſua ſpecie, non ſoluto adhuc pretio, alijs detur, & ego remaneam re mea, & pretio fruſtratus. Tum quia ſi tibi locavi meam domum, inventa, & poſita in ea remanent pignori obligata pro penſionibus annuis; ergo etiam res vendita manet obligata pro pretio. Tum quia iure gentium non transfertur dominium, niſi facta ſolutione, vel dato pignore, vel fidei iuſſione, vel niſi venditor ſequatur fidem emptoris ut ſuperius dixi. At quando venditor credidit emptori, etiam ſi intendat transferre dominium, non intendit ſe privare iure, & recurſu ad rem ſuam, caſu quo ipſa non fuerit ſoluta, iuxta pretium conventum; ergo, &c. ſaltem quandiu res extat apud emptorem, cenſeatur hypotecata pro pretio.

9. Idem dicendum de alia re titulo oneroſo alienata, ut ſi ſit mutuata, permutata, commodata, &c. ſive res illa ſit adhuc in ſua ſpecie inter bona debitoris. Vtrum vero etiam ſi permixta fuerit rebus illius, affirmativa ſententia probabilior videtur; ut docent DD. graviſſimi.

S V B S E C T I O III.

Vtrum creditores ex debito ſint præferendi creditoribus ex contractu.

10. NIſi in contractu interveniat hypoteca perfecta, vel imperfecta, aut privilegium perſonale prælationis, de-

bita ex delicto debere prius restitui, quàm ex contractu, & quanto delictum fuit maius, eo prius debetur solutio pro eo, quàm per hypotecas, & debita privilegiata, cæteris paribus prius restituendum est ex rapina, deinde ex furto, tertio ex usuris, quarto ex contractu oneroso; quinto ex contracto gratuito, affirmat Medina q. 2. de restitutione dub. 5. quia cum non potest simul ab omnibus peccatis recedere, debet prius ab illis, quæ sunt graviora, maiorem autem iniuriam committit, quis in rapinam, quàm in furto, & maiorem in furto, quàm in usura, nisi res ex delicto posita sit in specie aliena, tunc prius solvendum est debitum ex contractu oneroso, postea vero ex delicto, demum, & ultimo, quæ sunt ex contractu gratuito, sic docet Caietanus verbo restitutio c. 8.

11. Conclusio unica. Inter huiusmodi debita, cæteris paribus, nullus est ordo (dixi cæteris paribus) quia si res debita ex iusto contractu est in specie apud creditorem, vel in contractu intercessit hypoteca tacita, vel expressa, generalis, vel specialis, aut privilegiata hæc proferenda est, & similiter sive debita ex delicto sint in propria specie, hæc primo erunt restituenda, iuxta ea, quæ dicta sunt, & dicenda.

12. Probatur 1. quia neque iure naturæ, neque iure positivo talis ordo præscribitur; ergo dicta debita sunt paria, quatenus orta ex contractu, aut, ex delicto.

13. Probatur 2. quia pro excessu iniuriæ, quæ facta fuit in primo agressu, non fit restitutio pecuniæ, & rei ablatæ; sed alius satisfactionis genus. Restitutio enim ex eo solum fit; quia non licet retinere rem alienam invito domino, sed æqualis est iniuria non solvere ex contractu elapso termino, ac non solvere debitum ex rapina, aut furto invito domino; ergo, &c. & hæc est responsio ad rationem allatam pro Medina.

14. Dices 1. Quandiu emptor non restituit, non recedit ab iniuria, quam intulit; ergo hic habet maiorem, quo maior est delictum, quod patravit. Nego antecedens, non enim continuatur primus ille agressus, sed retentio rei, propter quod negari

potest

potest consequentia, cum restitutio, de qua loquimur, non oriatur ab ipsa iniuria, primo illata, etiam si deinde continuetur, sed a rei retentione, quapropter, quamvis restitutio liberet a peccato iniustæ retentionis, non liberat a peccato iniustæ invasionis, sed hæc petit aliam satisfactionem diversi generis.

15. Dices 2. detentio rei usurariç non adeo repugnat voluntati domini quantum retentio rei raptæ; ergo prius hæc est restituenda; sed quod æquè sint contra domini voluntatem huiusmodi retentiones, patet ex eo, quia, si posset æquè utranque rem recuperare, æquo modo utranque acciperet, videtur autem, quod in usuris non æquè sit dominus invitus, ac in rapina; quia videtur spem non habere recuperandi per usuram, secus vero alia.

SVBSECTIO IV.

Quinam ordo in solutione certorum debitorum sit servandus.

16. QVorum dominium non fuit in debitorem translatum, primo restituenda esse certum est. Secundo pro moderatis expensis funeris debitoris, ad testamentum conscribendum, ad suppellectilis custodiam, & similia; idemque dicendum de funere pro alterius, quem debitor sepellire debuisset. Deinde habentibus hypotecam ante alios, qui non habent; inter hypotecarios autem prius solvendum his, qui tempore sunt priores; qui enim prior est tempore, prior est iure, inter habentes hypothecam, sive tacitam, sive expressam, sive generalem, sive specialem, sive conventionalem, aut iudicialem, ita ut non solum expressa prior, sed etiam tacita prior præferatur tacita, expressæ posteriori, quidquid dicat Navarrus c. 14. n. 50. & 51. & Sylvester verbo restitutio 6. q. 5. & similiter, generalis prior speciali, posteriori etiam si quis generalem habet aliam specialem adiuntam distintam a speciali hypoteca possessionis; quidquid dicat Sylvester citatus ubi supra; nisi fortè hypoteca specialis adiunta hypotecæ generali sufficiat ad eius creditum sol-

 ven-

vendum; secus vero præfertur hypotecæ generali priori.

17. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus hypotecarius posterior de lege positiva præfertur anteriori. Primus casus est lege 5. ubi habetur, quod potiores in pignore hypoteca eius, qui mutuavit præcuriam de conservatione, & restauratione rei alteri hypotecatæ conferre debet. Secundus l. 6. eius hypoteca, cui mutuavit pæcuniam, pro conductione, & locatioue domus ad conservationem mercium, qui casus non est valde assimilis primo.

18. Tertio uxoris pro dote eiusque descendentium l. 12. assiduis c. qui potiores in pignore, quæ quamvis non præferatur hypotecis prioribus expressis, vel privilegiatis, ut in primo, & secundo casu, ijs enim præfertur, aut posponitur ratione prioritatis, aut posterioritatis, præfertur tamen hypotecis prioribus lege inductis, non privilegiatis.

19. Advertendum est tamen, non omnes hypotecas anteriores non privilegiatas, quibus non prępenitur aliqua hypoteca posterior privilegiata, antecedere alias privilegiatas posteriores; & si enim hypoteca dotis posterior, non pręcellat hypotecæ anteriori expressæ non privilegiatæ; non sequitur hanc non præcellere mutuum primi, & secundi casus, & si posterius, in his enim, quæ iure humano constant, non valet consequentia a fortiori inquit *Covarruv.* lib. 1. c. 7. &c.

20. Quartus, pupilli quando eius bonis empta est res aliqua l. *penultima C. de servo, pignore dato*.

21. Quintus, eius, qui pecuniam mutuavit ad rem emendam, cum expresso pacto, ut res maneat hypotecata, cum privilegio prælationis contra omnes habentes hypotecam generalem, etiam erga bona futura, l. *licet* 7. c. *quo potiores in pignore*.

22. Sextus l. 2. c. de *privilegio fisci*, hypoteca fisci in quocunque contractu alijs præponitur, & si tempore posterior, dos autem, & fiscus sunt eiusdem rationis, & similiter dicendum puto de pecunia mutuata, iuxta primum, & secundum casum.

23. Septimus ex novella Iustiniani q. 7. c. 4. hypoteca eius, qui concessit pecuniam ad militiam faciendam, præponitur etiam hypotecæ dotali, in ijs enim casibus non servatur regula iuris, qui prior est tempore, potior est iure, ratione privilegij. In cæteris autem hypotecis non habentibus privilegium, vel æquale privilegium habentibus debet servari.

24. Octavo post omnes hypotecarios solvendum est creditoribus personalibus hypoteca carentibus, inter quos primo solvendum ijs, qui privilegio prælationis gaudent, ut est sponsa de futuro in bonis sponsi, ratione dotis traditæ, non secuto matrimonio l. *eas nono* c. *qui potior*, in pignore, & qui deposuit pecuniam apud nummularium non percipiens inde usuram, l. *si hominem* 7. §. 1. & consequenter ijs qui quomodocunque depositaverunt, commodaverunt, vel pignoraverunt, id quod culpa debitoris perijt, & ijs, qui in societate mercaturæ ad negotiationem deposuit pecuniam, quæ si extet, etiam ipsa est restituenda ante hypotecas ratione rei in spe alienæ. Secundo loco cæteris creditoribus pesonalibus, qui dicuntur chirografarij ex titulo onerolo, inter quos.

25. Vtrum servanda sit regula iuris, qui videlicet prior est tempore potior est iure, negativa sententia probabilior videtur, quamvis oppositum non sit improbabile; videatur Lexius lib. 2. c. 15. dubio 6.

26. Item num pauperior sit dictiori præferendus, negativa pars validioribus fundamentis nititur; nisi forte, pauper sit in tali necessitate, ut ex Charitate teneatur creditor pati, ut suum debitum differatur; affirmativa habet pro Patrono Beatum Thomam opusc. 73. c. 18. Tertio solvendum est creditoribus titulo gratuito, quarto hæredibus, & legatarijs, ut tamen hæredes legatarij procedant in suam legitimam, vel ad quartum bonorum, quæ falcidia dicitur, prout sunt hæredes necessarij, vel non.

27. Advertit Lexius ubi supra dubio 4. hæc omnia, ubi præfatæ leges receptæ sunt, debere servari etiam in foro conscientiæ, cum omnibus alijs legibus, si quæ pro loco, & tempore rationi

consen-

consentaneæ, promulgatæ sint, ut lex, si quæ preciperet pro primo, & secundo casu supra allato. Præferendum etiam dati anteriori, & hypotecæ eius, qui credidit pecuniam ad emenda arma propter bellum.

SVBSECTIO V.

Vtrum prius petenti liceat prius solvere.

28. NON licet inter habentes ordinem, iuxta superius dicta, patet hoc ex l. *scimus* 22. §. *& si præfata* c. *de iure deliberandi*; licere tamen inter creditores eiusdem ordinis; tum in iudicium, tum extra: prius petenti prius solvendum esse docet *Navarrus* c. 6. n. 22. & *Sylvester* verbo restitutio 6. leg. 8. colligitur etiam ex lege *Pupillus* 24. Quę in fraudem creditorum sunt, utrum autem non petenti possit debitor sciens suum labentem statum integrè satisfacere, nego cum Lexio ubi supra dubit. 5.

29. Vtrum vero, qui ita accepit, teneatur ad restitutionem pro rata alijs creditoribus. Tenetur quidem hypotecarijs creditoribus, vel ex regula iuris, vel ex privilegio etiam in toto, non vero alijs, etiam privilegio personali prælationis gaudentibus, sic in l. *quod autem* 6. §. 2. & 4.

SVBSECTIO VI.

Quo loco, & cuius expensis facienda sit restitutio?

30. PRO solutione dubij, quod non est levi ponderis, dicendum est quod si debitum sit ortum ex iniusta acceptione, restitutio facienda est expensis debitoris in eo loco, ubi dominus erat, quia dominus nulla ex lege incommodum sentire debet, in redactione ad suum statum, eo quod fuerit a debitore iniustè vexatus, nec est mirum, si debitor teneatur ad amplius, quàm ad rei ablatæ compensationem; non enim ideo te-

netur,

netur, ut dominus quid amplius accipiat, sed ut dominus tantum quantum ab eo sublatum est, reacquirat, qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Nec putandum est creditorem, quod ad talem rem obligaverit debitorem, quia debitor ad hoc non tenetur ratione iniustę acceptionis se libertate privare. Vnde adverto, quod potest debitor deducere sumptus, quos in re asportanda dominus facturus erat, nec enim debitor tenetur domino lucrum restituere, quod ex re iniustè accepta fecisset, nisi fortè illa res fuisset in mercatura exposita, sive ad lucrum, in qua re servandæ sunt regulæ de causis excusantibus a restitutione. Si denique: si autem probabile sit, ut hic, & nunc non sit facienda restitutio, vel numquam facienda, &c. poterit pauperibus distribui, & similiter si nulla sit spes, ut dominus sit ad hunc locum reversurum.

31. Si vero debitum sit tantum ratione rei acceptæ in loco ubi res habetur, est restituenda, & domino illius expensis mittenda, quia cum tuo damno non teneris illi illam remittere. Immò, si alibi migraveris cum possit apud aliquem sine periculo deponere illam, & poteris expensas a domino repetere, nisi aliàs cum tuo utile, usus esses, ut est, & equs.

32. Si enim restitutionis obligatio oritur ex cotractu, in quo redditur res eadem, vel in quo redditur quid distinctum, vel id quod datur; id in quo nihil accipitur; si contractus sit primi generis, si tantum in alterius partem accepta sit, debet fieri restitutio expensis accipientis in eo loco, nisi aliter conventum fuerit iustè. Si vero cadat in commodum utriusque partis, facienda est restitutio expensis utriusque, quod si res in alium locum transferatur, si sine culpa lata eius, qui eam habet, translata est, erit expensis domini adducenda, secus vero, si cum culpa lata habentis illam. Immò; si pretio eam custodiat, tenebitur etiam ex culpa levi; Si vero contractus sit secundi generis, in mutuo, venditione, &c. solutio eodem loco, quo res pro pretio tali fuit accepta, facienda erit, quia atiàs vendenti, ut plurimum esset cum magno damno, alibi solvere; ergo, &c. quapropter ex vi mutui, & venditionis, obligari potest, ut alibi salvat, quod si

credi-

creditor velit, ut alibi fiat satisfactio, fieri debet suis expensis, sicuti si debitor sit in partem longinquam, debet suis expensis creditori pretium transmittere; similiter census est solvendus, ubi est census; quod si sit omnino personalis, erit solvendus ubi debitor commoratur, quia in ipsius persona census est fundatus, nisi fortè aliter iusta pactione conveniant, quod si debitor ad partem valde longinquam fuerit, ita ut grave incommodum in pensionibus exigendis feudatario inde oriatur, tenebitur suis expensis pensiones omnes ad locum primum transmittere. Si denique contractus sit tertij generis, ut donatio, legatio, testamentum,&c. danda sunt in loco; ubi erant quando donata, &c. fuerunt, nisi aliud expressè in ipsa stipulatione fuerit determinatum, & consequenter expensis donatarij.

QVÆSTIO VII.

De homicidio, & mutilatione membrorum.



Mmitto hic quæstionem 63. Divi Thomæ, in qua agit ipse de acceptione personarum; & assumo 64. quæstionem eiusdem Beati Thomæ, ubi diffusè agit de vitijs oppositis commutativę iustitiæ per articulos octo, quos ego tantum brevissimè tangam, prout ad negocium theologi spectat, in primo articulo huius sexagesimæ quartæ quæstionis suæ secundæ asserit, non esse licitum occidere quemcunque viventium. In secundo articulo quærit, an liceat occidere peccatores, & affirmativè respondet, cum distinctione tamen; in tertio quærit, an talem peccatorem occidere licitum sit privatæ personæ. In qnarto articulo quærit, an liceat Clericis malefactores occidere. In quinto, an liceat alicui occi-

dere ſeipſum. In ſexto an dari poſſit caſus quærit, inquo liceat occidere innocentem. In ſeptimo dubitat, an alicui liceat occidere aliquem ſe defendendo. In octavo quærit; utrum aliquis caſualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum; unde ſequendo eius ordinem, prius loquar de homicidijs voluntarijs, deinde de ijs, qui involuntariè committuntur, tàm factis, quàm verbo, agam. Cum vero iniuriæ, quæ contra proximum inferuntur, contra Iuſtitiam commutativam, ſint contra perſonam, vel contra eius coniunctos, vel contra res illius, prius de voluntario homicidio, & membrorum mutilationem diſcurram; ſecundo de id, quod irrogatur perſonæ iniuſtè, deinde de furto, & rapina pertractabo, ſicut etiam de ſtupro, non ſileam, & totum per ſequentes ſectiones, ſuis ſubſectionibus ſecatas, ſequendo, prout Deus mihi dabit, Angelici eiuſdam doctrinam. Sit itaque.

SECTIO PRIMA.

De damnis, qui perſonæ proximi in corporalibus inferuntur.

1. FVit error Gentilium, nec non Manichæorum, dicentium, non licere, neque plantas recidere; dicebant enim, tales, eſſe cuiuſdam deitatis particulas. Contra quas Divus Auguſtinus, & Epiphanius ſcripſere multa; Iuvenalis etiam luxit de illis in ſua Satyra 11. dum ſic locutus fuit.

Et cepas nephas violare, & frangere morſu,

Et infra ſubdidit;

Oh ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis numina;

Ego autem hic non quæro de rebus iſtis fabuloſis, cum res ridiculæ ſint, ſed ſolum de nece hominum quæſtionem inſtituo, & primo, de nece peccatorum, & eorum mutilatione; ſecundo de nece innocentis, tertio de nece ſui ipſius, de quibus omnibus ſuo ordine cum brevitate, & claritate ſermonem faciam.

An liceat occidere, aut mutilare peccatores.

2. ANgelicus Doctor quæstione 64. supra citata artic. 2. in argumento *sed contra*, nec non in corpore articuli, inquit, ex scriptura licere occidere, &c. peccatores, Exod. c. 22. habetur *maleficos non patieris vivere*, & in Psalmis habetur: *in matutinis interficiam omnes peccatores terræ*. In corpore articuli inquit idem Doctor Angelicus: *licitum est occidere animalia bruta, in quantum ordinantur ad hominum usum, sicut imperfectum ordinatur ad perfectum, omnis autem pars ordinatur ad totum, &c.* & inferius ibidem subdit: *videmus, quod si pro salute totius corporis humani expediat præcisio alicuius membri puta cum est putridum, aut consumptivum aliorum membrorum, laudabiliter, & salubriter abscinditur, quia singulares comparantur ad totam communitatem, sicut pars ad totum, & ideo aliquis homo si sit periculosus communitati, & corruptus, &c. ob aliquod peccatum, laudabiliter, & salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur*; ratio, est illa Divi Pauli ad Corinthios 5. *modicum enim fermentum totam massam corrumpit*; undè sequitur ex doctrina Angelici Magistri, esse legem naturalem præcipientem, occidendos esse maleficos illos, qui Rempublicam turbant; quapropter in hoc non indigemus lege positiva, qua iubeamur hunc, vel illum occidere. Nec hæc lex est limitativa alterius legis naturalis, non occides, cum una lex naturalis non limitet alteram, nec una est universalior, quæ enim prohibet hominem innocentem occidere, & non servato iuris ordine occidendi, non vetat secundum iustitiæ leges occidi malefactores, & rei publicæ proditores, ac perturbatores.

3. Secundò publica authoritate non privata, interficiendum esse iure punitionis, & vindictæ, patet, quia, non licet intercere peccatores iure punitionis, nisi propter bonum Reipublicæ, sed procuratio boni publici pertinet ad publicam potesta-

tem,

tem, quæ solum est in Principe, aut Magistratu; ergo ad publicam potestatem pertinet peccatores interficere; & quamvis quandoque videatur ab aliquo privato iure vindictæ, & punitionis posse aliquem interficere, ut sunt diffidati, nempe banniti, a quibus malum alia via averti nequit, & qui alio pacto puniri non possunt; revera tamen hij non occiduntur, nisi authoritate publica, concessa a Principe, qui illam dare potest præfatis intercedentibus causis.

4. Neque enim Tyrannus ratione solius administrationis potest ab aliquo sub quocunque pretextu interfici, ut habetur in Concilio Constantiensi sess. 15. nam, & si tyrannicè regat, est tamen verus Princeps, & etiam si auferat bona temporalia, hæc non sunt tanti ponderis, ut ab ea defendenda, liceat verum Principem occidere: utrum autem liceat pro defensione vitæ, & honoris, dicam in sequentibus. Verum est, quod si non sit amplius tollerabilis a Republica, vel ab alio authoritatem habente, erit deponendus, & hostis declarandus. Tyrannus autem ratione tituli, & si possit a quocunque interfici, quando neque certo, & infallibiliter constat, illum esse iniustum invasorem, ne causentur maiora mala a filio Tyranni, nec est contra Reipublicæ voluntatem, inquit Malderus, posse interfici.

5. Sed ne hæc mea doctrina alicui displiceat, dico, quod ad hoc faciendum, debet intercedere expressa facultas Reipublicæ, & non debet hoc constare privata, sed manifesta scientia, & publica declaratione, ut benè docet Angelicus Doctor Divus Thomas in 2. sent. distinct. ultima q. 2. art. 2. ad quintum, quia non est verus Princeps; sed iniqus invasor; non debet tamen occidi iure vindictæ, nisi authoritate publica, cum nemo habeat authoritate privata facultatem hoc faciendi; & si iure defensionis sui ipsius, vel moventis, aliquando quis facere, nempe inimicum occidere.

6. Dixi de occisione Tyranni, & oppressore Reipublicæ, & partium eiusdem, ut fert Div. Thomas loco citato supra in antecedenti, qui S. Doctor laudat Ciceronem, laudantem eos,

qui Cæſarem quamvis familiarem, & amicum occiderant, & ratio huius rei eſt, quia iſte talis non eſt in illo caſu Princeps, ſed iniuſtus invaſor, & oppreſſor Reipublicæ, & ſingulorum illius; atqui cum unicuique authoritate publica liceat occidere oppreſſorem, & ſuarum partium, quando non adeſt alia via, &c. eode modo, ac privatam perſonam, quando ab illa quis opprimitur; nam vim vi repellere licet; quando alius modus liberationis non ſuppetit. Exemplum habemus, 3. Iudicum, ubi Eglon Rex Moabitarum, qui oppreſſerat Isdraelitas Iudith Oloferném occidit; & Brutus Caſſius Iulium Cæſarem, ut teſtatur Cicero ſupranominatus. Verum eſt, quod ad defenſionem Reipublicæ, quiſque etiam ſi non ſit de corpore Reipubicæ, poteſt Tyramnum oppreſſorem eiuſdem libertatis publica authoritate occidere, quando non ſit alia via evadendi talem oppreſſionem; nam Reſpublica habet ius, ut a quovis defendi poſſit cum moderamine iuſto.

7. Dico tamen, quod Tyramnus verus, qui occdi poteſt publica authoritate, debet eſſe Tyramnus tertij generis. Vndè adverte, Lector dilectiſſime, ac benigniſſime, quod Tyramnus triplicis generis eſſe poteſt; nempe, Tyramnus qui verè, & legitimè eſt electus Princeps. Tyramnicè tamen gubernat, non curando de alterius honore, deflorando virgines, res alienas uſurpando, ſive alius, qui verè Princeps non eſt, iuſtè tamen gubernat, & leges naturales, & municipales facit obſervare, &c. tertij generis eſt Tyramnus, qui non legitimus eſt Princeps, ſed eſt intruſus in tali dignitate, vi & tyramnide, qui populos opprimit, & de iſto Principe Tyramno dico, quod publica authoritate occidi poteſt, quia iſte verè dicitur Tyramnus; alij vero ſecundum quid, & impropriè Tyramni vocantur, de quibus lex a me propoſita, & communis non currit.

8. Dico 2. non licere in foro conſcientiæ marito occidere uxorem depræhenſam in adulterio, nec patri filiam, inventam inceſtuoſam, aut fornicariam, eſt communis ſententia DD. nec non determinatio Alexandri VII. Sum. Pontificis in ſuis propoſi-

tionibus

tionibus damnatis, &c. de primo videre eſt apud Covarruviam de matrimonio 2. p. c. 7. §. 7. nu. 15. a cuius doctrina non eſt recedendum maxime ſtante declaratione eiuſdem Summi Pontificis Alexandri, qui contrariam ſententiam tamquam ſuſpectam in fide damnavit; ratio eſt, quia animæ eorum, qui ita interficiuntur, evidenti periculo damnationis ſunt expoſitæ ab interficiente, abſque ulla neceſſitate, etenim poſſunt capi, accuſari, & puniri iuxta leges, tum etiam quia daretur anſam alicui iniquo occidendi innocentem, ob alium finem pravum.

9. Dico 3. poſt iudicis ſententiam, licet patri familias occidere filiam, viro uxorem adulteram, aut adulterum, fratri ſororem fornicariam, ut fit in aliquibus Regnis, tunc enim ſolum ſunt executores iustitiæ punitivæ, & publicę authoritatis, ita DD.

10. Dico 4. pro ſua iusta defenſione licet occidere invaſorem; immò hoc aſſerunt multi, ſine moderamine inculpatę tutelę hoc fieri poſſe, hoc tamen non ammitto pro certo; ratio est, quia ſe defendens non potest maiorem vim adhibere, quàm invaſor utatur violentia, nec alijs armis uti debet, quàm invaſor utatur, ſic Div. Thomas, & communiter Doctores, & habetur ex sacra litera Exodi 22. nec non ex sacris Canonibus constat; Alexander namque III. c. *ſi vero* 1. de ſententia excomunicationis; est etiam Innocentis 3. c. *ſignificaſti* 2. de homicidio, ubi dicunt vim vi *repellere, &c.* leges, & omnia iura permittere hac via, nempe itaut, ſi etiam ſacerdos celebret, & ab aliquo invadatur iniustè, potest idem ſacerdos ſacrificium relinquere, & invaſorem occidere, ſi aliàs non poſſit vitam ſuam a morte eripere, & poſtea redire ad ſacrificium peragendum. Sic docet *Div. Antoninus* 3. p. tit. 3. c. 4. & hoc etiam ſi invaſor ſit maioris conditionis, quam ſit perſona invaſa, niſi fortè eſſet Papa, aut Princeps ſupremus, de quibus dubitant DD. ratione damni publici, quando vero non timetur damnum publicum, aut bellum, vel ſeditionem, poteſt etiam iſtos invaſus occidere invaſores. Dicit nihilominus *Banneſius*, *&* *Petrus Navarrus*, quod ſi quis te calumniatus eſt apud Principem, vel Rempublicam, vel apud iſtos

inſidias

insidias contra te machinatus est, non potes armis illum invadere. Sed hæc limitatio mihi ridicula videtur; quoniam eadem ratio militat de eo, qui invaditur, quando aliàs non potest propulsare nequitiam, & de illo, qui iuxta allegata, & probata iniustè ad mortem ducitur, videlicet, quia delicta illi imputata non comisit, ut se a morte illa iniusta se liberet, potest ministros iustitiæ occidere, quando aliàs mortem evadere non possit, ut dicam infra, cum de iudicio Deo dante.

11. Advertendum est tamen, quod hoc licitum non est quando est alia via, ut dixi, evadendi famam, vel vitam, vel inde non sequantur maiora incommoda. Idem dico de puella, quando quis eam violare vellet, vel de patre, quando quis vellet ei rapere filiam, aut uxorem, quia debet prius probari.

12. Dico 5. quod id quod dixi de laico, affirmo de Ecclesiastico, quando aliam viam non habet salvandi suam vitam, vel rem suam recuperandi, sine qua vivere non potest, aut suam famam, & si invadens fugiat, aut fur potest telo illum occidere, & si scit rem sibi furatam esse in aliquo certo loco, occidere potest impedientem illum rem furatam sibi recuperare; sicuti testem falsum contra eum, quando aliàs per iudicem non potest evadere iniustam sententiam, vel infamiam gravem: totum hoc potest applicari ad alios consimiles casus in hac materia. Sed quia in hac materia de homicidio sunt multa dicenda in sequenti subsectione, de hac re pro maiori lumine Confessorum legentium hoc meum opus, plures casus proponam, ac resolvam; sit itaque.

SVBSECTIO II.

Multi casus de homicidio proponuntur.

13. ANtea quam casum aliquem proponam, prius supponendum est, homicidium esse peccatum mortalem, & actionem contra Dei præceptum positivum, quod tamen non obligat semper, & ad semper, ut alibi dixi, nec non contra iu-

stitiam,

stitiam, & proximi Charitatem, atque adeo ob mortem iniustè illatam alicui, aut ob mutilationem membrorum, quod aliqua restitutio debeat fieri patienti, vel hæredibus illius, est opinio Soti, de iustitia, & iure lib. 4. q. 6. artic. 3. ficut idem tuetur à Rodriguez, & potest offensus, vel hæres, aut hæredes illius vocare offensorem in iudicium, unde.

14. Casum pono, Caius occidit Sempronium, qui erat uxoratus, & habebat multos filios, & filias non dum nuptas, qui quidem filij, & filiæ cum matre vivebant labore Sempronij; antea quam Sempronius clauderet oculos suos dimisit iniurias omnes Caio, etiam damna illata familiæ suæ, quæritur modo: an Caius occisor, liber a restitutione damni illati filijs, & filiabus Sempronij mortui, aut mutilati, quod est idem, cum mutilatus inhabilis sit, tamquam mortuus.

15. Respondeo dicendo esse opinionem aliquorum, quod Caius teneatur restituere omnia damna data filij, & filiabus, nec non uxori Sempronij demortui, non obstante eius remissione facta Caio, nam dicunt talem remissionem, quoad damna fecisse iniquam, sic defendit *Bannes* de iustitia, & iure q. 59. art. 3. *S. Thomas* 2. 2. q. 59. art. 3. contrarium insinuat, ratio est, inquit Maneius, quia nullus patitur iniustum volens: unde de regulis iuris, habetur: *volenti, & consentienti nulla fit iniuria*; sic etiam firmat *Orellana*, in scriptis 2. 2. q. 62. art. 2. in responsione ad primum, & videtur consentire, etiam *Sotus* lib. 4. de iustitia, & iure q. 5. art. 1. ratio principalis huius rei est, quia quando, quis occidit aliquem habentem multa debita, non tenetur restituere aliquid creditoribus etiam si remaneant mediante tali morte insoluti; dummodo occisor non occidisset ad hoc, ut creditores illi satisfacti non essent, sic *Orellana*, & *Bannes* supra citati, nec non *P. Alphonsus Vega meus* tom. 1. cum de homicidio pag. mihi 875. & sic ego etiam teneo.

16. Ego occisi Petrum ita occultè, ut nullus homo sciat, me occidisse dictum Petrum; captus fuit Ioannes pro tali homicidio, & vi tormentorum quamvis Innocens confessus est, se occidisse Petrum,

Petrum, & condemnatus est ad mentem ignominiosam; quæritur modo, an ego tenear ponere vitam meam pro sua, eo quia condemnatus est pro delicto a me iniustè patrato?

17. Respondeo cum distinctione, & dico, quod si ego accusavi illum de tali delicto, teneor, aliàs vero non: ita *Vega* supra citatus eodem loco, pag. mihi 876. columna 1. *Sotus* lib. 4. de iustitia, & iure q. 6. art. 3. pag. 518. Non sic est in famæ restitutione alicuius familiæ nobilissimæ, quando multa incommoda inde proveniunt uni totæ Civitati, aut Regno, quando videlicet persona una nobilis notatur de hæresi, aut proditione, ex quibus rebus succedunt amissiones rerum, & multoties vitæ plurium hominum ob rissas. Sic *Sotus*, & *Lopez* in instr. conscientiæ p. 1. c. 116. quare opinio probabilis valde, quod Regina tenetur etiam cum periculo suæ vitæ, & famæ, manefestare suum filium primogenitum esse natum ex adulterio, quando res ita se haberet. Sic firmat *Lopez* loco citato, & *Bodriguez* 2. tomo cap. 45. conclus. &c. num. 2.

18. An detur causa remota in homicidio, ratione cuius dans talem causam fiat irregularis?

19. Respondeo, & pro maiori intelligentia dico: quod in homicidio datur causa remota, & est v.g. quando quis consilium dedit ad furtum, ratione cuius furti, ille fur occisus fuit, vel in furca suspensus, ob talem causam remotam consulens incurrit in irregularitatem, quia per consilium suum solum erat intentum ad furtum, nihil de morte furis cogitando; & idem valet de commodante arma pugnantibus in bello, cum non intendat mortem aliorum, sed solum reportare victoriam de inimicis patriæ: ita firmat *Lorenzana*, in compendio de los casos ordinat, de las materias Canonicas. tit. de irregularit. c. 83.

20. Ex quibus colligo, non esse Irregulares Prælatos illos, nec Clericos illorum, qui solent non solum esse præsentes suis iustis bellis cum eorum subditis militibus, &c. sed insuper habent exhortare eos ad pugnam, & victoriam, absque eo, quod habeant intentionem feriendi, vel occidendi specialem, & si habeant virtualem.

21. Sic

21. Sic etiam non indigent dispensatione ab irregularitate illi, qui fuerunt præsentes bello iusto, in quo multi gladiati sunt, & multi occisi, ex parte adversa, ut benè advertit *Navarrus* in consil. lib. 5. cons. titulo de homicidio cons. 21. nec non *Rodriguez* ubi supra n. 18. in fine.

22. Hic adverte, Lector, quod non sic dicendum est de causa proxima homicidij v. g. de illo, qui mandavit Petrum alicui occidere, vel illum mutilare, aut tale factum ratificavit, quia cum talis præcipiens, aut consulens sit causa proxima, videtur talia mala fecisse: sic loquuntur Sacri Canones, c. *de cætero*, & firmat *Lorenzana*, in compendio de casibus ordinarijs, in materia canonica tit. de irregularit. c. 81. not. 1.

23. Vndè considerare debemus, quod quando multi sunt agressores contra occisum, vel mutilatum, unica, ut vulgo dicitur (*ferita*) omnes illi agressores irregulares sunt, quia nescitur, a quo illa plaga ex illis fuerit recepta; & sic evenit, in casu, in quo, recepit actum ab uno mortale, & ab alio alium, quo mediante de facto moritur, ambo in pæna irregularitatis incurrunt; quia cum non possit verificari certo, de qua plaga mortus sit, cum ambo essent mortales, ambo illi percussores irregulares fiunt, sic docet *Covarruv.* in Clement. *si furiosus* 3. p. §. 2, n. 3. 4. 5. & 6. *Rodriguez* tom. 1. c. 165. *conclus.* & n. 2. not. 2.

24. Verum unum est, quod si quis ferire haberet aliquem, animo illum occidendi, & sic plagatus ab aliquo alio occiditur, primus non remanet irregularis, quia plaga facta ab ipso non fuit mortalis, & animus occidendi non producit irregularitatem. Clarum est tamen, quod si quis talem mortem consuluit, vel potùit impedire infallibiliter, & non impedivit, est idem, ac si illum occidisset, & sic fit irregularis, sic idem *Covarruv.* ubi supra n. 6. & 7. & *Rodriguez* etiam ubi supra.

25. An peccet mortaliter, & sit homicida ille pater, &c. qui tenet in suo lecto parvulum, & suffocatur? &c.

26. Respondeo affirmativè, ut est in iure, & ab ordinarijs locorum solet poni pæna excommunicationis, & etiam si non occisus,

 fuisset

fuisset, quia posuit in lecto sine capsa peccaret mortaliter, quia exposuit infantem periculo mortis, quando aliàs lectus non sit amplissimus, & mater vigilans sit sive nutrix, quia in tali casu, ut dicunt aliqui DD. possent excusari, sic *Caietanus* 2. 2. q. 64. art. 8. *Graffius* a Capua in decis. aut lib. 2. c. 67. de pæna iniungenda pag. 117. n. 12. *Tobiena* verbo homicidium n. 14.

27. Num mulier, sive uxor licitè possit occidere maritum suum, certè sciens, quod ille vult eam occidere in eadem nocte, quapropter maritus tenet pugionem paratum, aut gladium sub pulvinari lingua vernacula dictus *guanciale*.

28. Casus est difficillimus, ut inquit *Sotus* lib. 5. de iustitia, & iure q. 1. art. 84. pagin. mihi 375. ego tamen dico, cum *Bannes* de iustitia, & iure q. 64. art. 7. conclus. 1. & 2. pag. 149. vers. dubitatur, quarto, quod in illo casu uxor potest maritum occidere. Confirmat totum *Covarruv.* de homicidio 3. p. §. unico n. 3. *Rodriguez* tom. 1. c. 133. conclus. n. 3. *Cordub.* libro 1. quæst. 38. dub. 1. quos citat, & sequitur *Vega* meus pagin. 880. cas. 9. ratio huius resolutionis est; quia tunc uxor illa non habet aliam viam mortem evadendi; ergo, &c.

29. Pro defensione bonorum temporalium, si sunt talia bona, & in quantitate tali, itaut ob tale furtum dominus evadat mendicus, licitè potest dominus furem occidere, etiam si sit de die, (*dixi etiam si sit de die*) quia noctis tempore hoc permittunt Sacri Canones c. *olim de ost. spol. relict.* c. *de excomunic. sent.* quando alias non possit rem suam recuperare, nisi fur in aliqua parte se refugiatus esset, quia in tali casu potest eum appræhendere, vel facere, ut appræhendatur a iustitia, absque eo, quod furi malum inferat: sic *Sotus*, *Bannes*, *Armilla*, & *Rodriguez*, & id quod dico de sæculari, &c. dico de Clericis; sic firmat *Sylvester*, & *Covarr.* in c. enim si furiosus, 3. §. unico n. 16. ratio est, quia si hoc fieri potest pro conservatione vitæ; ergo, & pro conservatione rerum necessarissimarum ad vitæ sustentationem.

30. Num liceat viro nobili occidere suum invasorem, quando potest evadere mortem propriam, arripiendo fugam? Re-

spondeo

ſpondeo affirmative, dummodo intentio primaria ipſius nobilis non ſit occiſio invadentis, ſed conſervandi ſuam famam bonam, & ſi eſt in gravi periculo vitæ, poteſt licitè primo intendere necem agreſsoris, quando aliàs mortem evadere non poteſt; ita tenet *Sotus* lib. 5. de iuſt. & iur. q. 1. art. 8. pag. 375. not. 1. ſic ſe habet tunc invaſus nobilis, ſicut iudex, qui curam habet quietis Reipublicæ, poteſt enim iudex condemnare ad mortem delinquentem, ut pacem Reipublicæ ſervet, quando alium medium non habet; ſic invaſus utitur morte invaſoris, ut medium ad ſuam vitam ſalvandam, firmat *Sotus* idem, ubi ſupra *Navarrus* c. 15. n. 2. poſt medium, *Rodriguez* tom. 1. c. 233. concl. & n. 3. & etiam intelligit *Corduba*.

31. Vtrum vero pater caſtigando filium, illum percutit; & filius (quod valet de magiſtro reſpectu diſcipuli) moritur, quia percuſio non fuit curata cum diligentia a Chirurgo, vel ipſe percuſſus fuit diſordinatus in victu? Reſpondeo, quod nec pater, nec magiſter dicuntur homicidę poſsunt, quando plaga, vel percuſſio, habita cura erat faciliter ſanabilis; quia talis mors fuit pec accidens; & non intenta ullo modo, nec a patre caſtigante, nec a magiſtro, ſed fuit negligentia illorum, qui cauſam mortis non removerunt, & talis percuſſio fuit neceſſaria ad corrigendum filium; nam adhibitis omnibus alijs diligentijs, non se voluit emendare, &c. c. *ad audientiam*, de homicidio, tanto magis, quod pater, & magiſter ad hoc tenentur *Sotus* de iuſtitia, & iure lib. 5. q. 1. art. 9. pag. 377. *Rodriguez* tom. 1. c. 266. concl. & n. 3. incidit tamen in homicidij pœnam, qui exercet aliquam artem illicitam ipſi, ſi ex tali exercitio evenit, ut aliquem occideret præter eius intentionem, & fit irregularis. *Sotus* ubi ſupra, & *Rodriguez* ſimiliter ubi ſupra, & firmat *Covarr.* in Clement. ſi furioſus 2. p, §. 54. n. 21. ratio eſt; quia voluit voluntariè occidere, nam voluntariè ſe occupavit in rebus illicitis, &c. eſt tamen hæc opinio contra *Caietanum*.

32. Verum eſt, quod ille, qui alium occidit caſualiter, ſi non adibuit diligentias debitas, quæ uti ſolent ab hominibus pruden-

tibus, peccat graviter, & fit irregularis, quia dat operam rei illicitæ, & remanet obligatus ad resarciendum totum damnum, quod resultat. Sic *Gabriel* in 4. sent. dist. 14. & 15. dub. 2.

33. Casus pulcherrimus proponitur, & est, quis ligatus cum catena ad parietem, pede, aut manus, comburitur locus ubi est ligatus ita, ut sit in evidentissimo periculo vitæ inevitabiliter, quod procedit in omni alio periculo inevitabili, in tali casu ligationis quæritur, an possit a seipso scindere brachium, aut pedem ad hoc, ut mortem evadat? Respondeo, dicendo, posse; sic firmat *Sotus* de iustitia, & iure lib. 5. q. 2. artic. 1. pag. 385. & hoc cum Div. *Thoma* 2. 2. q. 64. artic. 5. ad 2. ratio est; quia melior est conservatio totius, quàm partis; unde, ut optimè ait *Navarrus* lib. 2. de restitut. p. tom. c. 3. nu. 97. cum *Rodriguez* ubi supra; si quis esset in domo, quæ actu comburitur, & non habet viam evadendi combustionem sui ipsius, nisi se projciat per aliquam fenestram cum periculo evidentissimo se frangendi crura; ne tamen moriatur in igne potest licitè se ex fenestra proijcere, ob rationem iam adductam: quia melius est conservare totum, quam partem, & minus malum est amittere civem, quàm totam civitatem. Ex quibus infero, quod licitum est fideli Christiano Catholico ponere suam vitam in periculo evidenti mortis, ut servet suam famam ob honorem Dei; non vero ob gloriam mundanam, sic *Navarrus* ubi supra c. 18. & 48. *Sotus* lib. 4. de iustitia, & iure q. 6. art. 2. cum *Rodriguez* ubi supra.

34. Dubium mihi modo oritur, cum Princeps habeat facultatem condemnandi subditos suos delinquentes ad mortem: num, si idem Princeps imperasset alicui ex suis servis, ut occideret Franciscum v. g. secretò, quia Franciscus iam secundum legis ordinem, ad mortem damnatus erat: est ne talis servus obligatus obedire Principi?

35. Respondeo, cum distinctione clara, & dico; quod si est causa legitima, ut talis occisio Francisci secretè fiat, vel quia si publicè fieret, poterat civitas tumultuare, vel infamari multæ familiæ nobiles Civitatis, & Regni, tenetur obedire, dummodo

do iuxta ſanctiones legum, iuſtè ad mortem damnatus ſit: aliàs his cauſis deficientibus, vel alijs rationabilibus, non tenetur obedire; ita *Sotus* de iuſtitia, & iure q. 5. art. 8. pag. 491.

36. Curioſitatis gratia, nota, Lector benigne, caſum ſequentem. Petrus introivit in domum meretricis, cum qua quotidie ibat, ut peccaret cum illa, & poſuit ſervum ſuum ad portam, ut illam cuſtodiret, venerunt duo homines, & habuerunt iurgia cum ſervo illo, & pugnarunt; ſervus remanſit mortuus, & illi duo plagati, quæritur, an dominus ſervi occiſi, qui poſuit illum in porta, pro ſui cuſtodia, teneatur facere aliquid pro ſervo mortuo?

37. Reſpondeo; quod multi tenent, ut ille dominus ſervi occiſi, ex conſilio; quod idem, eſt dicere, ac ex Charitate tenetur facere bona ſpiritualia pro anima ſervi demortui, ut Miſſas celebrare, ita *Sotus* lib. 5. de iuſtitia, & iure q. 6. art. 5. & *Rodriguez* tom. 1. c. 116. concluſ. & n. 10. ſed ego teneo, quod dictus dominus occiſi teneatur dare patri, ſeu matri, &c. ſervi demortui, totum id, quod ex morte eius damnum paſſi ſunt, ſic firmat *Navarrus* c. 15. n. 7. & 8. non tamen tenetur reſarcire damna occidentibus, etiam ſi a mortuo plagati, aut vulnerati ſint, quia eorum damnum fuit ipſis ipſorum culpam illatum: ſic *Rodriguez* ubi ſupra.

38. Alium caſum curioſum volo proponere, & eſt; Franciſcus occidit Paulum iniuſte, & fuit condemnatus ad mortem, ab executione tamen talis iuxtæ ſententiæ fuit liberatus cum hac conditione, ut acciperet habitum alicuius Religionis approbatæ; ſicut de facto accepit, ut ibi profeſſionem emitteret, ſi ibi ad profeſſionem reciperetur, &c. nempe ſervatis de iure ſervandis; quæritur modo, ſi ad profeſſionem a vocalibus non admittatur, vel ipſe ex impotentia non poſſit regulam rigoroſam obſervare: exeundo ex Religione an a Principe poſſit caſtigari, & puniri ut prius pœna mortis propter eundem delictum.

39. Reſpondeo cum *Bartholomeo Brix* in quæſtionibus ſuis q. 1. & Patre meo *Paſſarello* in lib. de privilegijs pag. 199. quod ſi, iſte

iste habebat uxorem, & ad petitionem ipsius uxoris relinquit Religionem, non potest castigari: quia exijt coactè, & hoc secundum leges matrimonij est; quia ipsa petente, tenetur exire, etiam si illa ingressum talem illi concesserit; quapropter Sixtus Quintus suo motu proprio ad talia inconvenientia evitanda, ordinavit: ut nullus ex ijs acceptetur ad professionem sub pæna nullitatis illius, unde in dicto motu proprio ordinavit, & voluit, quod inventi delinquentes puniantur, sicuti prius merebantur puniri; hoc tamen non militat in casu proposito, quia ingressus Religionis fuit propositus in pænam loco mortis; ergo non potest iterum puniri, quia si egressus fuit ex Religione, non fuit eius culpa, sed aliunde *Rodriguez* 2. tom c. 3. n. 6.

40. Difficultas oritur; utrum scilicet peccet mortaliter ille, qui sibi attribuit aliquod delictum, aliàs a suo patre commissum, dignum morte, ad hoc ut a mortis pæna liberet patrem suum, cum sit certus ipse filius, quod morietur, ob talem causam, sibi attributam.

41. Respondeo cum distinctione, si iuravit filius patrem non commisisse delictum, de quo accusatus erat, sed se fuisse homicidam Petri, v. g. utique peccavit mortaliter; quia falsum iuravit in re gravi, si vero attribuit sibi delictum absque iuramento, nequaquam lætaliter peccavit: ita *Sotus* de secr. reg. & reg. membr. 1. q. 3. pag. 11.

42. Alia difficultas est, nempe, num qui hominem aliquem occidit, & propterea suspensus est in patibulo, teneantur aliquid restituere filijs demortui ab ipso de damnis illis illatis, vel sua morte pro tali damno satisfecerit plenè illis. Respondeo, non satisfecisse, eo quia mors illi datur a iustitia punitiva in vindictam sui sceleris, in exemplum illorum, qui eum viderunt, aut audierunt tale scelus committere, unde sua morte non satisfecit pro damnis illatis, sed remanet obligatus ad satisfaciendum, ad iudicium iudicij timorati, vel prudentum virorum considerata occasione, habita ab homicida, &c. faciendi id, quod fecit, & quod considerent iudices, quod hæredes suspensi ob talem satisfa-

tisfactionem non reducantur in necessitate extrema. Sic firmiter P. Alphonsus de *Vega* in sua summa de foro interiori par. 1. de homicid. pag. mihi 891.

43. Cum duplex sit mors, nempe una spiritualis, & alia corporalis, quæritur, quod nam sit maius peccatum, auferre alicui vitam spiritualem, nempe inducendo illum ad peccatum, an illum occidendo corporaliter?

44. Respondeo cum Div. Thoma, quod magis nocet fratri suo illi auferendo vitam corporalem, quam vitam spiritualem; sic Angelicus 2. 2. Flores Theologicarum, & Bartholomeus *Medina*: ratio est; quia & si dum unus homo nocet alteri rebus corporalibus, ille, qui nocumentum recipit, potest prætendere damnum illatum, quod in privatione vitæ fieri nequit, cum non detur regressus: at nocendo illi spiritualiter, solum damnum spirituale offensus prætendere potest, & per pœnitentiam resarcire. Alia ratio est; quia ille, qui alteri nocet spiritualiter, non est causa efficax offensæ; sed inductiva, & indirecta, sed talis offendens sibi ipsi efficaciter nocet præbendo consensum suasionibus suadentis malum: & iste offendens spiritualiter, se habet, sicut ille, qui a Dæmone tentatur, tentationibus carnalibus, &c. si enim carnaliter peccet, peccatum illud non imputatur Diabolo, sed illi, qui carnaliter peccat; unde inquit Crysostomus: *nemo lædi potest, nisi a semetipso*; & hoc probabiliter.

45. Ego falsè perhibui testimoninm contra Franciscum, dicendo, quod occidit Caium proditoriè, & propter hoc Franciscus fuit damnatus ad mortem, & de facto conducunt ministri iustitiæ dictum Franciscum ad patibulum, ob meum falsum dictum, an tenear, revocare meum dictum statim, ut salvam reddam vitam Francisci cum periculo evidenti vitæ meæ?

46. Respondeo dicendo, quod si iam suspensus est, quando hoc negocium pervenit ad aures meas, non sum obligatus cum tanto periculo vitæ meæ, & famæ, reddere illi honorem, at si adhuc vivit, & potest mori, & non mori, suspendi, & non suspendi, & veritatem fatendo, possum ptobabiliter eum a morte

libe-

liberare, teneor meipsum exhibere in iudicio, & illum fateri innocentem, & falsum dixisse, & iniquè illum accusasse, esto quod se disdicendo possit condemnato iuvare, quod si iuvare non potest, non tenetur; quia non est obligatus perdere vitam suam sine proximi iuvamento; sic tenet firmiter *Corduba* lib. 7. q. 9. q. 21. & firmat tenaciter *Sotus* de iustitia, & iure lib. 4. q. 6. art. 3. pag. 118. cum *Rodriguez* ratio meæ responsionis est; quia ego ut vitam salvam meam reddam, non debeo procurare mortem innocentis, & hoc militat, quando accusator malitiosè accusavit, non vero quando ignoranter, & sic intelligit *Alphonsus* de Vega meus Confrater, videatur *Rodriguez* ubi supra, & dictus *Vega* meus citatus tom. 1. de foro interiori pag. 895. ubi disertè hunc casum tractat.

47. Difficultas alia proponitur non despicienda, nempe an sit homicida sui ipsius ille, qui iam condemnatus est ad mortem, & potest commodè fugere de carceribus, & fugere non vult, sicut ille, qui voluntariè permttit, ut in persona sua fiat experientia de utriaca, permittendo videlicet, ut ab animali venenoso morsum recipiat, ut est vipera, aut venenum sumendo; aut ille, qui habet saltare in fune; isti sunt tres casus, & si communes sint, non sine difficultate manent, in eorum solutionibus.

48. Ad primam difficultatem dico, posse manere in carcere, etiam si commodè fugere possit, quia iam iustè ibi detinetur, & tenetur obedire iustitiæ: & sic non est homicida sui ipsius. Ad secundam difficultatem dicendum, quod si utriaca est composita a viro experto, potest se exponere, & non est sui ipsius homicida, secus vero si sciret utriacam esse compactam a viro inexperto, quia voluntariè se exponeret periculo evidenti. Ad tertium dico, quod si ad iudicium viri prudentis habeat vires, & agilitatem saltandi in fune, dum saltare vult, & deinde ex fune cecidit, non erit voluntariè sui ipsius homicida *Navarrus* est legendus 1. tom. de restit. lib. 2. c. 3. n. 77. & 78. nec non 82. *Rodriguez* 1. tom. c. 134. concl. & n. 2. *Navarr.* in sum. c. 156. nu. 8. & hæc mea & aliorum veritas, est definita in Concilio

Con-

Constantiensi, & firmat *Castro* Palaus dub. 4. adu. hæreses, vers. Tyramnus, vide Alphonsum de *Vega* meum Confratrem p. 1. de foro interiori, verbo homicidium pag. mihi 899.

49. Casus communis mihi occurrit; an sit licitum Magistratui, aut Principi absoluto licentiam præbere cuique, ut aliquem facientem malum iniquè occidat, ex eo quod, non potest Magistratus, aut Princeps habere in sua potestate, nec aliàs possit Princeps, aut Magistratus illum punire, & etiam si sit emendatus, adhuc Magistratus, vel Princeps timent de futuro malo?

50. Respondeo, dicendo: quod in tali casu quatuor sunt observanda, & primo, quod ille, qui illum occidit, non moveatur odio; secundo, ut det illi commoditatem se confitendi; tertio, quod occidendus sit in territorio Principis mandantis talem occisionem, aut sit consensus domini loci, ubi fit tale homicidium, his positis, Princeps, aut Magistratus, qui loco Principis sedet, potest mandare talem occisionem; debet tamen esse prius iuridicè ad mortem condemnatus. Sic firmant sequentes Doctores, *Navarr.* tom. 1. de restit. lib. 2. c. 3. n. 156. pag. 166. & pag. 268. n. 219. *Sotus* de iustitia, & iure lib. 8. q. 1. art. 3. ad 1. *Merchadus* lib. 6. c. 5. &c. Frater Ludovicus *Veia* select en sus casus casu 43. neque talis occisor post publicationem sententiæ est obligatus ad aliquid restituendum, quamvis ante publicationem sententiæ teneatur, ratio est, quia condemnatus ad mortem, iam est privatus iure vitæ suæ, &c. & consequenter filij eius remanent spoliati de omni ratione, quem prius habebant in patris vitam, unde adverto, quod si occisor illum hominem condemnatum ob odium occideret, peccaret contra Charitatem non vero contra iustitiam, quia nihil auferre habet alicui.

51. Num iudex licitè possit dare mortem alicui reo mortis absque eo, quod permittat illis confiteri coram Confessario peccata sua sacramentaliter, aut accipere Sacramentum Eucharistiæ, dum talis reus non vult se confiteri, &c.

52. Respondeo, non posse, sed peccaret mortaliter iudex totaliter eum liberando, debet igitur dare illi reo licentiam se con-

firendi, &c. etiam si dubitaret, quod talis raptus esset ab amicis, vel parentibus e carcere, quia aliàs poneret animam suam in periculo perditionis æternæ. Limita tamen, quando Reus est homo sceleratus, & notabiliter nocivus Reipublicæ, quia in tali casu potest iudex denegare tali reo tempus se confitendi, & præcipuè quando dubitat, quod illi raptus fuerit, quia manus iudicis est Rempublicam defendere, quantum potest, ab omni malo, *Sotus* de iustitia, & iure q. 1. art. 2. *Vega* meus Confrater in praxi de foro interiori tom. 1. pag. 902.

53. Quæres quodnam sit maius peccatum, aliquem hominem occidere, aut in die festivo laborae? Dico, quod maius peccatum est neces hominis alicuius innocentis, sive alterius viri, quàm in diebus festivis laborare; quia hoc secundum non est de iure divino, benè tamen primum, & sic laborare in die festivo, etiam sine necessitate, non est ita grave peccatum, sicut hominem occidere, aut deprædare rem alienam a iure divino prohibitam, cum homicidium sit de iure divino prohibitum, laborare autem diebus festivis est de iure positivo, factum ab homine, illud autem factum a Deo; verum est, quod si laborare diebus festivis continuò, & numquam dies festivos observaret, esset maius peccatum, quia numquam haberet reverentiam in Deum, & despiceret implicitè præceptum primæ Legis, seu Legis primæ tabulæ. Sic firmat S. *Thomas* in quodlib. lib. 18. *Sotus* lib. 8. de iust. & iure q. 2. art. 3. pag. 896.

54. Quæro iterum. Franciscus, ut se liberet a morte, quia alia via non poterat se ab ipsa morte defendere, invasorem suum occidit, carceratus fuit, & iudex illum damnat ad mortem, vel petit ab ipso an verè talem occiderit? an teneatur respondere affirmativè.

55. Respondeo affirmative, si ipse occisor potest probare concludenter, quod ipse illum occidit, ut suam vitam salvaret, & alia via non poterat mortem evadere, non sic, si alias putabat, quia præsumptio est contra eum, qui occidit, ratione operis perpetrati, cum factum sit a iure damnatum, non est obligatus, & sic

ſic poteſt negare ſecundum iura communia, at ſecundum probabiliorem ſententiam, & iuxta ſanctionem Innocentij II. tenetur dicere veritatem, dummodo ſit conſtitutus coram iudice competente, habito iuramento, me tamen in hoc remitto authoritati Summi Pontificis citati, & DD. prudentioribus relinquendo *Armill.* authoritatem verbo confeſſio n. 10. & 11. & *Tobien.* eod. loco n. 10. & 11.

56. Vltimo quæritur, ſi aliqua mulier ſciens Regem, &c. velle illam inducere ad peccatum carnalem, occideret ſeipſam, potiùs quàm ad talem caſum deveniret, peccaret?

57. Affirmativa eſt reſponſio pro me, ita Div. *Antoninus* 2. p. tit. 8. §. 2. *Pedruza* in declarat. 5. madamiento § 2.

58. Caſus alius, an Reſpuplica, vel Princeps poſſit imperare ſuo alicui ſubdito, vel pater filio, & illum conſtringere, ut permittat ſibi membra abſcindi, quod eſt aliàs neceſſarium pro ſalute ſubditi ipſius, vel filij, &c.

59. Dico cum libertate, & veritate, quod neque Reſpublica, neque Princeps, quod idem eſt, poteſt hoc imperare, verum eſt, quod Prælatus hoc facere poteſt in virtute Sanctæ Obedientiæ ſubdito ſuo: quia talis Obedientia eſt promiſſa in profeſſione in omnibus, quæ non repugnant animæ ſubditi, & Regulæ obedire, ſic firmat, & tenet *Lopez* p. 1. inſtruct. conſcient. c. 66. *Sotus* de iuſtitia, & iure lib. 5. q. 2. art. 1. pag. mihi 380. verum eſt, quod ſi in tali abſciſſione ſubditus poſſet ſentire extremum dolorem, Prælatus non poteſt illi talem abſciſſionem, vel aperitionem plagæ imperare, nec ſubditus tenetur obedire, quod ſi obediat, & ob talem ſciſſionem, vel ob aperitionem alicuius partis ſui corporis moriatur, non eſt homicida ſui ipſius, quia hoc facit coactè, & ſi non obediat, moriatur, neque tunc ſui ipſius homicida eſt, quia hoc facit, ne tantum dolorem eceeſſivum ſufferre debeat, *Sotus* ubi ſupra pag. 381. ratio eſt; quia nemo tenetur vitam ſuam conſervare extremo dolore, nam vera eſt Romani vox, dum illi crus aperiretur, non eſt tanto dolore digna ſalvus, ſic firmat etiam R.P. Alphonſus de *Vega* Matritenſis,

tritensis, meus Confrater ob Religionem tom. 1. de praxi fori interioris, pag. mihi 904. column. 2. cas. 40.

60. Casus ultimus est non ita facilis; an docens, aut consilium dans, vel imperans, ut malefactores condemnentur ad mortem; fiat irregularis? & quia casus prima facie videtur parvi momenti, antequam tamen resolvatur, multa sunt a prudentibus consideranda; 1. aliud est docere rem speculativo modo, & secundum veritatem, aliud est, consulere eamdem rem, & aliud illam imperare 2. aliud est docere veritatem in casu mortis, tamquam minister, & sicut ille, qui de proximo operatur, & tamquam auxiliator, ut sunt Advocati, & aliud est docere in communi; & quando non est mortis periculum, aliud est consulere in communi, ut faciunt Concionatores, & aliud est, consulere in particulari, hoc supposito, & benè considerato.

61. Respondeo ad difficultatem propositam duabus conclusionibus; & primo dico, quod Doctor, etiam si efficaciter doceat, malefactores esse occidendos, quando eorum delicta mortem merentur: quia ipse non prætendit necem illorum malefactorum; sed solum speculativè veritatem affert; neque indirectè: ad homicidium concurrit, aliàs valeret dicere, quod omnes Cathredatici, Iuristæ, & Theologi irregulares essent, quare maior difficultas esset, si iudex dubiosus an debeat condemnare ad mortem Petrum, & peteret a Theologo, aut Iurisconsulto, ut determinaret, an Petrus debeat ad mortem damnari; quia ipse iudex de hac re dubitat, quibus: ego dico, quod si Iurista, aut Theologus, dicit aut scribit tantum veritatem speculativè, non prætendendo mortem, sed tantum dicere veritatem legis, non prætendendo executionem, non remanet irregularis; at si ipsi scribentes advertunt, quod iudex stante eorum voto condemnabit illum ad mortem, incurrunt, quia in tali casu non solum veritatem declarant, sed virtualiter, & formaliter condemnant eum ad mortem, talem mortem consulendo. Secunda conclusio est, quod non sic se habent Confessarij, & Concionatores etiam si consilium dent, ut in Republica malefactores puniantur iuxta le-

ges;

ges; quia officium eorum est hoc quia non consulunt in particulari, si tamen consulerent in particulari fierent irregulares; quia partialiter concurrerent ad mortem proximi, moraliter, & hoc extra Confessionem, nam in Confessione non incurrunt, cum ibi sint Dei Vicarij, & talis actus est reservatus soli Deo, & in illo actu Confessarius est obligatus veritatem puram docere, sic docet *Bannes* de iustitia, & iure q. 64. art. 8. verbo dubitatur 6. pagin. 364. columna 2. & pag. 365. columna 1. & 2. concl. 1. & 2. col. 2. A.B.C.

62. Hinc oritur casus, an Confessor, qui negavit absolutionem iudici, qui non dederat sententiam mortis alicui delinquenti, qui aliàs illum iuxta leges debebat condemnare ad mortem, non fit irregularis, etiam si cognoscat, quod iudex ex tali negatione absolutionis movebitur ad observantiam legis infusarum, & talem reum ad mortem condemnabit, ratio est quia Confessarius non incitat ipsum ad sententiam proferendam, sed solum rectè exercet officium suum, quod est exhortare pænitentes ad observantiam legis divinæ, & humanæ. *Rodriguez* tom. 1.c.169. conclus. 3. n. 4. in ult. impress.

SVBSECTIO III.

An liceat occidere innocentem.

63. Tangit Angelicus Magister hanc difficultatem hic 2. 2. q. 64. artic. 6. & respondet negativè, ut habetur Exodi 23. *insontem, & iustum non occides*, ratio Div. Thomæ est, quia occisio peccatoris est per comparationem ad bonum Reipublicæ, & sic licet iniqum occidere, sic in argumento, *sed contra* in corpore articuli, at iustus sive eius vita est promotiva, & conservativa boni communis, &c. & ideo numquam innocentem licet occidere è contra iniquos, quia isti corrumpunt Reipublicæ membra, &c. his positis, per diversas conclusiones meum afferam iudicium.

64. Con-

64. Conclusio 1. est, quod quando invasus iniustè non potest alia via se defendere a morte, potest invadedentem occidere.

65. Probatur conclusio non solum, quia iam constat ex sacra litera, & ex ratione adducta Angelici Magistri supra n. 62. hic in hac subsectione, verum etiam casum proponendo; casus est: quis vult te occidere, & certè tu mortem evadere non potes, nec invasorem occidere ut te ipsum salvum reddas, & liberum a mortis periculo evidentissimo, & infallibili pro illa coniunctura, in qua manes, nisi puerum innocentem inter te, & invasorem manentem, vel claudum, aut alium infirmum, &c. tunc potes etiam cum morte insontis invasorem occidere; ratio est, quia tu tunc non intendis insontis mortem, sed invasoris, & te a periculo, &c. mortis liberare, sic tenet *Corduba* cum multis alijs gravissimis Doctoribus.

66. Excipe tamen casum, nempe, quando medium stans inter se, & invasorem tui, esset aliquis infans non baptizatus, & tu probabiliter esses in gratia Dei; quia tunc Anima illius pueri, & eius solus est præferenda tuæ vitæ temporali; secus vero, si tu esses in peccato mortali, & copiam Confessarij non haberes; nam tunc unus, & alter est in pari necessitate, & sic melior est conditio possidentis.

67. Conclusio 2. si Tyramnus persequatur innocentem, & minatur obsidionem Civitati, si talem innocentem Cives illius non occidant, vel illi eum concedant, ut possit illi necem dare, non tenentur occidere, nec possunt eumdem in potestatem Tyramni tradere.

68 Ratio est; quia habemus Exodi 23. *insontem, & iustum non occides:* esset enim hoc impietatis actum contra legem divinam; nam nullus hominum habet dominium vitæ alterius hominis, & per consequens nemo potest aliquem sua vita privare, nisi ad necessariam defensionem, vel ad punitionem criminum, undè Div. Augustinus 1. de Civit. Dei c. 17. & 19. dixit: *gravius peccatum est occidere innocentem, quàm peccatorem.*

69. Ne-

69. Neque mihi placet doctrina Lexij hic lib. 2. c. 9. dub. 7. n. 37. usque ad 40. ubi inquit, hoc esse licitum ad bonum publicum, & ratio, quare non placet mihi hæc doctrina Lexlj citati est, quia damnum Reipublicæ non sequitur per se ex conservatione vitæ innocentis, sed per accidens illa salvatio se habet in illo casu, totum enim malum provenit ex pravitate animi Tyramni erga Rempublicam; aliàs ob defensionem sui non liceret alium occidere, &c. aut occidere insontem ad periculum infallibilem propriæ mortis evadendum, quod est falsum, ut supra ostendi, hic n. 65. quod si viri Sammariæ occiderunt septuaginta filios Acab timore belli, quod Ieu minabatur hoc fuit ex voluntate Dei, quam illis Ieu indicavit. Dicitur enim Paralipomenon 20. *Deus constituit Ieu, ut deleret damnum Acab*.

70. An vero Respublica possit dare innocentem Tyramno, & si innocens ipse non vult adire, cogere eum, ut pergat coram illo. Affirmo cum Lexio hic loco cit. superius. Tenet hoc etiam *Lopez* p. 1. c. 6. *Petrus Navarrus* lib. 2. c. 3. nu. 120. ratio est, quia in tali casu ille innocens, ex lege Charitatis tenetur egredi de Civitate, sicut etiam lege pietatis in patriam, & se morti exponere, si certus sit tali actione calamitatem communem suæ patriæ fore eversurum, immo ad hoc cogi potest, quia tunc non intenditur primo, & per se mors ipsius innocentis sed libertas patriæ, mors enim illius sequitur secundario, & per accidens.

71. Tum quia, & maximè, quando Princeps famæ esset periturus, & non inveniretur cibaria ad illum alendum, nisi unus panis apud aliquem existentem, periturum, posset certè cogi ille homo ad Principem illo pane alendum, ne fame pereat, etiam si ille homo fame esset periturus; ergo etiam potest cogi innocens, ad accedendum coram Tyramno, quando id est necessarium simpliciier ad salvandam libertatem, & salutem totius Reipublicæ; nam tunc Respublica nihil aliud agit, quam uti iure suo, quod habet ad procurandum, quod unusquisque de illa bonum publicum operetur; quod quidem ius datur illi a lege naturæ. Nam lex naturæ hoc dictat, ut pro bono publico, particularem bonum ex parte relinquamus omnes.

72. Con-

72. Conclusio 3. Nullo modo licet Medico matrem secare, ut proles viva ex utero matris evadat, & baptizari possit, etiam si matris sit a Medicis desperata salus, & in hac secatione ipsa consentiat. Tenet Navarrus consil. 1. de homicidio voluntario.

73. Probo sic Conclusionem positam, quia non sunt facienda mala, ut inde veniant bona, & præcipuè, quando malum, quod sit ob bonum, est equale cum bono, aut bonum non est magnæ, & summæ considerationis, hic enim sumus in pari gradu, meo videri.

74. Puto tamen, quod si mater esset damnata iustè à Iudice ad pænam mortis, tunc posset secari si fetus esset animatus, & esset spes, ut posset baptizari, ne periclitaretur; ratio est, quia occidere nocentem publica auctoritate licitum est, & nam mors eius erat destinata in pæna delicti commissi propalati, & probati concludenter, ut supponitur, post puerperium subitura, &c. ergo maximum bonum est nocentem occidere, quando talis mors ad salutem tertij ordinatur; quidquid dicat in contrarium Malderus dubitatione 13. ni fallor cum aliquibus alijs.

75. Conclusio 4. non licet præbere Pharmacum mulieri pregnanti, eo animo, ut aborthum faciat, sive fatus sit animatus, sive non. Sic firmat *Covarruvius*, & deducitur hoc ex *Clement.* si *furiosus* p. 2. §. 3. n. 1. &, ut ait *Petrus Navarrus*, est communis sententia omnium DD. vide eum, Lector amice, lib. 2. c. 3. num. 140.

76. Persuadetur sic veritas huius conclusionis, quia post animationem non licet occidere innocentem, ut alius servetur; Sumus enim in bono particulari, non in communi, unde ille, qui hoc faceret iustè deberet condemnari ad mortis pænam, l. *pænultima*, C. *sicarijs*, & l. *divus* 4. titulo de extraordinario Crimine; Neque licet ante fætus animationem abortum procurare, etiam ob sanitatem matris, sicut nec pollutionem ob eundem finem, quia uterque est contra naturam generationis; neque est medium per se necessarium simpliciter ad salutem corporis, sed per accidens. Verum est, quod, qui ante animationem

fætus

fætus abhortum procurat, non est homicida, saltem in communissima sententia, quam non admitto: quia iam per subsistentiam humanam est homo etiam si non sit animatus, ut dico in mea Phylosophia, cum de subsistentia, atque adeo dicunt illi, mortem non merentur; quod ego non tenerem, & sic mortem dicunt non mereri; teneat unusquisque, quidquid vult. Dicunt etiam isti contrarij meæ sententiæ, quod si nobilis sit iste procurans abortum ante fætus animationem, quod non debet puniri, nisi tantum exilio, si vero ignobilis ad metalla, ut habetur in l. *si quis aliquid* 38. §. *qui abortionis*, titulo de pænis; qui vero abortum fætus animati procurat, est irregularis, non animati, non; sed ego, dico quod homicida est, qui hominem occidit; at est homo, qui habet subsistentiam humanam, ut ego probo in Phylosophia loco citato; ergo, &c.

77. Conclusio 5. Quando fætus est animatus, non est licitum præbere matri medicamenta directè iuvantia cum evidenti periculo prolis, si valde probabilè sit, quod sine illis prolis viva pariatur. Tuetur hæc sententia a *Lexio* hic 2. 2. de iust. & iur. lib. 2. c. 9. dubio 10. n. 63.

78. Totum fundamentum huius conclusionis est, quia quilibet tenetur præferre salutem æternam proximi, suæ propriæ vitæ corporali, & hanc pro illa exponere: ergo si mater abstinendo se a medicamentis prolem ad Baptismum, necessarium simpliciter ad salutem, servare potest, alioquin ante Baptismum morituram, tenetur a Pharmaco se abstinere, quod certo cum suæ vitæ discrimine futurum esset.

79. Si tamen probabilè esset, quod mater non adhibitis medicamentis, uterque essent morituri, nempe, tàm mater, quàm proles, utique mater potest adhiberi medicamenta; sic Doctores scribentes.

80. Quæres hic. Quando nam animetur fætus Anima rationali in ventre matris. Respondeo cum communi DD. sententia, quod masculus die 40. post conceptionem eius, fæmina vero a die octuagesimo suæ conceptionis animati sentiuntur a matre; sed

revera de hac re non adest fundamentum certum. Dico tamen quod quando illud corpusculum organa habet, & capacitatem inserviendi rationi eo modo, quo possunt, & debent pro illo statu, tunc a Deo Anima rationalis illi conceditur, tàm loquendo de masculo, quàm de fæmina, & ita vidi tenere multos Medicos doctissimos in hac materia scribentes (quidquid dicat Hypocrates cum suis sequacibus)

S V B S E C T I O IV.

De occisione sui ipsius.

81. Movet hanc difficultatem, Div. Thomas hic q. 64. art. 5. in sua 2.2. nempe an alicui aliquando liceat occidere seipsum, & fuere aliquando non pauci, qui partem affirmativam defendebant, dicentes; quod homicidium est peccatum, inquantum contrariatur iustitiæ, atqui nullus sibi ipsi potest iniustitiam facere, ut probatur in 5. *Ethicorum*; ergo nullus peccat occidendo seipsum, & per consequens, licitum est, seipsum occidere, & habetur Iudicum 16. quod Sanson occidit semetipsum, & tamen connumeratur inter Sanctos, ut patet Hæbr. 11. ergo, &c.

82. Conclusio sit certissima apud omnes Catholicos, quod nulli licitum est occidere seipsum, patet tum ex præcepto naturali, *non occides*, *&c.* & divino, &c. tùm ex Div. Augustino lib. de patientia c. 13. ubi plusquam parricidas sui ipsius occisores vocat; quia, qui occidit seipsum, peccat contra Iustitiam, Charitatem, Patientiam, & Fortitudinem, & etiam contra prudentiæ virtutem. Contra Iustitiam quidem, quia facit contra iustitiam Dei, & Reipublicæ; contra Charitatem, quoniam quisque se diligere debet quantum sa est, quia si nimis se amaret, peccaret graviter. Contra Patientiæ virtutem, quoniam, ut inquit Augustinus in illud Ecclesiast. 2. *Væ his, qui perdiderunt substentiam*, *&c.* quia, ut docet idem Augustinus 1. de Civit. Dei,

infirmi-

infirmitatis est, potiùs sibi malum inferre, quàm mundi adversa sustinere. Prudentiæ denique, quia non curant miserias sibi augere, nec excusationem legitimam affert, si id fiat. Primo, ne castitas violetur, quamvis de hoc dubitet *Hieronymus* in c. 1. Ionæ. *Eusebius* lib. 8. Instromarum c. 12. & S. *Ambrosius* lib. 3. de Virginibus, & lib. 2. Epistola 7. nam, ut docet *Augustinus* 1. de Civit. Dei c. 18. *Castitas invictè violata, non aufertur, sed augetur*, ut legitur de Virgine Sancta Lucia, dicente Paschasio Præfecto, dum iste imperabat, ut ad lupanar duceretur; dixit namque: *si invicta iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Sanctarum autem Virginum, quæ in contrarium solent adduci exempla, miranda potius sunt, quàm immitanda, quia vel id fecerunt authoritate Dei, ipsis revelante, vel simpliciter, & ignoranter facta fuere. His positis resolutionem ad dubium dabo.

83. Conclusio sit, numquam est licitum alicui occidere seipsum. Est conclusio certissima apud omnes Theologos, cum Angelico Magistro q. 64. cit. art. 5. tàm in argumento, *sed contra*, quàm in corpore articuli, est etiam SS. PP. & præcipuè *Augustini*, & *Crysostomi*, una cum Div. *Heronymo* in c. 1. Ionæ in fin. & fuit determinatum in Concilio Bracharensi 1. c. 74. unde qui occidit seipsum, privatur ecclesiastica sepultura, & cognoverunt hanc veritatem lumine naturæ etiam antiqui Phylosophi Gentiles, ut Aristoteles 5. Ethicorum c. 7. *Platus* in phedonem, & inter Catholicos affirmavit hanc conclusionem veram esse *Turrianus* in præsenti disput. 29.

83. Probo conclusionem positam sic. In Scripturis sacris habemus, & præcipuè Exodi 20. *non occides*, quod quidem præceptum omnibus hominibus datum est & 2. Reg. cap. 1. David morte punivit illum Ammalecitam, qui dixerat, se occidisse Saulum, ita illo petente, ne ab hostibus caperetur; ergo si alium petentem occidi, occidere non licet; ergo neque alicui licitum erit occidere seipsum; cum unusquisque magis teneatur ad propriam vitam conservandam, quam alienam, ob maiorem coniunctionem, quam unusquisque habet cum seipso, quàm habeat

cum alijs; quod totum consolidatur ex illo dicto Sapientiæ 16. *Tu es, domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*, & Deuteronom. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam*: unde ius in hominum vitam Deus sibi reservasse videtur.

85. Dices 1. Vita corporalis non est tantum bonum, ut non possit postponi alijs bonitatibus, unde quando vita est causa peccati, & incurrendi in æternam damnationem, potest tolli; quare de Iuda proditore dixit Christus Dominus, postquam prodidit ipsummet Christum: *melius erat ei, si natus non fuisset homo ille*; ergo homo potest seipsum occidere, ne peccet.

86. Respondeo, de bono physico in ordine naturæ, nego; de morali in alio ordine, concedo; ergo potest quis mortem sibi desiderare, aut procurare directè, nego, indirectè, concedo. Martyres enim provocabant Tyrannos, non propterea propria mors illos movebat: sed gloriæ corona, ad cuius desiderium sequebatur mors, non per se intenta, neque tamquam finis, nec tamquam medium, sed per accidens. Quod si Christus dixit illa verba de Iuda proditore, intelligenda sunt in sensu morali, non in sensu physico; melius esset, si non fuisset natus in statu Apostolico, quia non fuisset proditor Christi Domini; non autem locutus est Iesus in sensu physico, nam in tali sensu, semper melius est esse, quàm non esse.

87. Dices 2. Sanson occidit seipsum, & Phylisteos; ergo occidere seipsum licitum est. Respondeo, hoc fuisse factum ex Dei voluntate, & authoritate, ut inquit *Innocentius* III. c. *gaudemus*, de divortijs, & S. *Augustinus* 1. de Civit. Dei c. 1. vel dico; quod seipsum tantum indirectè occidit, non autem directè, quia directè tantum inimicos Dei intendebat occidere.

88. Hinc movetur pulcherrima difficultas, & solvitur statim, nempe: an liceat militibus in bello navali pugnantibus, ignem pulveri addicere, & se in mari ammittere, ne ipsi sub potestate suorum inimicorum veniant?

89. Respondeo huic difficultati, ut promissi, statim, & cum distinctione procedendo, dico; quod si bellum est fidelibus Catholi-

tholi-

tholicis non licet, si autem contra Turchas, aut cum Hęreticis, &c. licet; est hæc sententia probabilis. Tenet *Lexius* lib. 2. de iustitia, & iure c. 9. dub. 6. nu. 34. *Malderus*, nec non *Diana* 5. p. tract. 4. ref. 26. p. 11. tract. 6. miscellanearum resolutionum, resolut. 36. & videtur consentire *Serra* 2. 2. q. 64. artic. 5. in fine, & tradit *Viguer* de iustitia tract. 2. c. 2. dubio 18. n. 106 ubi sic loquitur: *Si tamen, qui in navi sunt, & certè occidendi, & cum aliqua spe evadendi, in mare se coniecerint & sic navim incenderent; tunc non ita difficile videbitur, huiusmodi factum ab homicidio proprio excusare, quamtumvis fortassis etiam auctores incendio interirent.* Quod idem ferè ijsdem verbis ait *Lexius* loco citato. Tenet etiam *Bonaccina*; *Lugus Trullenc.* ego tamen adverto, quod hoc est licitum, quando intercedit causa boni publici, & quando per hoc hostes debilitantur, & moralis certitudo est, quod si capiantur ab hostibus occidentur. Immò, inquit *Fagunder*, quod hoc est licitum, non solum ad evitandam mortem, verum etiam ad expavescendum inimicos privantes eos illa preda, ne insolentiores fiant, & dictiores, ac fortiores armis nostris, & navibus.

90. Favet hanc opinionem *Nicolaus de Lira* 2. Machabæorum 14. excusando Raziam (qui ab hostibus circundatus se præcipitem dedit: *eligens* (inquit sacra litera) *nobiliter potius mori, quam subditus fieri peccatoribus*. *Sylvester* verbo bellum 2. q. 3. dicit: *posse milites turrim solo aquare, etiam si certissimè noscant, illam cadentem, opprimendos*; favent etiam alij multi apud *Dianam* 5. p. tract. 4, resolut. 42. qui dicunt, quod habens tabulam apprehensam inter undas spumantes, qua possit salvari, potest illam relinquere amico periclitanti in aquis, & ut bene ait *Sotus*, certum est, hanc tabulam cedere amico, ne si sit moraliter, certus quod non se deneget in marinis undis sibi esse illicitum, si ergo hoc licet, cur conclusio mea non erit probabilis; immo probabilissima.

91. Tum quia, ut ait Lexius loc. cit. ubi supra, grassante incendio, si non suppetat alia via tam horrendam mortem evadendi, ut dixi, potest ille sic repertus ex altissima fenestra se proij-

cere,

cere, etiam cum certo vitæ periculo; quia est in pari gradu periculi, tanto magis; quia non intendit seipsum occidere; sed mortem fugere; nam etiam animalia irrationabilia instinctu naturæ, hoc facere solent; ut a morte se liberent: sunt verba Lexij, saltem ad sensum.

92. Hinc infero: quod condemnatus ad mortem, sive ad mutilationem membrorum aliquorum consentiente iudice, potest esse executor iustitiæ contra seipsum, & præcipuè, quando modus sui interitus non est nimis acerbus, v. g. per pationem venenosam, vel scissionem venæ sibi mortem dare: nec tunc ille homo faceret contra præceptum legis: *non occides*, quia præceptum tale est ad salvandum innocentem, & etiam iniustum, quando non adest facultas Principis (ut alibi dixi) & legis naturæ, vel municipalis, tunc enim authoritate publica mortem illam, vel sibi ipsi, vel ab alio iustè infertur.

93. Deduco etiam, quod quando quis morsu viperæ, aut alio animali inficitur, si alias vitam suam salvam reddere non potest, quàm abscindendo membrum illud, in quo morsum a vipera recepit, sine dubio, potest seipsum mutilare. Sic insinuat *Petrus Navarrus* lib. 2. c. 3. n. 98. ratio est: quia si aliquod membrum corporis sit totaliter aridum, poterit abscindi, dummodo magnam deformitatem corporis non pariat talis abscisio, &c. ita a pari, ut salvetur totum corpus a venenato morsu, cum membra ad servitutem corporis data sint, licitum erit insanabilem ascindere.

94. Excipe tamen, quando dolor esset ita sensibilis, ut insopportabilis esset, & patientem ad desperationem duceret; quia tunc patiens nec sibi eligere potest, nec superior suo Religioso subdito imperare, ut periculum evidentem se a dolore perdendi, effugiat, ut dixi, ita *Solonius* in artic. 1. quando præcipuè salus ex tali abscisione certissima non sit: quia quando ex tali mutilatione est omnino solus certa, & persona est omnino necessaria Reipublicæ, aut Religioni, tunc tenetur cedere mutilationi, & Princeps, aut superior potest talem mutilationem imperare, ita Div. Thomas hic 2. 2. q. 65. art. 1. in corpore.

95. An

95. An vero liceat ſeipſum castrare, ad castitatem ſervandam, aut aliud membrum recidere, vel illud inſenſibilem reddere, ad eundem finem ſervandæ, videlicet, castitatis, ut refertur feciſſe Origenem.

96. Respondeo difficultati, quæ non levis momenti est, & dico: non eſſe licitum; quia ſalus Animæ non dependet a membris corporis, nam ſi ſalus nostra a membris dependeret, Deus illa nobis non dediſſet, membra autem, quæ a nobis ſcindi debent, quando nos illa ſcandalizare habent, ſunt non oculi corporales, &c. ſed amici, & converſantes nobiſcum, qui nos ad malum faciendum ducunt; quod ſi laudantur Eunuchi, qui propter Regnum Cælorum ſe castraverunt; intelligitur non de Spadonibus; ſed de illis hominibus vexatis a cogitationibus pravis, perpetuæ caſtitati ſe decere; immo dico, homines caſtrati maiores carnis incitationes habent, quàm cæteri viri habeant, prout teſtatur S. Baſilius de Virginitate, & Eccleſiaſt. c. 20. ait: *concupiſcentia Spadonis devirginavit iuvenculam*: videnda ſunt multa de hac re apud Authores, tàm antiquos, quàm modernos. Ego enim brevitatis cauſa multa relinquo, ut non hic neceſſaria.

S V B S E C T I O V.

De homicidio caſuali.

97. ANgelicus Magiſter de homicidio caſuali tractat hic in præſenti q. 64. art. 8. ubi quærit, quis occidit aliquem caſualiter, an ſit reus pænæ homicidij, & negativè reſpondet; quia nullum peccatum eſt, niſi voluntarium, & intentum, hinc breviter etiam meam opinionem dicere anſam ſumpsi, ſed antequam aggrediar difficultatem, aliqua advertenda ſunt, nempe, qui, &c. ſit effectus per ſe, & quis ſit effectus per accidens, & caſualis.

98. Dico itaq; ſupponendum eſſe pro certo, prout docetur in Phy-

losophia, effectum per se esse illum, qui primo ab agente intenditur effectum vero per accdens illum esse, qui preter intentionem agentis fit, unde sic de homicidio fatendum est; nempe homicidium per se esse illud, quod primo, & directè intenditur ab occidente; per accidens homicidium esse illud, quod præter intentionem operantis, & dicitur homicidium hoc casuale, & quia aliquando homicidium, & si non fit verè per se intentum primo, & directè, est tamen indirectè volitum, idcirco hoc tale homicidium vocatur voluntarium interpetrativè, & est tunc, quando tu non facis id totum, quod tenebaris facere, ne homicidium sequeretur, v.g. reparare furiosum, vel occidendum monere, ne exeat de domo, &c. & hoc homicidium indirectè volitum est peccatum mortale; quod idem dicerem libenter de medico, aut chirurgo, qui medentes non faciunt officium suum erga infirmum cum omni diligentia, & sua negligentia perit, ac de Confessario, qui nescit discernere peccata, & non studet ea, quæ simpliciter necessaria sunt officio suo, & sui pænitentes malè currunt ob suam negligentiam, & damnantur, & ob alias causas, quas taceo, ne offendam aures bonorum.

99. Quare, an homicidium casuale distinctum sit ab homicidio voluntario interpetrativo non est difficultandum; nam sunt specie distincti, & totum hoc ex se patet, quare ad alia transitum facio.

100. Quid si bos Caij occidat aliquem, tenetur ne Caius ad restitutionem damni? Respondeo eo modo, quo alibi dixi, nempe, si adest culpa lata ex parte Caij, utique tenetur. Si vero non est culpa lata, & ipse Caius nesciebat suum bovem esse cornupetam, non tenetur, vide, Lector amice, ea, quæ dixi cum de restitutione, de damno illato ab equo, cane, servo, &c.

101. Hic unum casum propono, quamvis in antecedentibus partim sit propositus, & resolutus, in materia de homicidio, v.g. Franciscus occidit Caium, quem sciebat debere mille Petro, ne Petrus satisfactus fuisses de mille, &c. quia sciebat etiam, quod hæredes Caij non erant capaces solutionis, an Franciscus teneatur

solvere

solvere creditoribus Caij occisi illa mille, &c. tenetur: sic firmat *Lopez* tract. 18. de restit. sect. 7. n. 56.

102. Ratio est; quia tale homicidium non solum est iniuriosum ei, qui occisus fuit, sed etiam creditoribus, & talis iniuria voluntaria est, & facta scienter, ac primo intenta, quare in tali casu homicida tenetur solvere totum id, quod solvisset ille, si mortuus non fuisset per manum eius, è contra vero, si talia debita, & creditores erant occisori ignota.

103. Dico 3. filij, parentes, & consanguinei viri occisi, qui ab occiso antea substentabantur, debent ab occisore satisfieri. Ratio adducta a Patre *Vasquez*, & *Navarro* est, quia, qui voluntariè, & scienter impedit alicui aliquod bonum notabile, tenetur illi ex iustitia restituere, hic autem sumus in casu; ergo, &c. occisor, qui præ nominatis tale bonum impedivit, tenetur illis resarcire, quod extendi potest etiam ad pauperes, quibus occisus dabat certas eleemosynas, quibus sustentabantur, & eorum filiæ in matrimonium coniungebantur, si occisor sciebat, ut dixi, illis ex morte occisi fore tale damnum eventurum infallibiter, at esto, quod creditores non amplius vivant, & hæredes non habeant, dico, quod illæ res debitæ debent ab occisore tribui pauperibus, vel locis pijs: sic *Lexius* c. 7. dubitat. 26. & *Malderus* tract. 3. c. 3. dubit. 8. qui asserit esse sententiam communiorem omnium scribentium.

SECTIO SECVNDA.

De iniurijs, quæ in corporis proximi inferuntur per stuprum, & Adulterium.

1. LÆditur proximus secundum corpus, non modo per occisionem, mutilationem, &c. verum etiam per stuprum, & Adulterium, quæ delicta non modo sunt species Luxuriæ, sed etiam iniustitiæ; undè de ijs in præsenti sectione agendum proinde erit.

Quænam sit defloratoris Virginis obligatio.

2. STuprum, secundum se, non continere specialem deformitatem, supra simplicem fornicationem, dicunt multi DD. quare virgine liberè consentiente, non erit verum struprum, quando etiam parentes, aut curatores, vel tutores, in re tali consentiunt cum illis nulla fiat iniustitia; iuxta illud, *volenti, & consentienti nulla fit iniuria*, ut docet *Lexius* de iustitia, & iure c. 10. dub. 1. & *Malderus* ubi supra c. 4. dubio 1. quia vix explicari potest in quo peculiaris malitia sita sit, ut examinanti rem patere potest.

3. Non enim sita est in eo, quod sicut virginitas est specialis virtus, & aufertur consentiente virgine, parentibus ' aut tutoribus, &c. ita & stuprum, cum huismodi conditionibus constituat speciale vitium. Neque in eo, quod per stuprum huiusmodi fit scisio, & ruptio membri; neque in eo, quod scindatur integritas illa naturalis panniculi, ordinatum ad magis prębendum actum matrimonij magis amicabilem inter virum, & uxorem, quod veluti dotem fæmina marito donavit; non primo, quia primum peccatum luxuriæ in viro virginitati opponitur, & aufert, & tamen non inducit novam speciem luxuriæ; tum quia virginitas amittitur per contractionem matrimonij, & ipsius consumationem, nullum enim vitium opponitur virginitati, prout a castitate distinguitur, sicuti nec munificentiæ, prout a liberalitate sumitur. Vnde stuprum, prout est vitium, opponitur virginitati, quatenus sub eadem formalitate opponitur castitati; ergo non erit vitium distinctum a luxuria, & fornicatione. Non secundo; quia fortè nullum rumpitur membrum secundum veriorem Medicorum, & Anathomistarum sententiam, & hæc ruptio panniculi, &c. facilè accidit etiam sine actu carnali cum viro; tum quia non fit per se illicita membri ruptura, cum licitè rumpatur per usum matrimonij, & secundum se considerata est parvi momenti, eiusque

sani-

ſanitas parum, aut nihil iuvat. Non in tertio quia eſt obligatio parvi momenti, tum quia poteſt ſe abſtinere a nuptijs, & ita agere, ut vir non percipiat fuiſſe corruptam, vel cum eo paciſci ante matrimonium, vel ad illius moleſtias præferendas eſſe paratam. Vtrum item non conſentiente parente, ſub cuius virgo erat poſſeſſione, conſentiente virgine, addat ſpecialem malitiam ſupra fornicationem; negativa ſententia mihi cum citatis DD arridet, non enim infamiæ, & doloris erga parentes eſt cauſa, quia hoc eſt per accidens cum devirginatione coniuncta cum divulgatione, quæ etiam poteſt eſſe in fornicatione filiæ corruptæ.

4. Propriè autem ſtuprum committitur, quando violatio fit ipſa virgine invita, aut parentibus, vel tutoribus, ſi eſt ſub eorum cura conſignata: & tunc ſtuprum ſupra fornicationem addit iniuſtitiam in puellam, ob quam iniustitiam integritatem corporis amittit. Quapropter, ut benè advertit Naldus, non conſiſtit fæminam propriè ſtuprum committere, ut ſic, quia ſi non conſentit non committit peccatum, & ſi conſentit non erit peccatum ſtuprij, ſed fornicationis ſimplicis; at quia etiam ipſa conſentiente, fit iniuſtitia parentibus, aut tutoribus, quia non eſt ſui iuris, dubitatur: an ſtuprum vocari debeat?

A raptu denique differt ſtuprum, quando hoc vim dicat, qua puella rapitur a dominij ſui poteſtate, vel talis poteſtas ſit paterna, aut materna; ſive tutorali, præſcindendo a virgine, aut corrupta, ſtuprum enimvero fit contra integtam, & poteſt eſſe ſine omni raptu.

5. Quare ſecundum Legiſtas de ff *ad l. Iuliam de adulterijs*, & ex Div. Thoma q. 154. art. 6. ſtuprum aliquando ſumitur latè, nempe pro omni ſpecie luxuriæ, ſive cum maſculo, ſive cum fæmina cuius vis ſtatus, & hoc modo omne peccatum luxuriæ eſt ſtuprum. Aliquando vero ſumitur ſtrictè, verè, & propriè nempe pro actu luxuriæ cum virgine, quæ numquam fuit deflorata a viro, neque cum ipſo coniuncta; quare virginitas non conſiſtit in aliqua tela intacta, neque in hoc, quod ſit difficultas in penetratione clauſtri; etenim prædicta tela, ut ſupra dixi, ſe-

cundum Medicos, & Anathomiſtas peritos, non invenitur, & virgines multæ iam grandevæ ſunt, quæ viros non noverunt, & facilè potuerunt penetrari, & nihilominus virgines erant, quando coniunctæ fuerunt, neque aliquid ſanguinis in penetratione, vel ruptione clauſtri emiſerunt, quod multum debet advertere Confeſſarius, & Iudices, ſi ad eos accedit aliquis uxoratus, dicens ſe non inveniſſe ſuam coniugem intactam, &c. quia dicit facilè ſe penetraſſe clauſtrum ſine ſanguinis emiſſione, vel humoris quaſi ſanguinis in fæmina; unde debent reſpondere illi viro, quod hoc non eſt ſufficiens indicium, ut fæmina ab eo tacta matrimonialiter, non fuiſſet virgo.

6. Quare, meo videri, ſupra in hac eadem ſubſectione bene dixi n. 4. quod ſtuprum non addit ſpecialem deformitatem ſupra ſimplicem fornicationem, atque adeo conſentiente virgine, non fore vere ſtuprum, ſicuti conſentientibus etiam parentibus, vel alij, ut ſunt tutores, ſi pupilla manet, dummodo non fiat illi, neque illis violentia. Ita recentiores, & præcipuè *Vaſquez* p. 2. diſput. 112. & de reſtit. c. 3. §. 1. dub. 1. *Sanchez* lib. 7. de matrim. diſput. 14. Suarez 3. p. tom. 4. diſput. 22. ſect. 4.

7. Ratio eſt, quia ut dixi ſupra hic n. 3. fornicatio cum virginitate, virgine ipſa conſentiente, & alij, dum violentia non adeſt, &c. nullam habet aliam malitiam, niſi quia eſt contra temperantiæ virtutem, ſicut etiam in viro virgine, primo fornicante; ergo præcisè cognoſcendo carnaliter quis virginem, ipſa conſentiente, tantum erit ſimplex fornicatio, & nulla fit iniuria virgini à fornicario, dum ipſa conſenſum liberè præbet, cum alijs ſub cuius dominio eſt.

8. Ex allatis ego deduco, quod quando virgo aliqua defloratur a deflorante, ipſa voluntariè conſentiente; nihil violator illi tenetur reſtituere, & multo minus conſentientibus parentibus, aut tutoribus curam illius puellæ habentibus. Secus vero, ſi violentia ei fuit illata, vel minis, vel factis, ita ut, induxerit tali violentia in eam timorem cadentem in virum conſtantem: tanto magis, quod mulieres, facilè timore concutiuntur.

9. Exci-

9. Excipiendus tamen eſt caſus, nempe, quando in dicto conſenſu puellæ, & dominorum eiuſdem adeſt promiſſio; quia tunc in tali caſu adeſt contractus venditionis, atque adeo violator tenetur ex iuſtitia ſervare violatæ puellæ totum id, quod illi promiſit: dummodo promiſſio facta ſit libera; quia ſi a parentibus vel ante violationem illi permiſſam, vel poſt minæ inducentes timorem in conſtantem virum factæ, & propter hoc deflorans promiſſionem feciſſet talem, non fuiſſet liberè promiſſio, & conſequenter non valeret contractus, atque adeo non teneretur ad ſolutionem faciendam. Sic *Lexius* dubit. 2. loco ſupra cit. & *Malderus* eodem loco; neque parentes eius ad nihil tenentur nam nulla illi facta fuit iniuria, ſi enim illa liberè præbuit conſenſum: *volenti etenim, & conſentienti nulla fit iniuria*. Sic leges loquntur.

10. Neque dicas, quod parentibus, & puellæ fuit ablatus honor; ergo eis, & illi debetur aliquid conſiderata qualitate eiuſdem puellæ, & parentum, &c. quando talis honor ſit res maximæ exiſtimationis.

11. Contra eſt; quia talis inhonoratio per accidens ſecuta eſt; ſtuprator autem hoc per ſe non intendebat, quando requiſivit illam virginem, ſed ſolum ſuum affectum laſcivum ſatiare, nec iniuſtitiam prætendebat in hoc, ſed ſolum ſuam ſatisfactionem veneream, &c.

12. At eſto, quod parentes non conſenſerint, ſicut nec tutores; an ſtuprator teneatur illis aliquid dare? Reſpondeo, quod ſi ad aliquid ſtuprator teneretur parentibus, non magis teneretur ille, quàm deflorata virgo, cum ad damnum illis illatum, ipſa magis, & efficacius ad dictum damnum concurrat; at hoc in foro conſcientiæ non ſervatur; ſed ſolum ſtuprator ad compenſationem condemnatur, nempe ad ſupplementum dotis, ratio eſt; quia fæmina ſupponitur decepta, & ſtante ſententia iudicis, tenetur etiam in foro conſcientiæ: idem dicendum, etiam ſi fæmina damnum remittat.

13. Ad-

13. Advertit tamen Solonius, posse præsumi pactum implicitum virginis, hoc est, fuisse ad recipiendam partem dotis; quando stuprator sit dives, & ipsa paupercula, vel si sint in gradu æquali, quod illam accipiat in uxorem, quod ut plurimum in his casibus evenire solet: nam viri, ut suum malum finem adipiscantur erga mulieres, multa promittere solent.

14. Tene, Lector benigne, pro certo; quod quando, vi, fraude, aut metu, falsis pollicitationibus, &c. fæmina est violata; tunc damnum secutum solvendum est ei a violatore, nempe vel ducendo eam sibi in uxorem, si ipsa hoc petat, & inde non sequantur incommoda gravia, vel illi dare dotem sufficientem, iuxta proportionem, quod a parentibus illi datam fuisset honoratè nubendo, æquè, & benè, ac si violata non fuisset. Secus autem si violatio fuit secreta, & non pervenit ad aures aliorum, sed solum hoc patet defloratæ, & defloranti; quia tunc nihil famæ amisit, & sic ad nihil tenetur, si aliàs explicitè stuprator illi virgini non promisit, unde quodlibet ex his potest eligere deflorator, secus autem, ut dixi, si res fuit secreta, ante iudicis sententiam. Ita *Vasquez*, dub. 3. loco supra cit. *Navarrus* c. 16. n. 19. *Lexius* lib. 2. c. 10. dub. 2. ratio totius huius dicti mei est; quia restitutio solum facienda est ratione damni illati, & pro violatione iuris, non autem pro violatione claustri virginalis, quia ob hoc secundum nihil restituendum est, nam non est res pretiabilis, est enim res incomparabilis, & ex alio capite non damnum illatum, quia æquè, & benè nubere potest, & multæ nubunt, ac si violatæ non essent.

15. Advertant tamen puellæ patres, & matres, quod ipse potius debent sibi mortem eligere, quàm in eorum deflorationem consentire. Sic *Sotus* lib. 5. de iustitia, & iure q. 1. art. 5. pag. mihi 366. *Navarrus* in manual. c. 16. n. 1. unde miseræ illæ matres, & infelices sunt patres, qui consentiunt in tantum scelus filias suas incidere, & illicitum est viris in talem errorem deflorationis se immergere, etiam si a puella illis minetur mors, si cum ipsa rem non habeat, unde potius subire mortem debet, quàm

tale

tale malum facere, sic citati DD. & firmat meus P. Alphonsus de Vega par. 2. de foro interiori, cum de stupro, pagin. mihi 855. column. 2.

16. Pono casum sit v. g. aliqua virgo ita honesta, & zelantissima suæ virginitatis, ut potius parata sit vitam perdere, quàm esse defloratam; tamen dum secreto ab aliquo viro tangitur, & ab eodem requisita de tali peccato in secreto fidando, quod talis homo non veniet ad alium malum, &c. hic homo tamen contra voluntatem puellæ deosculatus est eam, & illam in partibus, &c. tetigit, & sæpe amplexus est eam, quibus actibus illicitis quantum potuit puella resistentiam fecit; tandem illa fuit accensa, ex similibus actibus, & facta placata stupro consensum dedit; certè se accomodando se voluntati stuprantis lætaliter peccavit; illæ tamen, qui illam defloravit, tenetur ad restitutionem erga eam talis aggravij. Ratio est; quia quamvis illa peccaverit graviter, ut dixi, illum admittendo stuprum, nihilominus, illud voluntarium admixtum est cum iniurioso violento, ex parte defloratoris, & do exemplum, si mihi esset potestas exictandi tempestatem validam in mare, sciendo certè, quod mercator, qui manet ibi navigando, sic petendo fortuna illa magna, coactus est demergere suas merces in undis, tener ad restitutionem faciendam de tali damno, quamvis mercator merces suas voluntariè in mare proiecerit, quia (illud voluntarium dicitut admixtum esse cum violento, secundum quid antecedenti) sic in casu nostro: ergo, &c. sic *Bannes* de iustitia, & stupro quæst. 62. artic. 2. pag. 190.

17. Virgo autem, quæ coacta est ad deflorationem ab aliquo viro, & ipsa non resistit membris suis, quantum potest, & etiam cum clamoribus, sed nullatenus resistentiam facit, & silet, supponitur consentire, unde in foro externo nihil illi debetur; *Caietanus* 2. 2. q. 154. art. 4.

18. Verum est, quod in foro conscientiæ, si ab hoc se abstinuit ob extremum timorem, non consentit tamen sua voluntate tali actioni illicitæ, immo etiam cum corpore ad talem rem malam

lam non se accomodavit, ut daret tali rei illicitæ effectum, non peccavit mortaliter; etiam si in tali violatione aliquam delectationem sensualem sentiat; nec tenetur violatorem occidere, si posset, & si occideret eum, illi licitum esset; *Sotus* firmat lib. 5. de iustitia, & iure q. 1. art. 5. pag. 366. *Navarr.* in manual. c. *16.* n. 1. *Lopez* 1. p. instr. conscientiæ c. *65.* q. *1.*

19. Ille vero, qui coactè virginem defloravit, & ipsa moritur antequam nubat, non tenetur restituere aliquid, ratio est; quia illud debitum erat personale, utpotè respiciens tantũ puellam.

20. Quæres 1. Ad quid teneatur ille, qui per vim, & fraudem defloravit virginem. Respondeo, quod si absque promissione induxit, tenetur vel sibi matrimonio copulare, vel dotare, & sic reparare damnum, ut supra dixi, quod si parentes nuptias repudiant, ad damna omnia reparanda tenebitur ante sententiam, post sententiam ad integram dotem, & hoc ratione pænæ a lege taxatæ. Dos autem erit iudicanda secundum statum utriusque, nempe puellæ defloratæ, & deflorantis viri, verum est, quod stando in legibus naturæ, solum tenetur ad damni compensationem, nempe ad supplementium dotis, ad hoc, ut decenter nubat, ac si violata non fuisset, in re indiget maiori dote, quod si puella nubat cum suo æquali, vel minoris conditionis, esto violata sit cum sua dote ordinaria, nihil illi debet violator, nisi aliquid ratione periculi, cui ipsa se exposuit, quando permisit se violari.

21. Quæres 2. Ad quid teneatur ille, qui promissis nuptijs virginem ad peccandum inducit? Respondeo, quod tenetur stare pro missis, & illa desponsare, nisi habeat impedimenta impedientia matrimonium, aut dirimentia, si promissio tamen fuit clara, & non ambigua, vel quia parentes puellæ nolunt eam illi concedere in uxorem, aut ipsa non vult illum, &c. vel si ipsa cum alio fornicata est, vel si ipsa sit vilis conditionis, & ipse nobilis; è contra vero ijs deficientibus defectibus, tenetur illam ducere sibi in uxorem, si ipsam agnovit, si autem non agnovit, sed promisit tantum consentire in stuprum, non tenetur, quia contra-

contractus fuit initus inter ipsas, da, & dabo, unde non adipleta conditione, contractus dissolutus est, hæc est mea opinio, a qua non recederem, quia fundamentum clarum habet.

22. Quæres 3. num qui voto simplici continentiæ, aut ingressus Religionis constrictus est, teneatur si aliquam virginem violavit, & promisit illam ducere in uxorem, ducere obligatus remaneat?

23. Respondeo non solum posse verum etiam teneri nubere, & reddere debitum illa petente. Tenet sic *Sanchez* lib. 1. disp. 41. quia votum factum est impossibile, quatenus sine alterius iniuria impleri nequit.

24. Neque obstant exempla de eo, qui tenetur creditoribus satisfacere, &c. quia fortè, secundum probabiliorem sententiam, non tenetur manere in sæculo toto tempore vitæ suæ, quia habetur hic persona non libera, secus qui promisit nubere hic, & nunc, quod si virgo violata sciat violatorem esse ligatum voto, non tenetur ipsam in uxorem sumere, quia talis virgo deflorata seipsam decepit, quod si nubat peccabit, quamquam ratum sit matrimonium.

25. Vtrum vero teneatur petere dispensationem, puto non teneri, quoad reddendum, secus vero ad petendum debitum, quod idem dico de promissione facta, quæ sit impossibilis pænitenti, & ut talis cognoscatur a promissario, tenebuntur tamen hi omnes ad supplementum dotis, cum videatur virgo decepta.

26. Quæres 4. An ille, qui verè fecit votum Religionis, & postea virginem defloravit, teneatur illam ducere in uxorem, quia ita illi promisit, aut se Religiosum facere debeat?

27. Respondeo, quod tenetur illam ducere in uxorem: ratio est, quia maior est obligatio reparationis damni proximi, quam implendi promissionem, quamquam promissio sit antiquior. Confirmo totum ex eo, quod ille, qui promisit centum, v. g. Sempronio, & deinde furatus est centum Titio, & non habet nisi centum, tenetur restituere centum Titio cui illa furatus est, etiam si prius promiserit centum Sempronio; quod totum etiam magis

fit clarum; si enim quis promisit dare eleemosynam, & postea furatus est decem, prius decem restituere debet, & deinde facere eleemosynam, si potest, vide, Lector, Authores modernos de hac re, & videbis, quod non longe sunt a mea opinione, vide Carpensem tract. 18. de restit. disp. 4. sect. 10. n. 4. quamvis aliter sentiat Vasquez.

SECTIO SECVNDA.

Quid restituendum sit ab Adultero.

28. SVppono cum Angelico Doctore 2. 2. q. 154. artic. 8. quod adulterium, est accedere ad mulierem alienam coniugatam, vel quando mulier unitur cum viro coniugato in matrimonium, & sic esse dicit *Armilla* verbo *adulterium*, sicut ait etiam *Caietanus*, quod quidem adulterium est peccatum speciale luxuriæ, unde adulterando quis committit triplicem peccatum mortale, nempe contra virtutem castitatis, & contra virtutem iustitiæ, & contra fidem matrimonij, minus tamen grave, quàm sit incestus, & sacrilegium.

29. Vnde ad dubium in titulo propositum, ut breviter respondaam, dico, cum communi sententia DD. quod pro nudo adulterio, nulla facienda est restitutio marito ab adultero, quamvis aliàs sit gravis offensa; sicut nihil tenetur restituere viro suo licet uterque contra iustitiam peccet, nempe adulter, & adultera (quod idem dicendum est de temerè iudicante) constat ex l. *transigere*, *cad. de transactionibus*, & l. *marit.* §. *plectitur ff. ad l. Iuliam*, *de adulterijs*, ubi prohibetur marito aliquid accipere ab uxore pro iniuria adulterij commissi ab ipsa, &c. ratio est, quia iniuria est obiectum iustitiæ punitivæ authoritate publica exercendæ, &c.

30. Dices contra dicta: uxor est possessio viri; ergo aliquid ob illud adulterium accipere potest, sicuti tenetur ad solvendum usum equi, qui utitur equo alieno invito domino.

 31. Re-

31. Respondeo, ad summum hoc argumentum non convincere de iniuria facta viro à sua uxore adultera, sed tantum de abusu corporis uxoris, & eius valore.

32. Difficultas esse potest in adulterante, an scilicet teneatur detegere filium illegitimum, quando occultatio est cum damno aliorum filiorum, quia videlicet illis tollitur totaliter hæreditas, vel magna pars illius, Regnum, aut status, &c.

33. Respondeo huic difficultati, quod soluta manet ex dictis in antecedentibus, quod tenetur in tali casu manifestare adulterium, etiam cum periculo mortis; ut tenent multi Doctores ibi citati, quando non habet aliam viam reparandi tantum damnum; quamvis contraria sententia magis probabilior mihi videatur: ratio est; quia non est facienda restitutio bonorum fortunæ, cum tanta iactura famæ, & vitæ.

34. Verum est, quod modestè, & politico modo filio ex adulterio nato mater adultera persuadere potest, & debet, ut maiori, aut alijs cedat hæreditatem, &c. aut habitum Religionis sumat, vel alia via invenire, &c. quod si hoc non iuvat exhortare illum, ut pergat ad bellum; quod etiam si filius ille illegitimus multum amet matrem, & ei multum credat, & scrupolosus sit, poterit talis mater illi aperire secretum; aliàs non tenetur se illi adulteram manifestare, quando non est spes remedij: *Non est fundendus sermo, ubi non est auditus*: concludunt communiter Doctores.

35. Dico tamen; quod mater illa adultera sua diligentia, quantum potest, debet compensare alijs filijs totum id, quod a filio illegitimo alijs detrahitur; nempe se abstinendo ab expensis, & augendo alijs dotem, ex bonis palafrenalibus, vel hæreditarijs, si habet; quod idem dico de adultero, quando alias suis diligentijs compensationem non fecit, & hoc est verum, quando uterque, nempe tàm adulter, quàm adultera de prole illegitima certi sunt, quod sua est, non autem mariti.

36. Dico item; quod licet filios illegitimos exponere, quando est periculum famæ, & vitæ, dummodo non sit periculum

mortis illius pueri; vel ratione frigoris, vel alterius accidentis, qui possit mortem spiritualem illius causare.

37. Dico 3. si adulter nihil promisit adulteræ, nihil tenetur illi dare; cum abusus corporis, secluso contractu, non sit pretio existimabilis, ut communis DD. opinio est.

38. Dico 4. quod si maritus certè scit mulierem suam adulterasse, aut hoc per coniecturas certas sibi persuaderet, potest ab ipsa separari quoad thorum, & non dormire cum illa in pænam sui peccati. Verum est, quod si coniecturæ non sunt certæ, non potest hoc facere, nec potest illi debitum matrimonialem denegare, quando ipsa illud petat; non potest etiam illam relinquere, etiam si maritus certus sit de adulterio mulieris suæ, ante iudicis sententiam, nec tunc erit illi hoc licitum, quando potest ex tali separatione oriri scandalum, at si nullum scandalum intervenire potest, & ipsa de hac re non conqueritur, sine scrupulo potest eam relinquere; dummodo ipse maritus adulterium non committat, quia si maritus adulter inveniatur, tenetur se reconciliare cum uxore sua, & cum illa redire, sic *Sotus* in 4. sent. dist. 36. q. 1. art. 3. pag. 266. conclus. 6. & in hoc debent benè advertere Confessarij; ne ceco modo currant, ut multi facere solent. Et hoc quod dixi de viro respectu uxoris suæ, valet de uxore respectu mariti adulteri, cum non sit maior ratio de uno, ac de alio. Immò addo dictis, quod si adulterium est valde notum, vir potest relinquere uxorem ante sententiam iudicis, quod idem dico, de uxore respectu mariti, v. g. mulier ivit in domum sui amasij, & ibi dormivit, & permansit, &c. vel maritus ivit publicè in domum suæ amasiæ, & ibi dormivit, & permansit publicè, &c. tunc sine ullo dubio unus potest separari ab alio ante iudicis sententiam, ita Sacri Canones in c. *signi de divortijs*, *flores theolog. quæstionum*, de divortio ob adulterium, *Ledesma* in summa de matrimonio differentia 67. pag. 1587. *Armilla* de divort. n. 7. *Sotus* ubi supra circa conclus. 2. *speculum coniugiorum* 3. p. art. 5. conclus. 1. 2. & 3. pag. 471. & 472. *Rodriguez* 1. tom. c. 221. conclus. & n. 4. & conclus. & n. 2.

39. Nec

39. Nec vir se excusare potest dicendo: quod non vult manere cum uxore sua, eo quia timet, ut occidatur ab ipsa, sicuti nec uxor respectu sui mariti, quia ad summum hoc facere possunt per parvum tempus, usque dum transit illa iracundia, *Navarrus* lib. 4. consil. tit. de divort. cons. 2. fol. 421. *Div. Thomas* 2. 2. q. 62. artic. ultimo.

50. Maritus tenetur redire cum uxore sua iam adultera, modo redacta ad vitam honestam, dummodo ipse maritus fornicaverit, dummodo non sequatur scandalum ipsam recipiendo. Sic firmat R. P. meus *Alphonsus* de Vega p. 1. de foro inter. verbo adulterium fol. 16. cas. 3. col. 2.

41. Dico 4. maritus non est obligatus relinquere uxorem suam ostinatam in adulterio, etiam si ipse fecerit omnem suam diligentiam, ut ab adulterio removeat illam: ratio est, quia verba Christi dicenti: *non licet dimittere uxorem, nisi causa fornicationis*; non sunt verba præceptiva, sed permissiva, itaut possit eam dimittere, si non est cum scandalo, ne videatur illum esse authorem talis peccati. Sic firmat *S. Antoninus* Episcopus 3 p. tit. 1. c. 20. n. 9 *Sotus* in 4. sent. dist. 36. q. 1. artic. 2. pag. mihi 258. *Ledesma* in summa de sacramento matr. &c. c. 66. *Chaves* q. de matrim. n. 290.

42. Dico 5. quod mulier, quæ habet filios legitimos, & alios natos ex adulterio testare potest, quia potest in testamento suo eos vocare filios, absque eo quod dicat illos esse legitimos; sicut etiam potest eos legitimos vocare, absque eo quod mentiatur intelligendo intra seipsam, quod tales sint ob communem reputationem; & quia multum interest ei testamentum condere, ut relinquat legitimis totum id, quod plus potest. Sic refert *Navarr.* in add. c. 28. & c. 16. n. 49. sub fine.

43. An filius illegitimus, natus ex adulterio teneatur credere matri dicenti sibi, quod non est legitimus, atque adeo non possit cum legitimis participare in bonis, &c.

Respondeo; quod non est obligatus credere matri sibi taliter dicenti. at esto, quod credat, tenetur renunciare, omni modo possi-

possibili, seclusa omni suspectione matris, aliàs non est securus in conscientia, quia aliorum bona retineret cum mala fide; potest tamen stare securus de consumpto, dum in bona fide manebat, non sic si consumpsisset post quam mater illi dixit, & credidit, non esse filium legitimum; neque hæc est mea opinio; sed multorum DD. tenet hanc conclusionem *Armilla* verbo adulter. q. 9. *Medina* salmum in institut. confess. *Lopez* 1. p. instit. confess. c. 88. *Medin.* c. de rebus restituendis q. 3. pag. 13. *Navarr.* c. 17. n. 47. *Antoninus* in summ. defecerunt, tract. de restit. c. 7. de modo, & ordine restituendi, *Rodriguez* 1. tom. c. 188. conclus. & n. 7. unde filius ille illegitimus post quam habuit cognitionem suæ illegitimationis, si aliquid consumpsit de pertinentibus de iure legitimis filijs, ad restitutionem tenetur.

44. Dico 6. quod etiam celebrato divortio inter virum, & uxorem causa adulterij probati concludenter in uxorem post Concilium Tridentinum, c. 46. numquam maritus aliam uxorem sumere potest, neque uxor alium maritum, & aliàs dicendo, aut docendo excommunicatus est. *Tridentin. Sess.* 24. Canon. 7. undè per illud divortium solum fuerè soluti, quoad torum, & cohabitationem.

45. Dubitatur hic: an facta tali separatione via iuridica cum solemnitatibus requisitis de iure canonico, & civili; an inquam, vir tunc peccet contra mulierem adulterando, sicut etiam mulier similiter, quia adhuc remanet ligamen matrimonij; dico, quod probabiliter teneri potest, quod uterque adulterando peccent contra Deum, non vero unus contra alterum, videantur DD. & præcipuè *Vega*, ubi supra citatus in hac subsect. de adult. pag. mihi 23. col. 2.

46. Ponitur casus, ut maritus, simpliciter & uxor adulterium commiserint, unus eorum in se reversus est, & emendans est de tali crimine, alius vero in eodem delicto manet, an ille, qui emendatus non est ex coniugatis possit alteri petere debitum, & alter non emendatus illi denegare; quia in suo peccato persistit.

47. Pro-

47. Probabilior sententia est illa *Sylvestri* in hac re, quod conversus & emendatus possit utrumque eligere, fundatus iste auctor, quod ille emendatus, & pænitentiam egit, reversus est ita, ac si non errasset, sequitur Sylvestrum *Ledesma*, neque *Sotus* ab illis longe se habet in 4. dist. 36. q. 1. art. 6.

48. Dubium pulcherrimum proponitur hic. An mulier infidelis post conversionem mariti ad Fidem Catholicam Romanam, ipsa noluit converti ad eamdem fidem, fornicaria posset dici, si alium virum sumeret, aut rem carnalem haberet cum aliquo viro, & adulterium sic faciendo committeret, est quod maritus conversus non adhuc aliam uxorem sumeret; & si postea etiam mulier ad fidem veram se converteret, est ne obligatus illam secum nubere?

49. Respondeo curiosa, ac subtili responsione, sicuti curiosum est dubium, & dico, quod in voluntate viri conversi stat, velle, & nolle; ratio est, quia, sicut Baptismi Sacramentum recipere, non est causa, ut ipsa mulier fornicetur, quia vir talem Sacramentum recipiendo dat operam rei licitæ, sic sequitur, quod non debet constringi ad reconciliationem cum illa; & quod maioris considerationis videtur, est, quod si vir recepisset Baptismum secretè, absque eo quod mulier de hoc scientiam haberet, si ipse fornicaretur, non debet constringi ad illam recipiendam post quam baptizata fuit. Verum est, quod neque unus, neque alius possunt coniungi cum alia persona in matrimonium. Vide *Ledesma* in summa de matrimonio dist. 54. pagin. 572. Sot. in 4. sentent. dist. 38. q. 1. art. 1. ratio est, quia & si (matrimonium non claudicat, quoad vinculum, claudicat quantum ad defectum) vi eatur *Vega* loco supra citato pagin. 24. in par. 1. suæ praxis fori interioris casu 15.

50. Dico quod mulier coniugata cadens in adulterium timore mortis, est vere adultera, & non valet ratio illorum, qui dicunt, quod fidelis aliquis negando Fidem Catholicam ob mortis evidentis timorem, est solum hæreticus materialiter, non formaliter, & sic non est excommunicatus, ergo, &c. non valet,

inquam,

inquam, ratio ista, quia hæresis error consistit in intellectu, at in illo casu consistit in actu corporali, &c. videatur *Bannes* 2.2. q. 11. art. 4. pag. 657. c. 1. *Sylvester* verbo apostasia §. 2. *S. Antoninus* 2. p. tit. 11. c. 5. §. 1.

51. Quæritur. In quantis casibus maritus non possit uxorem relinquere? Respondeo, quod in septem. Primò, si ipse etiam adulteravit, etiam secretè, nam si deficiunt probationes, non deficit delictum. Secundò, quando consentit propria voluntate adulterio uxoris. Tertiò, quando uxor se coniunxit pro secunda vice, putans maritum fuisse mortuum, & sepultum, & ille fingens se non esse suum maritum ingressus est in lecto cum ipsa, eam sic decipiendo. Quartò, quando credebat ipsa suum maritum in lecto, & erat alius, & permisit cognosci ab illo. Quintò, quando ipsa vi fuit cognita. Sextò, quando ipsa post adulterium patratum cum marito reconciliata fuit, & ipse cum ea. Septimo, cum ambo essent infideles, & unus alteri dedit libellum repudij, & mulier se coniunxit cum altero in uxorem, deinde si ambo ad veram fidem Catholicam convertuntur, maritus tenetur illam recipere, lege *Vegam* loco supra cit. pag. 25. cas. 18.

52. Esset hic agendum de furto, & rapina, sed quia de furto in antecedenti, cum de restitutione satis dixi, solum de rapina in hac sequenti sectione brevissimè aliquid adducam, Sit ergo.

SECTIO TERTIA.

De rapinæ vitio.

53. DIv. Thomas 2. 2. hic q. 66. agit per articulos 9. de vitijs oppositis iustitiæ, in quibus articulis multa quærit, & inter alia in artic. 4. quærit; an furtum, & rapina sint peccata distincta specie, & respondet in argumento *sed contra*, affirmativè, probando hoc, eo quia 5. *Ethicorum* dicitur, quod furtum est occultum, rapina vero fit cum violentia; sunt enim ambo iustitiæ opposita, inquantum quis alteri facit iniustum;

nullus

nullus autem patitur iniustum volens, ut probatur in 5. *Ethicor.* & ideo furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio est in voluntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur. Involuntariam autem dupliciter dicitur, nempe, per ignorantiam, & violentiam, ut habetur 3. *Ethicorum*, & ideo aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum: ergo propter hoc furtum, & rapina sunt peccata specie differentia; sic Angelicus loco citato in corpore articuli; quare Caietanus ibidem ait, quod diversitas peccati specifica furti, & rapinæ non ex diversitate intentionis personæ lesæ, sed ex diversa ratione obiecti, in quo adversantur, oritur. Ex hoc namque, quod iniustè accipiens iniustum diversimodè facit propter obiectum acceptionis utrobique esse iniustum, & quia iniustum alicui includit in se rationem involuntarij, nam nullus patitur iniustum volens, consequens est, quod secundum diversam rationem involuntarij diversificentur species iniusti, & propter hoc acceptio iniusta involuntarij per violentiam distinguitur specie ab acceptione iniusta involuntarij per ignorantiam, & sic furtum, & rapina constituunt duas species peccati, nempe quia furtum accipit alienum occultè, rapina autem violenter. Hoc pro certo supposito cum Div. Thoma.

54. Quæritur 1. utrum rapina ullo pacto fieri possit sine peccato? Respondeo, dicendo, quod & si furtum in extrema necessitate licitum sit; eo quia tunc accipere rem, quæ erat in alterius possessione, non est verè furtum: etenim tempore necessitatis omnia sunt communia; tamen quia rapina atrocius est crimen, numquam est licita, neque privata, neque publica potestate, ratio est; quia si furtum, verè furtum, numquam est licitum, ita efficaciori ratione de rapina dicendum est. Tum quia quidquid nomine suo innatam habet malitiam, sive rationem iustitiæ, & sic intrinsecè malum, ut benè fieri nequeat; rapina autem est huiusmodi, cum sit violenta acceptio contra iustitiam, sicut est verum furtum, id quod fraudolenta acceptio; ergo numquam rapina licita erit, & per consequens non potest esse sine peccato.

 55. Quæ-

55. Quæres 2. Num Respublica, aut Princeps possit per violentiam, citra iniuriam, aliquid a suis civibus, seu subditis extorquere. Responsio est affirmativa pro *Soto* de iustitia, & iure lib. 5. q. 3. art. 5. pag. 443. col. 1. conclus. 2. Probo responsionem sic. Violentiam inferre proprium est publicæ authoritatis, nam violentia idem est, ac coactio, ista autem solum in Republica, & Principe residet, sicut enim totum animal potest cogere membra, &c. (est enim hæc potestas a natura concessa, ad cohibendos homines a malo, & illos adducendos ad bonum, & non convenit talis concessio privatis hominibus) unde talis violentia in Republica, aut Principe, si via, & ordine fiat, non habet rationem rapinæ, nempe si contra externos hostes, vel contra internos maleficos illa ex legis præscriptio utatur: non sic in persona privata, quia huiusmodi violentia in ea est semper rapina.

56. Dices. Franciscus videt rem suam in possessione alterius, & illam violenter accipit, tunc non rapit rem alienam, sed suam, & non facit iniustum; ergo cum hæc fiant sine peccato, licita erunt. Respondeo, non posse rem illam sumere sine peccato ante iudicis sententiam, quia facit contra modum iustitiæ, & sic rapina saltem erit, & res iniusta, atque adeo personæ privatæ illicita.

57. Dices 2. Qui patitur extremè, licitum est etiam violenter rapere; ergo non solum Reipublicæ, aut Principi, licitum erit, verum personæ privatæ. Respondeo, quod in tali casu non dicitur violentia, nam concessum est illi a natura, ut in tali necessitate extrema hoc facere posit.

58. Quæres 3. Num Princeps, aut iudex, aut alius quivis Magistratus posit per violentiam abutens suam facultatem, a suis civibus, aut subditis quidpiam arripere sine crimine rapinæ? Respondeo negativè, nam sic faciendo verum, & rigorosum peccatum rapinæ committerent, & ad restitutionem tenentur. Tanto enim impudentius, ac scelestius huiusmodi Potentatus peccat, quanto sanctiori fide iustitiam, cuius custodes existunt erga omnes deberent immaculatè servare, & certè de istis tribus conclusio-

clusionibus meis nihil est dubitandum circa eorum certitudinem, ut testatur *Sotus* de iustitia, & iure lib. 5. q. 3. pag. mihi 443. solum remanet, ut aliqua argumenta contra eos ab adversarijs adducam, & solvam breviter.

59. Obijcies 1. Ambrosius lib. de Patriarch. ait, licerè rapere hostibus; ergo, &c. verba eius sunt ista: *Cum præda fuerit in potestate victorum decet militarem disciplinam, ut Regi serventur omnia, scilicet tàm ad belli sumptus, quàm ad militum præmia,* ergo est aliquando licita.

60. Respondeo, cum Div. Thoma, quod Div. Ambrosius locutus est, quando bellum, est iustum, & non suppositititium, ac tyramnicum, quia quando bellum est iustum, utique non tenentur ad restitutionem milites res inimici capientes, & est verum totum, quod Ambrosius dicit; aliter esset falsa consequentia, & ad restitutionem tenentur.

61. Obijcies 2. Princeps terrarum multa a suis subditis extorquere habent ipsis invitis, at hoc habet faciem rapinæ, & tamen est grave illos debitores censere; ergo rapina non est semper mortale crimen.

62. Respondeo, quod ex supra dictis patet responsio, nempe: quod si id, quod extorquere habent, confert ad bonum publicum, non est rapinæ crimen, benè verum est tale crimen, si illud quod violenter extorquere habent, non inservit publicæ utilitati, & esto, quod inserviat communi bono, & sit aliqua taxatio, totum id, quod supra legem exigunnt à subditis violenter, est rapinæ delictum, quare Augustinus 4. de Civitate Dei, inquit: *Remota Iustitia, quid sunt Regna, nisi latrocinia,* unde Ezzechielis 22. habetur: *Principes eius in medio eius, quasi lupi capientes prædam,* unde fit, quod ad restitutionem teneantur.

63. Obijcies 3. quod possessoris non est, licitè ab eo aufertur, sic autem sunt infideles, nempe iniusti possessores, iuxta illud Augustini in epistola ad Vincent. Donatistam: *Res falsò appellatis vestras, quas neque iustè possidetis, & secundum leges terrenarum legum emittere iussi estis;* ergo licitum est ab eis res eripere.

64. Respondeo huic argumento, in quo non est parva difficultas, etenim triplex, est infidelium ordo, quidam enim sunt qui iure, & facto sub dictione Christianorum sunt Principum, & ibi vitam degunt, ut sunt, videlicet, Hæbrei Liburni, & in alijs Civitatibus Magni Ducis Ætruriæ, necnon in Dominio Pontificio, & de his indubitatum est, ut Principes possint in eis, aut contra eos imponere leges, & eos suis bonis privare, patet hæc veritas tàm in decretalibus sub titulo de Iudæ ; & Sarau prout in Decret. dist. 54. his proximè accedunt Hæretici, qui ex nostris, ut ait Ioannes exierunt, & de his propriè loquebatur Augustinus: quia eius Sermo erat contra Donatistas, & indubitatum est, tàm Lege Canonica, quàm Civili eos posse Infideles suis bonis multari, ut patet, c. *cum tu*, de usuris lib. 6. Alij sunt Infideles, qui solum de facto, quamquam de iure Principi subdantur Christiano Catholico, nempe, qui Infideles terras possident, quæ alijàs olim subdictione nostra fuerunt, ut sunt Affricani, &c. Turcæ, &c. unde indubitatum est, nos posse talibus regionibus eos spoliare, si nobis sint vires, hoc tamen licitum nobis non est auctoritate privata, sed requiritur publica, unde sine auctoritate Principis nullus eis potest molestus esse; e contrà verò, Infideles, qui neque iure, neque facto nobis Fidelibus subditi sunt, non licet invadere; etiam si verum sit, quod omnes tenentur mundi regiones Fidem Catholicam accipere, atque adeo subdictione Fidelium aliquo modo sunt, quia sunt subditi Deo, & Deus, est omnium Dominus: undè si hæc fiat occupatio ad Fidem Christi propagandam, puto fieri posse, iuxtà Deuteronomij nono: *quia gentes impiè egerunt, delendæ sunt*; unde non solum res ab illis auferri possunt; sed etiam vita, cum eorum immanitas; erga verum Deum digna sit morte, multa hic essent dicenda, sed ego ea relinquo, ne afferam tedium aliquibus.

65. Quæres item utrum rapina sit maior peccatum, sive gravius furto. Responsio ad dubium est affirmativa, nempe rapinam esse graviorem peccatum furto, totum patet ex dictis in hac Sectione, cum de distinctione furti, & rapinæ, &c. & omnia

quæ

quæ a me dicta sunt in hoc 10. Volumine Operum meorum submitto libenter, & ex corde correptioni Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, quæ nunquam errare potest, & si ego erravi in aliquo veniam peto; quia non fuit error voluntatis meæ, sed imbecillitatis ingenij. Totum ad laudem Dei, B. V. Mariæ, mei Patris S. Francisci de Paula, ac Divi Thomæ, à quibus accepi, si quid benè dixi, ipsique acceptum referatur, exopto.

FINIS.



A P.

APPROBATIONES

NOS FR. ANTONIVS PERIER TOTIVS ORD. MINIM. CORRECTOR GENERALIS.


VM ex præcedentibus Libris, tùm Phylosophicis, tùm Theologicis, quos in lucem edidit R. A. P. Ioannes Baptista Neri, Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, Divini Verbi Ecclesiastes, & Provinciæ nostræ Tusciæ olim Provincialis, nobis constet sanam illibatamque doctrinam esse ipsius & ad enodandas gravioris momenti difficultates proficuam. Æquo animo facultatem illi concedimus, cæteras, quas præ manibus habet elucubrationes prælo mandandi, prævijs tamen examine, & approbatione RR. PP. Virgilij Carpi, & Dominici Martini, Thæologiæ candidatorum, servatisque cæteris de iure, & more servandis. Dat. in hoc nostro Conventu S. Iosephi Florentiæ hac die 8. Ian. 1687.

Fr. Antonius Perier Corrector Generalis.

De mandato Reverendiss.
Fr. Zacharias Roslet Collega, Gallus.

APPROBATIO THEOLOGORVM ORDINIS.

NOS subscripti Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula Theologiæ Professores ex speciali Reverendiss. P. Generalis commissione, Opus præcipuum a R. A. P. Ioanne Baptista Neri, eiusdem Ordinis Lectore Iubilato, Concionatori eximio, & Provinciæ Tusciæ bis ex Provinciali dignissimo, egregio quodam ordine elaboratum, in quo omnes de Fide, Spe, & Charitate, insuper de Iustitia, & Iure difficultates mirabili brevitate, & claritate enodantur, summa nostrum delectatione, atten-

tissimè

tiſſimè examinavimus: nihil tandem in eo reperitur, quod Evangelicæ, Chriſtianeque doctrinæ non conſentiat, quod bonis moribus, non cohæreat, totum integrum, ſanum, atque perfectum. Quapropter, quantum in nobis eſt, approbamus, & prælo mandari poſſe concedimus; dignum certè, ut in lucem prodeat, quod etiam ſub modio tanto fulgore clareſcit. Datum in hoc Sancti Franciſci de Paula iuxta Menia Civitatis Florentiæ Conventu, hac die 24. Aprilis 1688.

Fr. Virgilius Carpi Sacræ Theologiæ Lector.

Fr. Dominicus Martini Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Provinciæ Tuſciæ Definitor.

Admod. R. P. Frater Dominicus Maria de Brancaccinis S. T. Magiſter, Ordinis B. M. V. Servorum diligenter, & attentè complaceat perlegere has Quæſtiones Selectas, ac dilucidatas ex Secunda Secundæ D. Thomæ, nempè de Fide, Spe, & Charitate, Iuſtitia, & Iure, & recognoſcat, an adſit aliquid S. Fidei Orthodoxæ adverſum, & bonis moribus abſonum, & referat. Datum 15. Auguſti 1688.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor.

Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine.

Sedulò vidi, ego Fr. Dominicus Maria de Brancaccinis, Ordinis Servorum ſupradictum eruditum Opus: & cum nihil contra Catholicam Fidem, bonoſque precontineat mores; ad publicam utilitatem typis tradendum cenſeo. Ex noſtro Conventu Divæ Annunciatæ de Florentia, die 5. Menſis Septembris 1688.

Attenta ſupradicta relatione, Imprimatur.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor.

Admod. Rev. Pat. Mag. Poggi Secret. Gener. Ord. Servor. Conſul. Theol. S. Off. Flor. cum omni diligentia, & attentione perlegat ſupradictas Queſtiones de Fide, Spe, Charitate, & Iu-

stitia, & Iure, & in ijs observet, an nullum adsit, quod nostræ Sanctæ Catholicæ, Apostolicæ Romanæ Fidei, bonisque moribus repugnet, deinde referat. Dat. ex Ædibus S. Off. Floren. die 9. Septembris 1688.

Fr. Franciscus Angustinus Gambarova de Bugolla
Cancell. S. Off. Flor.

Reverendissime Pater.

Hoc Opus, quod inscribitur, Quæstiones Selectæ, &c. de Fide, Spe, & Charitate, atque de Iustitia, & Iure, &c. attentè perlegi, & nihil Catholicæ Fidei, morumq; honestati repugnans offendi, immò eximiam Auctoris pietatem redolere cognovi, &c. Hac die 30. Octobris 1688.

Fr. Ioannes Franc. Mar. Poggi Ord. Ser. B. M. V.
S. Off. Flor. Consult. Theologus, &c.

Attenta antedicta Attestatione, Imprimatur. Hac die 24. Novembris 1688.

Fr. Franciscus Angustinus Gambarova de Bugella
Cancell. S. Off. Flor.

Robertus Pandolfinius Senat. Ser. Mag. Duc. Aud.

